INTERPRETATIO Compendiosa in tres libros vsuum Feudorum,

Autore D. Friderico Schenck,

EX LIBERIS BARONIBVS A TAVTENBERCH.



Multo vtilius est, pauca idonea effundere, quàm multis inutilibus homines prægrauari. l. ij. §. contrarium autem. C. de vete. iure enuclean.

COLONIAE apud hæredes Arnoldi Birckmanni.
Anno M. D. LV.

INDEX INTERPRETATIONIS LIBRI PRIORIS CONSVETVDINVM FEVDORVM.

Bibl. Barth. Alt. 1741.

A.

ABSENTIA iusta excusatur vasallus, infra annum & mensem inuestituræ feudalis renouationem non petens, titu. 22. §. 1. nume. 1.
Absentia eius, qui Reipub. causa abest, nec ei, nec aliis obesse debet, ibidem.
abesse Reipub. causa qui intelligantur, ibidem.
absolui debet dominus, vasallo nec possidente, nec probante, tit. 26. §. si quis. num. 1.
ad Absoluendum proniores sumus, quàm ad cōdemnandum, tit. 10. §. 1. nume. 2. in fine.
ACtionem de improbitate sua nemo consequitur, tit. 4. §. 1. nume. 2.
actiones suas remittentibus non est dandus regressus, tit. 5. §. præterea. nume. 1.
actore non probante, an reus in causa feudali absoluatur, tit. 4. §. 1. nume. 3. & §. item si vasallus. nume. 3.
actorib9 rei sunt fauorabiliores, tit. 10. §. 1. nu. 2.
actor dominicus quis dicatur, tit. 2. nume. 1.
ADulterium cōmittens cum vxore domini, feudo priuatur, tit. 5. §. item si fidelis. nume. 1.
adulteriū vxoris maritus ægrius fert, quàm proprij filij occisionem, ibidem.
adulterium cōmittens cum vxore domini mortui, an feudum perdat, ibidem, & tit. 21. §. si quis miles. nume. 2.
ALienatio feudi, dño consentiente facta, stabilis quomodo permaneat, tit. 4. §. rursus. num. 2.
alienari feudum non potest sine domini consensu, tit. 5. §. aut si libellario. nume. 1.
alienare quis non poterat feudum, hoc in curte dñi obtinēs, tit. 5. §. item si quis feudū. num. 1.
alienatio feudi etiam facta dñi cōsensu, an præiudicet filiis alienātis, tit. 8. §. hoc quoq; num. 1.
alienatio talis an præiudicet agnatis, ibid. num. 2
alienatum feudum sine domini voluntate, an ad agnatos vel ad dominū reuertatur, ibidem.
alienari an possit feudum per contractum libellarium, tit. 5. §. aut si libellario.
alienantis feudum, quæ sit pœna, ibidem.
alienatio feudi consensu domini facta, valida permanet, durante vita alienantis, tit. 8. §. hoc quoque. nume. 2.
alienatum feudum sine cōsensu domini non expectata morte alienantis, sed mox reuertitur ad agnatos, ibidem.
alienatum paternum feudum, agnatorum descendentes, siue iam nati, siue postea nascituri, an possint reuocare, ibidem.
alienationis feudalis omne genus prohibitum est vasallis, tit. 13.
alimēta ex feudo, illi debentur, qui natus est mutus, tit. 6. §. mutus. nume. 3.
alimenta qualia sint alicui præstanda, ibidem.
ANima cæteris rebus est præferenda, tit. 5. nu. 1.
animæ vnius amißio, maius censetur damnum, quàm si innumerabilium mors corporum contingeret, ibidem.
annali tempore quando vasallus feudi possessionem retinere possit in lite existens. titu. 26. in tex.
annalis possessio quid operetur, ibid. nume. 1.
Anno elapso finitur feudum guardiæ, & castaldiæ, tit. 2. in tex.
annalis possessio vasalli efficit, vt suo stetur iuriiurando, tit. 4. §. 1. nume. 2.
APpellari an possit in causis feudalibus ad Imperatorem, omisso medio, tit. 22. §. sancimus.
ASsultum faciens in dominum vasallus, feudo priuatur, tit. 5. §. similiter. nume. 1.
assiliens arcem domini, vel in qua est dominus, feudum amittit, ibidem.

B.

BEneficiis Imperatoris obuiare, sacrilegij instar est, tit. 14.
Beneficio iuuari nos, non decipi oportet, tit. 5. §. rursus, nume. 2.
beneficium Principis decet esse mansurum, ab omni diminutione alienum, titu. 25. §. 1. nume. 1. in fine.
benemeriti sunt remunerandi, tit. 1. §. 1. num. 4.
benemerita quando sint specificè exprimenda in instrumento donationis remuneratoriæ, ibid.
benemerita sunt exprimenda in inuestitura, cùm Prælatus contra consuetudinem, intuitu meritorum inuestit fœminam, ibidem.
bellum si dominus procul à patria velit gerere, an eum comitari debeant vasalli, titu. 5. §. 1. nume. 1.
bello existente iusto, quod dominus mouet, vasalli acriter domino operam suam impēdent, ibidem.
bello iusto, nihil interest insidiis, an aperto marte res geratur, ibidem.
bellum iustum, an iniustum sit, si dubitetur, vasalli in dubio tali, dominum adiuuabunt, ibidem.
bellum si appareat palàm esse iniustum, quid facere debeant vasalli, ibidem.
bello domini palàm iniusto se admiscens vasallus, an possit resilire, & dominum deserere, ibidem.

C.

CApitanei Regni, vel Regis qui dicantur, tit. 1. §. Marchio. in tex. & tit. 14. §. si Capitanei. nume. 1.
Casus fortuiti an alicui præiudicare debeant, titu. 5. §. rursus. nume. 2. non procul à fine.
CLerici an possint feuda concedere, tit. 1. §. 1. nume. 1. & 2.
clerici quas res in feudum concedere possint, ibidem.
clericus potest concedere inuestituram feudi non vacantis, tit. 3. §. 2.
clerici successor an talem inuestituram ratam habere cogatur, ibidem.
clerici quas res possint infeudare, tit. 6. §. 1.
clericus feudi per alium possessi inuestituram concedens, si moriatur ante feudi possessionem, quid sit iuris, titu. 25. §. si dominus, nume. 1.
clerici non possunt res insolitas infeudare, tit. 1. §. 1. nume. 2.
clericus quando feudum, ad Ecclesiam reuersum, denuò possit infeudare, ibidem.

 Concessis

COncefsis fequentibus,etiam antecedentia concedi videntur, tit.4.§.fi quis de manfo. nu.1.
concefsio alicui pro fe, & fuis nepotibus facta, ad quos nepotes extendatur, tit.5. §. fimiliter. nume. 2.
concefsio facta de feudo, vt quis hoc teneat tanquam feudum paternum, ad quem gradum fe extendat, tit.8. §. hoc quoque. nume.4.
concubinā domini vitians vafallus, an priuetur feudo, tit.5. §. item fi fidelis.nume.1.in fine.
conductor, durante conductione,non poteft expelli, tit.2. §. 1. nume.1.
confcientia de fua quis interdum cogitur fatisfacere,fola fufpitione laborans, tit.4. §.item fi vafallus. nume.3. in fine.
confilium fanum, quantum poterit, vafallus domino impendere tenetur, tit.1. §.hoc autem. nume.2. verficu. denique.
confilium quando quis pofsit mutare in alterius detrimentum, tit.5.§.1. nume.1.
confentiens remotiorem inueftiri, ius fuum perdit, tit.5. §.præterea.
confentiens quomodo fibi irreuocabiliter præiudicet, pulchrè ibidem.
confentire an dicatur tacens, ibidem.
confentiat quis tacitè, vel expreffè, nihil refert, ibidem.
confenfus nullus eft errantis, ibidem.
confentire an videatur præfens, & non contradicens, ibidem.
confentire non videtur, quem pudor impedit refiftere, ibidem.
confentire debent omnes expreffè in rebus arduis, à collegio gerendis, ibidem.
confuetudo tribuit ecclefiafticis ius infeudandi, tit. 1. §.1. nume.1.
confuetudine non poteft induci, vt decimæ ecclefiafticæ laicis infeudentur, ibidem.
confuetudinem infeudandi mares, an Prælatus pofsit immutare, ibidem, nume.2.
confuetudine exiftente, primogenitum fuccedere in feudo, alij filij excluduntur, tit.1 §. & quia.nume.2.
confuetudo feudorum præiudicat iuri fcripto, tit.1 §. hoc autem.nume. 2.
confuetudo feudorū,optima ratione excludit fœminas à fuccefsione feudali, ibidem.
confuetudo loci poteft inducere, vt fœminæ fuccedant in feudo, ibidem, nume. 4. verfic.4.
confuetudo loci fpecialis derogat feudorū confuetudini generali, tit.8. nume.1.
confuetudo eft valida, permittens vafallum de feudo teftari, ibidem.
confuetudo vt primogenitus fuccedat in feudis dignitatū,rationabiliter eft introducta, tit. 1. §. & quia. nume.2.
confuetudinem oppidi obferuandam curabit Præfes prouinciæ, titu. 1 §. hoc autem. numero 2.
confuetudo feudorum permittit, vt de feudo viuentis pofsit dominus concedere inueftituram, tit.3. nume.1.
confuetudo inueterata, pro lege eft cuftodienda, tit.13 §. item in feudo. nume.1.
confuetudo difponens circa fuccefsionē in feudis dignitatum,inconuulfè obferuanda, tit. 16. & tit. 14 §. 1. nume. 1.
confuetudine induci poteft, ne feuda diuidantur, tit.5 §. item fi fuerit. nume.2.
confuetudo poteft præiudicare placitis feudorum, tit.8. nume.2.
Confuetudine aliquid poteft induci contra rationabilem vfum feudorum, tit. 13. §. item in feudo.
confueta feruitia, obfequia, & operæ funt præftandæ, tit.5. §.1. nume.1.
confueta quæ non funt,non videntur à contrahentibus cogitata, ibidem.
controuerfia inter vafallum poffefforem feudi, & dominum negantem inueftituram effe factam, exorta, quomodo terminetur, titu. 4. §. 1. nume.2.
controuerfia præfata quomodo finiatur, vafallo non pofsidente, ibidem.
cōtrouerfia inter dominum & vafallum quomodo dirimatur, quando feudum obtinēs ab aliquo,aliud quoq; ab eodem fibi deberi prætendit, eod.tit. §.fi verò. nume.1.
controuerfia excitata inter vafallum & dominū fuper inueftitura, vafallo feudum pofsidente, quomodo debeat terminari, plenè tit. 26.
controuerfia inter dominum & vafallum fuper feudo, quo probationis genere debeat fopiri, tit.26. §. fi quis fe.
controuerfia inter dominum & vafallum fuper re pignori data, quam vafallus iure feudi fe poffediffe dicit triginta annis, quomodo fit definienda. tit.28. & ibi nume.1.
controuerfia inter dominum feudi,& caftaldum, quo probationis genere fit dirimenda, tit. 2. §. fi verò caftaldi. & in tex.nume.1.
Contractus ex conuentione partium, legem accipiunt, tit.2. §.1. nume.1.
contrahens cum alio, debet effe non ignorans conditionis eius, tit.5.§.rurfus. nume. 2.
contrahentis incœftas & illicitas nuptias, omnia bona confifcantur, eodem tit. §. item fi fidelis. nume.2.in fine.
contumacia vafalli abfentis data aduerfario defertur facramentum, tit.26. & ibi nume.3.
cōtumaciter abfente vafallo in caufa feudali per appellationem deuoluta, poteft definitiuè pronunciari, etiam lite non conteftata, ibidem.

D.

DAmnū quod quis fua culpa fentit,fibi,& nō aliis debet imputare, tit.5. §.1.nume.1.
Damnum quis manu fua,an alio modo det,nihil refert, eodem tit. §. fimiliter.nume.1.
damnum poffefsionibus domini irrogans vafallus,periurium incurrit, ibidem.
damna in feditione perpeffa, per eum, eiúsve hæredes refarciri debent, cuius culpa ea feditio facta fuit, eod. tit. §. rurfus.
DEfenfionem alienam fufcipere, virile eft officium, & vltra fexum muliebrem effe conftat, tit.1. §. hoc autem.nume.2.
defenfio alicuius femel fufcepta, deferi nō debet ante finem negotij: & defenfionem fufceptam confummare,eft necefsitatis, vide pulchrè tit. 5. §.1. nume.1.
DIctio, &, quam habeat aliquando fignificationem, tit.6. §.quin etiam. nume.2.
dictio, Omnis, nihil excludit, tit.4. §.fi quis de manfo. nume.1.
dictio. Portio, quam habeat fignificationem, tit. 12. nume. 1.
difpenfatio Pontificis fuper incœftuofo matrimonio,non reftituit vafallo feudum, quo per tales nuptias femel fuit priuatus, titu. 5. §. item fi fidelis. nume.2.in fine.
difpenfatio pontificia intelligitur fieri fine iuris præiudicio alieni, ibidem.

Dolus

DOlus vasalli domino nihil iuris aufert, tit.4. §.1. nume.2.
dolus neminem debet releuare. ibidem.
dolus quando abesse censeatur, tit. 22. §.1. nume.1.in fine.
non nisi Dolo malo falsum committentes, crimini subiiciuntur, tit.17. nume. 1.
dominus administratores suos iustè offensus ab honore administrandi remouet, titu.2. §. 1. nume. 1. in fine.
dominus rem suam, quo velit pacto, possidendam alicui tradere potest, ibid. nume.2.
domini voluntas spectanda est, in feudorum concessione, ibidem.
dominus feudi, quantumcunque abiectæ conditionis, iurisdictionem habet in suos vasallos, tit. 1. §.marchio.nume.1.
dominus quisque moderator, & arbiter est rei suæ, tit.2.§.1.nume.2.
dominus an teneatur feudi possessionem præcisè tradere illi, cui concessit inuestituram, tit. 4.§.1. nume.1.
domino quam reuerentiam debeant vasalli, & curiæ pares, tit.4. §.si verò. nume.1.
domino feudum repetenti tanquã in guardiam à se datum, an incumbat onus probandi, tit. 4.§.item si vasalus. nume.1.
domino probãte, se in guardiam arcem dedisse, vasallus probare poterit, se eam iure recti feudi obtinuisse, ibid. nume.2.
domino agente contra vasallum feudi possessorem, & non probãte, possessoris qualis erit defensio, ibid. nume.3.
dominum offendens vasallus feudo priuatur, tit.5. §.aut si libellario.nume.3.
dominus feudũ vasalli, an sine eius consensu alij cõferre possit, tit.22. §.si quis fecerit. num.1.
donatio post contractum capitale crimen valet ante condemnationẽ, tit.4.§.rursus.num.2.

E.

ECclesia cultrix & auctrix iustitiæ non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se vel in alium, tit.13.
Ecclesia cum augmento non recipit, quod de terrenis rebus amisit, ibidem.
ecclesia quemlibet de crimine mortifero corripere potest: & per districtionem ecclesiasticam coercere, ibidem.
ELecta industria personę, si Princeps alicui quid committat, hoc delegari non potest, tit.5.§. item si quis. nume.1.
electa artificis industria, opus per eundem, & non per alium præstari debet, ibidem.
EMphyteusim an pater vni filiorum possit relinquere, tit.1. §. & quia vidimus.nume.1.
emphyteuta propria autoritate potest expelli, finita emphyteusi. Idem in colono, tit.11. §. insuper. nume.1.
de EVictione tenetur vasallus, si alij feudum concedens, id paulò pòst domino refutet, titu.5. §.rursus. nume.2.
de euictione regressum quis habebit cõtra eum, à quo ignoranter rei alienæ inuestituram accepit, & de euictione stipulatus, rectè agit de eadem, ibidem, in fine.

F.

FOEmina an succedat in feudo, latè tit.1. §. hoc autem. nume. 2.
Fœmina alienam defensionem non potest suscipere, ibidem.
fœmina non cælat secretum, ibidem.
Fœmina mutabilis, & semper varia.
fœmina sano caret consilio, ibidem.
fœminæ fragilitas in propriam perniciem aliquando conuertitur, ibidem.
fœminæ quibus casibus succedant in feudo, ibidem. nume.4.
fœminæ quando succedunt in feudo, tit. 6. §. quinetiam.nume.1.
fœmina semel per existentiam masculo à successione feudi exclusa, semper manet exclusa, ibidem. nume. 2.
quid iuris si masculus statim moriatur, ibid.
fœmina an, & quando succedat in feudo, tit. 8. §.filia. nume.1.2. & 3.
fœminæ & mares æqualiter ad successionem vocantur, tit.1.§.hoc autem. nume.1.
fœminæ optima ratione à successione feudi arcentur, tit.1.§.hoc autem. nume.2.
fœmina an succedat in feudo paterno, tit.8. §. filia. nume. 3.
feudum qui possint concedere, tit.1. §.marchio. uume. 1.
feudum quale diuidi nõ possit, tit.1.§. & quia. nume.2.versi.nono.
feudum guardiæ & castaldiæ quale sit: Itẽ quando possit reuocari, tit.2.§.1. nume.1.
feudum guardiæ cur anno tantùm duret vno, ibidem.nume.2.
feudum guardię aut castaldiæ tenens, quomodo probare debeat, si hoc afferat se iure recti feudi possidere, tit.2. §.si verò. nume.1.
feudi incrementa ad quem spectent, tit.4.§.si quis de manso.nume.1.
feudum ad quem reuertitur, si sit infeudatum per vasallum feloniãm in dominum committentem, tit.4.§.rursus. nume.2.circa finem.
feudum ad quem deuoluatur, si vasallus fratrem suum occidat, vel in dominũ delinquat, tit.5. §. similiter.nume.2.
feudum impignorari non potest, tit.5. §.aut si libellario.nume.1.
feudum ad dominum reuertitur per feloniam vasalli. ibidem.nume.3.
feudum in curte domini quis dicatur habere, ibidem. §.item si quis feudum. nume.1.
feudum paternum quod dicatur, tit. 8. §. hoc quoque. nume.4.
feudi nondum vacantis, quando possit inuestitura concedi, tit.9. nume.3.
feudum datum cum præfinitione certi temporis, effluxo tempore, mox per dominũ auferri poterit, tit.11. §.insuper.nume.1. Et quid si vasallus tunc venienti domino præcludat fores arcis feudalis, ibidem.
feudum per alium possessum an possit conferri, tit.22.§.si quis fuerit. nume. 1.
feudum quomodo constituatur, tit.25.nume.1.
feudum pecunia an emi possit, tit. 27. nume.1.
feudum ad quem deuoluatur, si eo propter delictum vasallus priuetur, tit. 5. §. aut si libellario.nume.3.
feudum duobus casibus potest vasallus libellario, aut emphyteutecario contractu alienare, tit.5. §. rursus.nume.1.
feudum potest vasallus liberè refutare. ibidem. nume. 2.
feudum conditionatum, & ad certum seruitium datum, an transeat ad fœminam, titu.6.§. quin etiam.nume. 1.
feudum paternum & antiquum quomodo differat, tit.8. §.hoc quoque. nume.4.

Feudum datum cum præfinitione temporis, elapso tempore, mox reuocari potest. tit. 11. §. insuper. num. 1.
Feudum tunc autoritate propria adimi potetit vasallo. ibidem.
Feudum an sine inuestitura acquiri posit, & constitui. tit. 25. nume. 1.
Filij an æqualiter succedant in feudum patris. tit. 1. §. & quia vidimus. nume. 2.
filij secundi matrimonij in feudo potiores. ibid.
filius factus clericus an succedat in feudo. ibid.
filius exhæredatus an succedat in feudo. ibid. versicu. vndecimo.
filij non succedent in feudum patris, si pater matrimonium contrahens pactus fuerit, ne succedant. tit. 1. §. & quia nume. 2. versic. sexto.
filius naturalis & adoptiuus non succedit patri in feudo. ibidem. versicu. 2. & 3.
filij fœminarum non succedunt in feudo. titu. 1. §. hoc autem. num. 3.
filij æqualiter in feudo succedere debent. titu. 8. §. 1. nume. 1.
filio permittitur, vt feudum à patre alienatum posit reuocare etiam viuente patre. titu. 8. §. hoc quoq; nume. 1.
filius hæres patris, an reuocet feudum à patre alienatum, ibidem.
filius & pater quomodo censeantur vna persona. titu. 14. nume. 1. versiculo, ego vt nunc delibero.
filij succedent in feudum matris. tit. 15. num. 2.
filia quando succedat in feudo. titu. 24. num. 1.
filij Ducum & Marchionum non succedũt æqualiter in feudo. tit. 1. §. & quia. nume. 2.
filiæ an succedant in feudo patris, si inuestitura permittat tam filias quàm filios posse succedere. tit. 8. §. filio. in tex.
filia quando succedat in feudo. ibid. nume. 1.
filia vasalli mortui an posit per dominum de feudo inuestiri. tit. 24. nume. 2.
FRater an succedat fratri in feudo, titu. 1. §. & quia vidimus. nume. 3.
fratres patrueles qui dicantur. tit. 1. §. hoc quoque. nume. 1.
fratris feudum ad quos deuoluatur. ibidem.
fratre alienante suam feudi portionem, an ad fratrem, seu ad dominum reuertatur. titu. 5. §. item si fuerit. num. 1.
frater an succedat fratri, quãdo ob delictum feudo priuatur. ibidem. nume. 3.
frater an succedat fratri in feudo nouo. titu. 8. §. in alio. nume. 1.
frater an succedat fratri in emphyteusi. ibid. nume. 2.
frater quando succedat fratri in feudo antiquo. tit. 19. num. 1.
frater quando succedat fratri in feudo nouo. tit. 20. nume. 1.
fratrem occidens proprium, feudo priuatur. tit. 5. §. similiter. nume. 2.
fratrem domini occidens, an feudo priuetur. ibidem.
frater contendens, se in portionem fratris succedere debere, quomodo probabit. tit. 12. in tex. & nume. 1.
fraus & dolus non fit scienti, & consentienti. tit. 2. §. 1. nume. 2. in fine.
fraudis interpretatio non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoque consideratur. titu. 17. nume. 1.
FVrioso dandus est curator. tit. 6. §. mutus. nu. 1.
Furiosus statum, & dignitatẽ, & magistratum, & potestatẽ retinet. tit. 6. §. mutus. nume. 1.
furiosi patris an filius posit esse curator. ibid.

G.

GEneri per speciem derogatur. titu. 8. §. 1. nume. 2.
Genus ducens à primario feudum acquirente, succedit in feudo antiquo, etiam centesimo disitus gradu, non existentibus proximioribus. tit. 14. §. si capitanei. nume. 2. in fine.
gesta per prælatum, quatenus successorem stringant. tit. 3. nume. 2.
GRatificari quando poterit dominus alteri gemellorũ in feudi succesione. tit. 14. §. 1. in fi.
gratificari quando poterit Rex alteri gemellorum in succesione regni. ibidem.

H.

HÆres eiusdẽ est potestatis, cuius defunctus. tit. 1. §. hoc autem. nume. 3.
hæredis & defuncti vna quodammodo est persona. ibid. & tit. 3. nume. 3.
hæres defuncti, inuestituram tenetur adimplere. tit. 3. nume. 3.
hæres tenetur præstare factum defuncti. ibidem.
hæres inuestientis, loco defuncti, tenetur feudũ tradere. tit. 9. §. 1. nume. 1.
hæres stipulationem defuncti in se suscipit. ibid.
hæres an teneatur præstare factum defuncti. Et an hæres filius, posit reuocare alienationem feudi à patre factam. tit. 8. §. hoc quoque. nume. 1. circa finem.

I.

IGnorantia qualis excuset delicta vasalli, titu. 17. nume 2.
Ignorans, adulterans vxorẽ domini, aut concũbens cum sacra moniali, an excusetur, ibid.
ignoranter subscribens instrumentum non relectum, an sibi præiudicet, tit. 5. §. preterea. nu. 1.
ignorantia probatur iuramento, tit. 1. nume. 1.
IMperator an vasallo posit adimere feudum, vide in dictione, Princeps.
imperator an ligatus sit legibus, Item an posit alicui ius suum adimere, tit. 1. §. notãdũ. nu. 2.
imperator non potest immutare feudi naturam ibidem.
imperator ligatur lege conuentionis, & contractus, ibidem.
imperator, vt alius quiuis, consuetudini feudorum parere debet, ibidem.
imperatori totus vbique terrarum orbis parere debet, tit. 14. vbi latisime de monarchia Imperatoris.
imperator non potest alicui cõcedere priuilegium omnimodæ exemptionis, ibidem.
imperatoris iudicio terminabitur causa feudalis inter Capitaneos, tit. 18.
imperator legem promulgat vrbi & orbi Romæ existens, tit. 19.
imperialis contractus vicem legis obtinet, tit. 25. nume. 1. in fine.
imperatoris beneficium decet esse mansurum, ibidem.
imperatorem quando vasallus vnà cum domino debeat accedere, tit. 26.
imperator est mundi dominus, tit. 14. nume. 1.
imperatoris legem omnes ditiones agnoscunt, ibidem.
imperatori orbis monarchiam astruunt dicta beatorum patrum, ibidem.
imperatoris ditionem omnes gentes agnoscere debent, ibidem.

impera-

Imperatoris monarchiam ipse cõprobauit Christus, ibidem.
imperatori iure diuino competit totius orbis monarchia, ibidem.
INcrementa feudorum cuius sint, tit.4. si quis de manso. nume.1.
incrementum aliud patens, aliud latens, ibid.
incremenntum latens pertinet ad vsufructuarium, ibidem.
infeudare an possit vasallus suum feudum.tit.4 §.rursus.nume.1.
infeudare possunt vasalli sua feuda, tit.5.§.aut si libellario, nume.1.
infeudatio à vasallo facta, quando ad dominum redeat, tit.4.§.rursus. nume. 2.
infeudatio an agnatis praeiudicet, ibid. num. 1.
infeudatio facta in proximum agnatum, non finietur morte vasalli infeudantis, ibid.num.2.
infeudans si ob culpam priuetur feudo, hoc ad dominum reuertitur, ibidem.
infeudatus per vasallum, potest compelli per dominum antiquiorem, ad seruitia feudi, & obsequia praestanda, ibidem.
infeudare non potest vasallus feudum, quod obtinet in curte domini, titu. 5. §. item si quis feudum.nume.1.circa finem.
infeudari an posśint res Ecclesiarum. titu.6. §. 1.nume. 1.
iniuria non fit in volentem.tit.5.§.item si fidelis.nume.1.
iniuria est maior, quae fit in domo domini, patris, aut mariti, ibid.num.2. nõ procul à fine.
instrumẽto remunerationis, & feudi, animo remunerandi, filiae concessi, an specificè benemerita sint inferenda, tit.1.§.1. num.4.
interesse praestando, an liberetur dominus, si facta inuestitura ei feudum non tradat, titu.4. §.1. nume.1.
interesse debetur, quum res tradi non potest, ibidem. in fine.
interesse omne tenetur is praestare, qui defensione alicuius suscepta, illam deserit, & ad finem non perducit, tit.5.§.1.nume. 1. circa finem.
inuestitura feudi nondum vacãtis an posśit con cedi, tit.3.§.1. nume.1.
inuestitura est duplex, tit.4.§.1. nume.1.
inuestito debetur feudum, ibidem.
inuestitura noua quomodo probari debeat, tit. 10.§.1. nume. 1.
inuestitura antiqua quomodo probetur, ibid.
inuestitura petẽda infra annũ, & mensem, nisi iustae excusent causę, & quę sint illae, tit.22.nu.1.
inuestitura tam à laicis quàm à clericis facta quo modo probetur, tit.26.
inuestitura feudi per alium possesśi, si concedatur, quid iuris, tit.27. §.si quis. & ibi num.1.
inuestitura nullam tribuit possesśionem, tit.4. §.1.nume.1.
inuestito praecisè feudi tradẽda possesśio, tit. 4. §.1.nume.1.
inuestituram an praecedat iuramentum fidelitatis, ibidem.
inuestito de feudo tenetur tam inuestiens, q̃ eius haeres, feudi possesśionẽ tradere, tit.9. in tex.
inuestitura feudi non vacantis, an, & quando concedi posśit, ibid. nume.1.
inuestituram faciens si condemnetur de crimine, & bona eius confiscentur, an fiscus illam ratam habere cogatur, ibidem.
inuestituram factam à Praelato, an adimplere teneatur successor, ibid.nume.2.
inuestitura feudi per alium possesśi, ita demum fieri poterit, si nullos haeredes habeat possessor feudi.ibid. num.3.
IVdex aequitatem ante oculos habere debet, tit. 7.§.1. nume.2.
iudices causae inter dominũ & vasallum motae, debent esse pares curiae, tit.10.§.1.nume.1.
iudex in controuersiis feudalibus, etiam actore non probante, iuramentum potest deferre reo. tit.4.nume.3.
iudex subtilitates non admittet, tit.7.nume.2.
iudex boni & innocentis viri officio fungi debet, ibidem.
iudices causae feudalis, quando appellatione ab eis facta, cogantur accedere Imperatorem, rationem de lata sententia reddituri, tit.22.§. sancimus.nume.1.
iudex solers, discretus, & aequitati obsecundare sollicitus, cuncta subtiliter dispensans, prouideat, quando ob causas in iure non expressas, vasallus sit feudo priuandus, tit.17. nume.2.
iudex est dominus, orta contentione inter suos vasallos, tit.18.nume.1.
iuramentum defertur vasallo annali possessori, tit.4.§.item si vasallus.nume.3.
iuramento vasalli quando probetur inuestitura.tit.10.§.1 nume.2.
iuramentum defertur propter inopiam probationum, ibidem.
iuramento domini quando stetur cum duodecim sacramentalibus, ibid. nume.3.
iuramenta fidelitatis qualia vasallus praestet domino, tit.1.§.hoc autem. nume. 2.
iuramentum ob reuerentiam personarũ aliquãdo nõ defertur, tit.4.§.si verò feudũ.num.1.
iuramentũ iudex deferre poterit, secũdum motũ animi sui, tit.4.§.itẽ si vasallus. num.3.in fi.
iuramenti remedium, ob probationis inopiam adhibetur, tit.10.§.1.nume.2.
iuramentum defertur vasallo possessori, tit.26. nume. 1.
ius acceptoris resoluitur iure datoris, tit. 4.§. rursus. nume.2.
iuris nemo plus in alium potest trãsferre, quàm ipse habeat, tit.1.§.hoc autem. nume.3.
ius suum nemo facilè iactare praesumitur, tit.5. §.item si fuerint.nume.3.
iure duplici nitentes praeferuntur his, qui vno solo nituntur.tit.6.§.mutus.nume.1.

L.

LEx posterior derogat priori, tit.1.§.notandum. nume. 1.
Lege non distinguente, nec nos distinguere decet, tit.4.§ si quis de manso.nume.1.
legibus amica est simplicitas, &
legislatores reiiciunt subtilitatem captiosam, tit.7. nume. 2.
lex quae à prae. C. de resti.mili. non obtinet locum in materia feudali, tit.8.§.hoc aũt.nu.1.
legum Romanarum autoritas non adeò se extendit, vt vincat vsus feudorum, ibidem.
lex differẽtiae causa si aliquid exprimat, eius tacita non fit repetitio, tit.5.§. item si fidelis. nume. 2.
legis prouisionem facit cessare prouisio hominis, tit.5. §.item si fuerint. nume.3.
lex municipalis dictans in honore aliquos esse praeferendos, intelligitur, si idonei sint, tit.6. §.mutus. nume.1.in fine.
LVdens turpiter cum vxore domini, feudo priuatur, tit.5.§.item si fidelis. nume.2.

Ludus noxius in culpa est, ibidem.
Ludos quis appellet, ex quibus crimina oriuntur? ibidem.

M.

MAnifestare debet vasallus domino, si insultum ei per alium sciuerit parari, tit. 5. §. similiter. nume.1.in fine.
Manifestans secretum domini, quando feudo priuetur, tit.17. nume.1.
mansus quid sit, titu.4. §. si quis de manso. in principio.
MEtus stupri, bonis viris maior, quàm mortis esse debet, tit.5. §. similiter.nume.2.in fine.
metus hostilis excusat quem à comparendo, tit. 22. nume. 1.
metu cuiuslibet potestatis veritatem occultans, iram Dei super se prouocat, tit. 14.
MOrtuus, & lætifere vulneratus, an æquiparentur, tit. 5.§.1. nume. 2.in fine.
mortis metus non maior esse debet, quàm stupri, tit.5.§.similiter, nume.2. in fine.
mortuus ilicò post natiuitatem, natus esse non videtur, tit. 6. §. quin etiam.nume.2.in fine.
mortuo vt viuo domino reuerentia exhibenda, tit. 21. nume.2.
mortuo statim masculo, an fœmina ad feudi successionem admittatur, tit. 6. §. quin etiam. nume.2. in fine.
mortuus ilicò quando hoc casu dicatur, ibidem.
moriente clerico, qui inuestituram concessit, an inuestitura euanescat, tit. 25. §. si dominus. & ibi nume.1.
MVtus an succedat in feudo, tit.,6. §. mutus. & ibi.nume. 1.
mutus quis dicatur, ibidem.
mutus fortuitus an retineat feudum, ibidem.
mutus sua culpa, vtputà, si ob delictum ei lingua præscindatur, an feudum retineat, ibid.
mutus feudum nouum an retineat, ibid.num.2.

N.

NAturaliter obligamur ad remunerandum benemerentem, tit.1.§.1.nume.4.
Naturæ accusatores esse dicuntur, inducentes differentiam inter marem & fœminam, quo ad ius succedendi, tit.1.§.hoc autem. num.2.
naturali causa inspecta, non distincto sexu, liberi succedunt, ibidem.
naturæ vitia an sint accusanda, vel an sit accusandum, quod natura produxit, titu. 6. §. mutus. nume. 1.
natura feudi ius illæsum filiis conseruat, si à patre alienetur, tit.8. §. hoc quoque.nume.1.
natura ea est feudi, vt donec masculus supersit, fœmina succedere non possit, etiamsi inuestitura filios & filias ad feudi successionem vocet.tit.8. §. filia. nume.2.
NEpotes ex filio, loco sui patris, in feudo succedunt, tit.1.§.& quia. & ibi nume.1.
nepotem occidens priuatur feudo.tit. 5. §.similiter. nume.2.
nepos appellatur filius fratris, ibidem.
nepotes quomodo succedant cum patruis in feudo, tit.8. §.1. nume.1.
nepos ex filio progenito, an præferatur patruo, titu. 14.
nepos succedit in locum filij, ibidem.

O.

OCcidens fratrem suum, vel domini, vel alium quemcunque, an feudo priuetur, tit. 5. §. similiter. nume.2. Vide in dictione, Priuatio.
OPinionibus variantibus, illam amplectemur sententiam, quæ meliori & subtiliori nititur ratione, tit. 7. nume. 2.
opinio crebrior seruanda, tit.8. §.1. nume.1.

P.

PActum cuius sit efficaciæ, tit.14. §.si duo. nume.1.
Pactum legis commissoriæ reprobatum est in feudis, tit. 17. & ibi nume. 1.
pactum legis commissoriæ etiam est reprobatum in pignoribus, ibidem.
pacto legis commissoriæ non obstante, res pignorata quandocunque lui potest, ibidem.
pactum si faciat pater, ne filij sibi succedant in feudo, an valeat, tit.1.§.& quia.nume.1.
pactum vt fœminæ succedant in feudo, est validum, tit.1 §. hoc autem. nume. 4.
pares curiæ quando debeant esse iudices, & testes, tit.10.nume.1.
de Parib9 vide latius in dictiõe, Testis, & Iudex.
partis ratione, quis aliquando consequitur totum, tit. 12. nume.1.
particulares non impedient, quo minus vniuersarũ gẽtium sit, & habeatur Imperator, tit.13.
pater an possit alicui filiorum, specialiter, exclusis filiis, relinquere emphyteusim, tit. 1. §. & quia vidimus. nume. 1.
pater an possit filium suum primogenitũ postponere in successione, & illi alium filium præferre, ibid. nume. 2.
paternum feudum quod dicatur, & ad quos spectet eius successio, tit.1.§. hoc quoq;. num.2.
paternum feudum quomodo probetur, tit. 4. §. cùm autem nume.2.
pater alienans feudum, an præiudicet filiis, tit. 8. §.hoc quoque. nume. 1.
pater, & filius, eadem esse persona ferè intelliguntur, & eadem caro, tit. 14.
pater, cui commissa est legatio, poterit substituere filium, ibidem.
patris vox, tanquam vox filij, ibidem.
patris personam repræsentat filius, ibidem.
pater moriens querelam inofficiosi testamenti, licet non præparatam, transmittit in filium. ibidem.
paterni feudi successio ad quos spectet, tit.14. §. si capitanei. nume. 2.
POEnam cogitationis nemo meretur, tit. 5. §. item si fidelis. nume. 2.
pœna non committitur, si quis rem prohibitam pignorare, generaliter pignorationi verbali subiiciat, sine possessionis traditione, tit. 5. §. aut si libellario. nume. 1.
pœnam quis in eo sustinebit, in quo deliquit, tit. 6. §. mutus. nume.1.
pœnam, quam quis suo facto meruit, & quam ex suo delicto sustinuit, sibi imputare debet, ibid.
PIgnori feudum dari non potest, tit.5.§. aut si libellario.nume.1.
pignoratione verbali nõ cõmittitur pœna, ibid.
pignorans feudum sine domini voluntate, aut alienans, feudo priuatur. eodem §.nume.2.
POssessio dolosa, aut violenta, nulli prodest, tit.4.§.1.nume.2.circa finem.
Possessio partis feudi, generat præsumptionem iuris ad totum feudum, tit.4.§.cùm autem, nume.1.
possessionem partis feudalis habens, an in aliis partibus debeat obtinere, ibidem.
possessio feudi quid operetur, tit.23.nume,1.
possidẽs feudũ triginta annis, pacificè & quietè, si im-

si impetatur, quomodo possesionem suam tueri posit, tit.28.& ibi nume.1.
Possessori aliquando incumbit onus probandi, tit.2.§.si però castaldi. nume.1.
possesio quomodo acquiratur, tit.4.§.1.num.1.
possesio sui benefici, nemini sine culpa auferenda, tit.7.§.1. nume.1.
possessoris melior est cõditio. tit.10.§.1.num.2.
possesionem suam, etiam violenter cuique licet defendere, tit.11. §.insuper.nume.1.
possessor Ecclesiæ vel Prælaturæ potest violenter rumpere domum Ecclesię,& indè iniustum & violentè occupatorē expellere, ibidem.
possesionis magnum est commodum, titu.12. nume.1.
PRælatus præsumitur acquisiuisse ab Ecclesia, tit.2. §.si verò. nume.2.
prælatus an teneatur habere rata,quæ gesit prędecessor, tit.3.nume.2.
prælato an debeantur frnctus dignitatis vacantis, ibidem.
prælatus feudum ad se reuersum, an alij posit infeudare, tit 6. §.1. nume.1.
præscriptio an obstet agnatis,quo minus posint reuocare feudum indebitè, & sine cõsensu eorum alienatum, tit.8.§.hoc quoque.nume.2. in fine.
præscribere an quis Princeps,seu Respublica posit,vt non subsit Imperatori, tit.14.
præscribi an posit iuri offerendi, tit.27. num.1.
præscriptione triginta annorum,an acquiratur feudum, tit.28.in tex. & num.1.
præsumitur quis acquisiuisse ex officio,quod gesit: & quid de officiali fisci, & thesaurario? tit. 2.§. si verò. nume.1.
præsumptio est pro vasallo, annali possessore, tit.26.§. si quis. nume.2. Et hæc præsumptio quo se extendat, ibidem.
præsumptio cùm fuerit contra posidentem,plenè de iure suo docere debet, tit. 2.§. si verò. nume.1. in fine.
primogenituræ ius, lege diuina & canonica approbatur, tit.1.§.& quia vidimus. nume.2. versicu.8.non obtinet.
primogenitus succedit in Ducatum,Marchionatum, & Comitatum, ibidem, versic.9.
primogenitus talis quid fratribus suis relinquere debeat, ibidem.
primogenitus Regis, post regnum susceptum natus,succedet patri in regno, non primogenitus ante illud, tit.14. circa finem.
primogenitus consentiens, secundò genitum de feudo sibi debito inuestiri, sibi irreuocabiliter præiudicat, tit.5.§.præterea.nume.1.
primogenituræ ius cedens, illud reuocare non potest, ibidem.
primogenitus Principis si nascatur mutus, patri in principatu nõ succedit:sed ad secũdò genitũ succesio defertur, tit.6.§.mutus.nu.1.circa fi.
princeps non potest vasallum suum, sine culpa, feudo priuare, tit..1.§.notandum. nume.2.
principi muto,prodigo, aut furioso,non adimendus Principatus, sed curator dandus, titu.6. §. mutus. nume.1.
princeps quare non posit vasallum suum absque rationabili causa,feudo priuare, tit. 1. §. notandum. nume.2.
princeps ligatur lege conuentionis, & contractus, ibidem.
priuari aliquis non potest feudo, nisi conuicta culpa, tit.1. §. notandum. nume.1.
Priuatur feudo vasallus, si dominum in acie deserat, tit.5.§.1.nume.2.
priuatur feudo, si cum vxore domini cõcumbat, aut operā dans vt cõcũbat. Priuatur etiam alias ob causas,vt latè tit.5.§.itè si fidelis.nu.1.2.
priuatur feudo vasallus,dominum assiliens, ibidem,§.similiter, nume.1. item.
priuatur,fratrē,aut nepotem ex fratre trucidans.
priuari ob quas causas debeat vasallus feudo, titu.17. nume.1.& 3.
priuari feudo non debet vasallus, sine conuicta culpa, titu.21. nume.1.
priuari ob quas debeat, ibidem.§.si quis miles. nume. 2.
priuatur feudo vasallus, si infra annum & mensem non petat renouationem inuestituræ, tit. 22. in tex.
probari quomodo debeat, feudum esse paternũ, tit. 4. §.cùm autem. nume. 2.
probatio incumbit domino repetenti feudum, tanquam in guardiam, à se datum, ibidem. §. item si vasallus. nume.1.
probatione facta, & attestationibus publicatis, an posit noua fieri probatio, & testium receptio, ibidem, nume.2.
probationis inopia, admittuntur alia adminicula, quæ alioqui non admitterentur, titu.10. §.1. nume. 2.
probare quomodo debeat creditor, si dicat,se de pignore esse inuestitum, feudi nomine, tit.11. §.1. nume. 1.
probare quomodo debeat vasallus incrementa feudi,vnà cum feudo sibi esse concessa, tit.4. §. si quis de manso. in tex.& ibi nume.2.
probationis facultas ne angustetur, admittuntur testes hæretici, domestici,& familiares, & con canonici, tit.10. §.1. nume. 2.
probare quomodo debeat creditor, dicens se de pignore iure feudi esse inuestitum, titu.11. in tex. & ibi nume. 1.
prodigo dandus est curator, vt furioso, titu. 6. §. mutus. nume.1.
proditoriè occidens hominem, feudo priuatur, tit.5. §.similiter. nume.2.
promisis in malis rescindenda fides, tit.5.§.1. nume. 1.
promissa incautè non sunt præstanda, ibidem.
promisio est impia, quæ scelere adimpletur, ibidem.

R.

RAtio in materia feudali non semper inquirenda, tit.2.nume.2.
Ratio omnium reddi non potest, tit.4. §. cùm autem. nume. 2.
ratio est summa, quæ pro religione facit, tit.7. nume. 2.
rationis loco aliquando est voluntas, tit.2. §.1. nume. 2. in fine.
ratio stricta nonnunquam à iudicibus omitti solet, tit. 7. nume. 2.
REmunerandi sunt benemerentes, pulchrè tit. 1. §.1. nume. 2.
remunerationis instrumentum, de benemeritis specificam faciet mentionem, vt insinuationi non subiaceat, ibidem.
remunerationis causa, feudum concessum reuocari non potest, tit.6.§.mutus. nume. 6.
renunciare quis potest pro se introductis, tit.5. §. præterea. nnme.1.
regis, vel regni capitanei qui dicantur. Item, qui regis vel regni valuasores, tit.1.§.marchio.in tex.

regia

Regia domus si interierit, & vnus de sanguine regio superest, etiamsi millesimo distaret gradu, tamen in regno succederet, titu. 1. §. hoc quoque. nume. 1. in fine.
reges, vt alij, subsunt correctioni Ecclesiæ, & Pontificis, tit. 13.
regalib⁹ in dignitatib⁹. quō fiat succesio, tit. 14.
regales dignitates ab Imperatore sunt concedendæ, ibidem.
regni succesio natis gemellis quomō fiet, ibid.
regis primogenitus succedet in feudo, qui post regnum à patre susceptum, non qui antea natus fuerit, ibidem.

S.

Sotorem domini vitians vasallus, feudo priuatur, tit. 5. §. item si fidelis. nume. 2.
Soror domini quæ dicatur in capillo, ibidem.
SPes concedi potest de feudo nondum vacante, tit. 3. nume. 1. ibidem.
spes futuræ actionis transferri potest, ibidem.
spes vendi potest, ibidem.
spōsam domini vitians an priuetur feudo, tit. 5. §. item si fidelis. num. 1.
SVbtilitas an probanda, vel improbanda sit, latè, & pulchrè tit. 7. §. 1. nume. 2.
subtilitas rationabilis approbatur, ibidem.
subtilitatem captiosam reiiciunt legislatores, ibidem, in principio.
succedere an filij debeant æqualiter in feudo, tit. 1. §. & quia vidimus. nume. 1. & 2. Vbi latè.
succedere in feudo an posint fœminæ, latè in tit. 1. §. hoc autem. nume. 2.
succedere æqualiter debent mares, & fœminæ, ibidem. nume. 1.
succedere qui debeant in feudo, quod ab originario accipiente, in descendētes suos fuit trāsmissum, tit. 1. §. hoc quoq;. nume. 2.
succeditur in feudo paterno per collaterales in infinitum, deficientibus descendētibus, etiamsi agnati tales distent centesimo gradu, ibid.
succedere in feudū an posit mutus naturalis, & accidētalis, latè in tit. 6. §. mutus. num. 1. & 2.
succedere in feudo quomodo filij & nepotes debeant. tit. 8. §. 1. nume. 1.
succedere in capita, an in stirpes debeant nepotes in feudo, ibidem.
succedere quomodo debeant in feudo agnati collaterales, ibidem.
succedere an debeat filius primogeniti mortui in vita patris, an secundò genitus, hoc est, an nepos excludat patruum, tit. 14. versi. qua vigente vsurpatione.
succeditur de consuetudine in March. Duca. & Comita. ibidem.
succedere quomodo debeant gemelli, ibidem.
succesio feudi ad quos deferatur, tit. 14. §. si capitanei. nume. 1.
succesio collateralium porrigitur in infinitum, ibidem.
succedens in ius alterius, iure eius vti debet, tit. 1. §. hoc autem. num. 3. in fine.
successor non debet melioris esse conditionis, quàm autor suus. Et
successori obstat impedimentū testatoris, ibid.
successor Principis non potest reuocare feudalem concesionem, factam à prædecessore, tit. 1. §. notandum. nume. 2. in fine.
succedere quomodo sibiinuicem debeant collaterales, tit. 8. §. 1. nume. 1.
succesio feudi paterni quibus deferatur, tit. 14. §. si capitanei. nume. 2.
Successor Prælati, an teneatur habere ratam inuestituram factam à prædecessore, tit. 3. §. 1. nume. 2.
successor an teneatur stare contractui prædecessoris, an eius debita persoluere, an eius locationem ratam habere, ibidem.
successori reseruantur fructus dignitatis vacantis, ibidem.
successor potest reuocare, quæ incōsultè, & irrationabiliter sunt facta à prædecessore, ibidem.
successor & antecessor in Prælatura non censentur vna persona, ibidem, nume. 3. in fine.

T.

TEmpus limitatum sua extremitate finitur, tit. 11. §. insuper, nume. 1.
Tempus modicum in locatione clericorū quod dicatur, tit. 3. nume. 2.
tempore feudalis concesionis elapso, expellere propria autoritate dominus vasallum potest, tit. 11. §. insuper. nume. 1. Similiter emphyteutam, & colonum, ibidem.
testamētum, seu ordinatio defuncti, an valeat in feudo, tit. 1. §. & quia vidimus. nume. 1.
testamento an posit disponi de feudo, latius titu. 8. nume. 2.
testari potest vasallus de feudo, si hoc permittat consuetudo, ibidem.
testari potest vasallus de fendo franco, ibidem.
testibus quibus inuestituræ controuersia sit diffinienda, tit. 26.
testibus ordinariis deficientibus, alij admittuntur, ibidem, nume. 2.
testes sacramentales quid deebeant deponere, tit. 26. §. si quis. nume. 1.
testatum breue quid sit, & quare ita appelletur, tit. 4. §. 1. nume. 1.
testibus quibus probanda inuestitura, ibidem.
testes an produci posint, post attestationes publicatas, & didicita testificata, tit. 4. §. item si vasallus. nume. 2.
testes erunt pares, cùm de inuestitura facta fuerit controuersia tit. 10. §. 1. in tex.
testes alij an admittantur, ibidem.
testibus sacramentalibus quando vasallus possesionem suam tueri debeat, tit. 10. §. 1. num. 2.
testes sacramentales qui dicantur, ibidem.
testes hi sacramētales quid iurare debeant, ibid.
testes admittuntur hæretici, inopia probationum. Item, domestici, & familiares, ibidem.
testes nolentes deponere, sunt cogendi, tit. 26. in tex.
testibus quot conuincenda sit culpa vasalli, tit. 21. §. 1. nume. 1.

V.

VAsallus dn̄m suum euntem in prælium debet comitari, tit. 1. §. & quia. nume. 2.
Vasallus quàm humiliter & deuotè se erga dominum suum debeat habere, titu. 4. §. si verò. nume. 1.
vasallus secundus qui feudum accepit à primo vasallo, domino antiquiori obligatur ad obsequia, tit. 4. §. rursus. nume. 2. in fine.
vasallus dominum suum euntem in prælium comitari debet, etiam procul à patria, tit. 5. §. 1. nume. 1.
vasallus quando debeat domino bellum gerenti operam suam impendere, ibidem.
vasallus se præbens domino comitem iniustæ expeditionis, quid iuris, si eum in medio bello deserat, ibidem.

vasallus

Vasallus feudo priuatur, si dominum deserat in bello non mortuum, nec mortiferè vulneratum, ibidem, num. 3.
vasallus an teneatur domini salutem suæ præponere, ibidem.
vasallus an possit vendere feudi commoditates ad tempus, tit. 5. §. aut si libellario, nu. 1. circa finem.
vasallus feudum alienans aut pignorans, sine domini voluntate, feudo priuatur, ibidem, num. 2.
vasallus quibus casibus possit feudum in alium transferre, ibidem. §. rursus, num. 1.
vasallus in præiudicium iuris alij quæsiti, feudum suum domino refutare potest, ibidem, num. 2.
vasalli an feudū inter se diuidere possint, tit. 5. §. item si fuerint. num. 2.
vasallus sine cognita culpa feudum non amittit, tit. 7. num. 1.
vasallus reuelans secretum domini, an feudo priuetur: Quid si hoc faciat per imprudentiam, non malo animo? tit. 17. num. 1.
vasallus quid iuret domino, tit. 5. §. 1. num. 1.
vasallus feudo priuatur, dominum in prælio deserens. tit. 5. §. 1. num. 3.
vasallus non tantum astrictus est domino quantum seruus, ibidem.
vasallus rem habens cum pedissequa domini, an priuetur feudo, tit. 5. §. item si fidelis, num. 1. in fine.
vasallus cum filia, nepte, nuru, aut sorore domini rem habens, feudo priuatur, ibidem, num. 3.
vasallus domino reconciliatus post culpam commissam, an postea ea de causa priuari possit, tit. 21. §. 1. num. 1.
VEndere an possit vasallus ad tempus, feudi cōmoditates, tit. 5. §. aut si libellario, num. 1.
verba præcedentia declarant, quæ generaliter & obscurè subsequuntur, tit. 1. §. hoc quoq; nu. 1.
verba sequentia legis, ad præcedentia sunt referenda, ibidem.
verba sunt ciuili modo intelligenda, tit. 4. §. si quis de manso. num. 1.
verbis genericis, an specificè debeant exprimi bene merita in instrumento remunerationis, tit. 1. §. 1. num. 1.
verborum nimia subtilitate, latitudo voluntatis contrahentium impeditur, tit. 7. num. 2.
Via concessa quomodo quis vti debeat, titu. 4. §. si quis de manso. num. 1.
viam per fundum vasalli dominus habere potest, ibidem.
VOluntas spectatur in maleficiis, non exitus, tit. 5. §. item si fidelis, num. 2.
voluntas, & propositum delinquentis, distinguunt maleficium, tit. 17. num. 1.
voluntas nocendi quum intercedit, crimen contrahitur, ibidem.
VXori maritus an succedat, tit. 15. num. 1.
vxor si lege Salica, aut ad Morganaticam ducatur, an filij succedant in feudo, tit. 1. §. & quia. num. 2.
vxor præsumitur acquisiuisse ex bonis mariti, tit. 2. §. si verò, num. 1.
vxores clarissimorum virorum, quàm diu gaudeant claritudine virorum, tit. 5. §. item si fidelis, num. 1.

FINIS INDICIS LIBRI PRIMI.

SEQVITVR INDEX LIBRI SECVNDI.

TERTII VERO ET VLTIMI LIBRI INDICEM IN CALCE OPERIS INVENIES.

INDEX INTERPRETATIONIS IN SECVNDVM LIBRVM *CONSVETVDINVM FEVDORVM.*

A.

A CONTRARIO argumēta fortissima, tit.16. §.si inter dominū, num.2.
Actor debet sequi forū rei, tit.15. §.vasallus superstite, num.1. & tit.16.§.si inter dominum, num.2.
Æquitas iudici semper ante oculos habenda, tit.14.§.1. num.1.
ALtero fratrum cohabitantium feudum consecuto,& mortuo, an ad alterum pertineat, tit.12.§.si duo fratres, num.1.
AN vasallus à domino spoliatus, coram paribus, interdicto, vndè vi, conqueri posśit, tit.22.§.si verò vasallus. num.1.
an vasallus à domino spoliatus, ipsum constitutione.l.si quis in tantam. C. vndè vi. cōuenire posśit, ibidem.
ARcanum domini quatenus velare teneatur vasallus, tit.7.§.est & alia, num. 2.

B.

BAro quis dicatur, tit.10.§.1. num. 1.
Barones, & Comites apud Germanos iidem, ibidem.
BReue testatum quod, tit.2.§.si enim dño. nu.1.
BVrgense feudum quod, tit.11. §.1. num.1.

C.

CAlumniari nō oportet iura, neq; verba eius captari, sed qua mēte quid dicatur animaduertendum, tit.9. §.donare autem. num.4.
capitanei qui, tit.10. §.1. num.1.
capitanei Regni, aut Regis qui, ibidem.
CItatio vasalli quando, & quomodo fieri posśit, & debeat, tit.22.§.1. num. 1.
CLerici feudali iudicio subiecti sunt, titu. 20. §.1. num.2. in fine.
clerici & Monasteria feuda obtinere possunt, tit.21. §.1. num.1. Declamatio longiuscula.
clericus aut Monachus desertor, feudo cadit, ibidem.
COnsuetudinē iuri præiudicare, tit.1.§.1. nu.1.
consuetudinē malam longa temporis series non confirmat, ibidem.
consuetudo loci specialis derogat feudorū consuetudini generali, tit.5. §.1. num.2.
contumax posseśsione feudi cadit, tit.22. §.1. num. 2.
contumaci appellatio negatur, ibidem.
constitutiones Cęsarū interpretationē recipiunt ex iure Pontificio, tit.8. §.quamuis, num.1.
CVi actio datur, eidem & exceptio competit, tit.8.§.rei autem, num. 2.
curiæ pares nullam habent iurisdictionē in feudalibus, tit.16. §.1. num.2.

D.

DE Repudiis nonnulla, tit. 8. §. quamuis enim, num. 1.
de feudo nulla potest fieri dispositio in vltima voluntate, tit. 9.§.donare autē, num.2.
delecti, & auctorati apud Romanos q dicti sint, tit.10. §.1. in fine.
deficiente persona quæ locū beneficio dedit, deficit & beneficium, tit.12.§.1. num.1.
deiectus eiectorem vicisśim deiicere potest incontinenti, tit.20.§.1. num.2.
Deprædare quid, tit.22.§.si verò vasallus, nu. 1.
DIgnitatem ampliorem nactus vasallus potest functiones dignitate sua inferiores per alios obire, eod.§.præterea si, numero 2.
disceptatio inter maritum, & agnatum, vbi agitanda sit, tit.15. §.1. numero 1.
dignior primo loco sententiam rogandus est, tit.16.§.1. num.1.
diuersis sententiis dictis inter pares, ea statur, quæ pro reo dicta est, ibidem numero. 2.
DOminus testes productos ad dicendam veritatem non compellens proprietate feudi non priuatur, titu. 2.§.si enim domino, num. 3.
domestici improbi maximè obesse possunt. tit. 5.§.1. numero 2.
dominus an alienare feudum posśit, titu.9. §. vltimo in fine.
dominus vasallos de feudo contendentes ad se vocare potest, tit.15.§.illud sciendum. nu.2.
dominum & curiam eius vasalli certantes, ne propter suspitionem quidem recusare possunt, ibidem.
domino excommunicato vasallus nihil tenetur præstare, ibidem.
dominus malo ordine feudum ingredi non debet, tit.22. §.si verò vasallus, num.1.
domini officium erga vasallum, ibidem.

E.

ECclesiarum feuda quomodo alienari posśint, tit.9. §.1. num.1.
Ecclesia lucrum damno alterius ne quęrat, eod. §. donare autem, num.2.
ecclesiastici dominos consilio, & re iuuare possunt, tit. 21. §.1. num. 1.
ERrantis nullus cōsensus, nec voluntas, eod.§. personam verò, num. 2.
ET venditor & emptor feudo cadunt, non accedente contractui domini consensu, tit. 3. sed etiam res, num. 2.

F.

FEudorum ius Romanis legibus cōtrarium, tit.1. §.1. num.1.
Feudales controuersiæ quibus rationibus dirimantur, ibidem, num. 2.
feudum in quibus rebus constituatur, eod. §. sciendum est, num. 1.
feudum quot modis acquiratur, ibid. in fine.
feudi noui concesśio quid, ibidem, num.3.
feudum paternum quomodo, & cui vendi posśit, eod §.sed etiam res, num. 2.
feudum antiquum illicitè alienatum ad quos deuoluatur, ibidem, num. 4.
feudum per interpositam personam acquiri potest, eod.§.personam verò. num. 1.
feudum vndè dictum, eodem. §. vltimo.
feudi noui concedendi ordo, tit.4.§.1.
felonia quid, tit. 6.§.dominus quoq;, num.1.
feudum oppignerari non potest sine domini consensu, tit.8. §.quamuis enim, num. 2.
feudum quando vasallus alienare sine domini consensu posśit, tit.9. §. 1. num. 1.
feudum donare quando, & cui liceat, eod. §. donare, num.1.

Feudum le-

Feudum legare an liceat, ibidem, nume.2.
feudum an in dotem conferri posſit, ibidem, nume. 3.
feudum an locari poſsit, ibidem, nume.4.
feudum ad quos per ſucceſsionem deueniat, tit. 11. §.1. nume.1.
feudalis ſucceſsio in plæriſque à ciuili diſcrepat, ibidem.
feudalis ſucceſsio non hæreditario iure, ſed domini beneficio defertur, eod. §. his verò. nu.1.
feudum paternum quod appelletur, ibidem.
feudalis ſucceſsio ſuum aſpicit ſtipitem, ibidem. Et tit.14. §.1. num.1.
feudorum vſus iuri ſcripto derogat, tit.12. §. ſi duo fratres. nume.2.
feudum communi facultate acquiſitum, ad acquirentem ſpectat, ibidem, nume. 3.
feudum à muliere in dotem dari poteſt, titu.13. §.1. nume. 1.
FIdes præſtanda non eſt ei, qui contra fidem mo litur, tit.3. §. vlti. nume. 1.
fidelitas in materia feudali quid, tit.4. nume.2.
FOEminæ feuda concedere poſſunt, tit.3. §. ſed vtrum. nume. 1.
fœminæ per conſuetudinē acquirere poſſunt iuriſdictionem, eod. §. fœminam. nume.1.
fœminæ luxurioſè viuenti, bonis interdicitur, ibidem.
fœminæ in feudo quando ſuccedant, tit.11. §.1. nume. 1.
fœminæ quomodo feudi capaces fiant, titu. 17. §.1. nume.3.
FRrangenti fidem fides frangatur eidem, tit. 3. §. vlt. nume.1.
fratrum quoq; gratia rara, Hemiſtichium ex Ouidio, tit.5. §.1. nume.3.
fraus nulla inter dominum & vaſallum exiſtere debet, tit.8. §. quid ergo. nume.1.
fructus feudi ab altero acquiſiti, cōmunes ſint inter fratres cohabitantes, tit.12. §. ſi duo frat.
FVrioſus nullum negotium contrahere poteſt, tit. 3. §. inueſtitura. nume.1.

I.

IGnoranti tempus non fluit in præiudicium, tit.9. §. donare. nume.1.
IMperij nihil tam proprium, quàm legibus viuere, tit.15. §.1. nume. 1.
INfames teſtes eſſe non poſſunt, tit.19. §.1. nu.1.
in controuerſiis feudalibus ſeptem conſideranda, tit.1. §.1. nume.2.
infamium teſtimonia quādo recipiantur, tit.19. §.1. nume. 1.
infeudatio ſpecies alienationis, tit.3. §. ſed etiam. nume. 1.
in fraudem legis machinans precio ac beneficio carebit, ibidem, nume. 3.
iniuria non timenda ab eo à quo promanant iura, tit.15. §.1. nume.1.
in legibus aut conſtitutionibus contrariis ſtandum eſt, vlti. ibidem.
in rebus mobilibus nulla ciuilis poſſeſsio, tit. 1. §. ſciendum. nume.1.
inſtrumentum publicum quod dicatur, tit.2. §. ſi enim. nume.1.
inter contrahentes ſemper id actum videtur, vt hæredibus conſulatur, tit.18. §.1. nume.1.
inter vaſallum & libertum diſcrimina, tit.22. §. ſi verò. nume.1.
Inueſtituræ tenor vniuerſæ feudi naturæ derogat, tit.1. §.1. nume.1.
Inueſtitura duplex, tit.2. §.1. nume. 1.
Inueſtituræ propriæ effectus & ratio, ibidem.
inueſtituræ abuſiuæ conceſsio, quotum & quot præſentiam requirat, ibidem.
inueſtitura alia feudi noui, alia antiqui, per quos, & quomodo vtraque concedatur, tit. 3. §. 1. per totum.
IVri Romano derogat aliquando mos & lex municipalis, tit.1. §.1. nume.1.
iuramentum an requirat Euangeliorum corporalem tacturam, tit.2. §. ſi enim. nume.2.
iurandi formula, tit.5. §.1. nume.1.
iudicare quid, tit.9. §. donare autem, nume.2.
iudicis officium ex Cicerone, tit.11. §. ſi verò. nume. 2.
iurare nolle, iuramento delato, manifeſtæ eſt turpitudinis & confeſsionis, titu. 15. §. item placet. nume. 1.
iudici ordinario ſuſpecto alij non ſuſpecti adhibendi, eod. §. illud ſciendum.
iudex conſanguineus recuſari poteſt, tit.16. §.1. nume.2. in fine.
iudiciorum mos intactus ſeruandus, tit.22. §.1. nume. 1.
iudex remotis affectibus, ſecūdum iuris formam, lites dirimat, eod. §. ſi verò. nume. 1.
iudicans ſciat & ſe iudicatum iri, ibidem.

L.

LEgata diuiſionē non recipientia tota ad legatarium pertinent, titu.12. §.1. nume.1.
Leonis Papæ conſtitutio, tit. 21. §.1. nume.1.
Leo Papa vltor ſui gregis in omnibus, ibidem.
LIberis, & ex iis deſcendentibus, deficientibus, qui proximi cenſendi in ſucceſsione, titu. 11. §. his verò. per totum.

M.

MAlitiis non indulgendum, titu. 16. §.1. nume. 1.
Matriculari qui, tit.10. §.1. nume.2. in fine.
maſculi præferendi fœminis in feudi ſucceſsione, tit.17. §.1. nume.2.
MEns domini quō cuſtodiatur, tit.5. §.1. nu. 2.
MOs Cathelanorum & Hiſpanorum, titu. 22. §. ſi verò vaſallus. nume.2.
monachus aut clericus factus, an feudum retineat, tit. 21. §. 1. nume.1.
modicum tempus quod, eod. §. donare. num.1.
MVnicipia in fraudem imperialis conſtitutionis nihil vſurpent, tit.9. §.1. nume.1.

N.

NAturalia immutabilia, tit. 7. §. 1. nume.1.
NEmo poteſt alteri præiudicium facere, tit.8. §. è contrario, nume.2.
nepos an materteræ feudi ſucceſsionem præripiat, tit.17. §.1. nume.2.
neceſsitas facit, vt à lege & à conſuetudine licitè recedatur, tit.2. §. ſi autem. nume.1. Et tit.9. §. 1. nume. 1.
NOſtra ſine facto noſtro ad alium transferri non poſſunt, tit.17. §. 1. nume.2.

O.

OBſeruandum in iure, vbi factum narretur, & vbi ius ſtatuatur, tit.9. §. donare aūt. nu.3

P.

PActa etiam contra communem feudi naturam inueſtituræ adiecta, ſeruanda, titu.1. §.1. num.2. Et tit.2. §. præterea. nume.1. Et tit.18. §.1. nume.2.
pactum turpe an inueſtituram reuocet, ibidem.
paradogum quid, tit. 10. §. 1.
pares eligi debent omni carentes ſuſpitione, tit.16. §. 1. nume.2. in fine.

Pedagogum quid, tit. 10. §. 1.
personæ qualitas spectatur, tit. 12. nume. 1.
PIgnus consultum cur dicatur, titu. 8. §. quamuis. nume. 1.
PLebei qui, ibidem.
POpulus innocentes sæpe criminatur, titu. 19. §. 1. nume. 1.
possessionem dare maius est, quàm inuestituram concedere, tit. 2. §. 1. nume. 1.
possessio annalis, & repetita annua præstatio, vasallo præsumptionem parit, eodem. §. si verò. nume. 1.
possidenti non semper defertur sacramentum, tit. 11. §. si verò. nume. 2.
PRæsumptio pro vna parte probãdi onus transfert in alteram, ibidem, nume. 1.
Præpositus plumis superbit alienis, tit. 15. §. illud sciendum. nume. 2.
prædam aliquando quis restituere non cogitur, tit. 22. §. si verò. nume. 1.
priuilegiorum confirmatio seu innouatio, an ius nouum tribuat, tit. 3. §. 1. nume. 2.
probationis facultas non est in arctum contrahenda, tit. 2. §. si autem. nume. 1. Et tit. 19 . 1. nume. 1.
probatione plena vtrinque deficiente, quid iudex facere debeat, tit. 11. §. si verò. nume. 1.
probationis inopia ad iurisiurandi religionem confugere cogit, tit. 2. §. si autem. nume. 1.
prohibitio alienationis feudi quomodo fieri debeat, tit. 9. §. porrò siue. nume. 1.
propinquitatis & familiaritatis affectio, veritatem impedit. tit. 16. §. 1. nume. 2.

Q.

QVÆ sit potestas vasalli in rem feudalem, tit. 8. §. rei autem. nume. 1.
Quæ adiectiones feudi domino cedant, quæ nõ, eod. §. è contrario. num e. 1.
quando vasallus domino fidelitatem exhibere non cogatur, tit. 3. §. nulla autem. nume. 2.
quartam vxoribus trifariàm contingere, tit. 8. §. quamuis. nume. 1.
quare quantitas, ibidem, in fine.
quando superstiti de fratribus, de feudo nouo inuestitis, defuncti portio accrescat, tit. 12. §. 1. nume. 1.
qui inuestiri possint, tit. 3. §. personã verò. nu. 1.
qui in alterius potestate est, nihil suum habere potest, ibidem.
qui ius habet faciendæ rei principalis, is habet & ius faciendæ rei accessoriæ, tit. 8. §. rei autem. nume. 2.
qui iudices, domino & vasallo contendentibus permittendi sint, tit. 16. §. 1. nume. 1.
quod in fauorem alicuius introductum est, id ei iacturam inferre non debet, tit. 2. §. si enim. nume. 3.
quod non mutatur, stare non prohibetur, tit. 3. §. sed etiam. nume. 3.

R.

RAtio agendi contra dominum spoliantem, tit. 22. §. si verò. nume. 2.
REs quas alienare non licet, nec in feudum dari possunt, tit. 3. §. sed etiam. nume. 1.
Res tanti æstimanda est, quanti emptorem inuenire potest, ibidem, nume. 2.
resoluto iure datoris, resoluitur & ius acceptoris, ibidem, nume. 3.
reo potius quàm actori fauendum, titu. 11. §. si verò. nume. 2.
reconuentio locum habet coram paribus, tit. 16. §. 1. nume. 2.
restitutio quomodo petenda à domino, titu. 22. §. si verò. nume. 1.
ROmani supra ducentos annos propriis impendiis militarunt, tit. 10. nume. 2.
Quando sumptibus publicis militari coeperint, ibidem.

S.

SAcramentum fidelitatis aliquis per se, vel per alium præstare potest, tit. 3. §. sed vtrum. nume. 1.
SCienti & volenti nulla fit iniuria, nec dolus, tit. 8. §. 1. nume. 1.
SEruus inuestiri potest de feudo, tit. 3. §. personam. nume. 1.
seruitus feudo à vasallo imposita, dominum non astringit, tit. 8. §. quid ergo. nume. 1.
seruitus antiqua nocet domino, ibidem.
sex sunt, in quibus vasallus domino fidelitatem præstare debet, tit. 6. §. 1. nume. 1.
SI controuersia sit inter dñm & agnatos defuncti, vtrùm feudum paternũ, an nouum sit, cui parti probatio incũbat, tit. 10. §. si verò. nu. 1.
SOldatæ feudum quod, ibidem, nume. 2.
soldata, qualis vox, ibidem.
solidati qui, ibidem.
SPoliatus ante omnia restituendus, tit. 20. §. 1. nume. 2.
spoliatus quando non restituatur, ibidem.
SVbditorum duo genera, tit. 3. §. 1. nume. 1.
subinfeudario quæ stabilis, quæ instabilis, tit. 9. §. si verò. nume. 1.
subinfeudatus quomodo feudi possessionem seruare possit, ibidem.

T.

TEstes suspecti, qui modò se non recordari dicunt, modò testimonium, quasi recenti memoria proferũt, tit. 2. §. si enim. nu. 2.
Testamentum vasalli, in quo de feudo disponit, quando firmum, tit. 9. §. donare. nume. 2.
Testium conditio quæ intuenda, quæ fuit, an quæ est, tit. 19. §. 1. nume. 1.

V.

VAsallus cui feudum suum infeudare possit, tit. 3. §. sed etiam. nume. 3.
Vasallus quomodo iuret, tit. 5. §. 1. num. 1. & seq.
vasallus domino feudum deterius facere non potest, tit. 8. §. quid ergo. num. 1.
valuasor maior quis, tit. 10. §. 1. nume. 1.
valuasores minores, seu valuasini qui, ibidem.
valuasores minimi qui, ibidem.
VIm vi repellere quando liceat, tit. 20. §. 1. nume. 2. Et nota morem Cathelanorum, & Hispanorum, tit. vlt. in fine.
vindicta priuata cui, & quando cõcessa, ibidem.
VXori vasallæ sine liberis decedenti quando maritus succedat, tit. 13. §. 1. nume. 2.

FINIS.

ILLVSTRI PRINCIPI, CLARISSIMOQVE HEROI, DOMINO HENRICO COMITI A NASSOV, MARCHIoni Zenetten, *Comiti Vianden, Catzenelnbogen, Cyden. & Dietzen. Bredano, Diestensi, & Grunbergen Domino, Protocamerario Cæsareæ & Catholicæ Maiestatis, eiusq; Ordinis aurei Velleris militi, Mæcenati suo colendißimo,*

Fridericus Schenck ex liberis Baronibus A TAVTENBERG, SALVtem, *& nouo ineunte anno, literariam strenam.*



VANDOQVIDEM, AVTORE PLVTARCHO iustitia legis est finis: Lex autem Principis opus: Princeps verò Dei simulachrum administrantis vniuersa, perquàm rectè salubriterq; mihi facere videntur, qui de legibus, cognitionécq; iuris, cõscripta monumenta principibus dedicare viris consueuerũt, inclyte Heros, Mæcenas vnicè venerande, Vtpote qui suam velut opifici materiam suggerentes, non de principe tantum, sed de omnibus etiam, qui Principis reguntur imperio, mereantur bene: simul & dispensantes, fructuosa cum industria, talentum sibi concreditum, diuinitus quoque vberrimam pij laboris remunerationem consequantur: Cùm enim ad iustitiam erudiunt multos, diuiniloquo teste Propheta, quasi splendor firmamenti, quasiq; stellæ, in perpetuas fulgebunt æternitates. Proinde hoc identidem animo reuoluens mecum, posteaquam relicta illa functione, qua me superiore lustro, dicundo iuri, apud auditorium suum Imperiale, Cæsarea præfecerat Maiestas, vitæ priuatæ ocióq; laxiori essem restitutus, haud temere aliud, vel prius, vel antiquius duxi, q̃ temporis opportunitatem, rei longè preciosissimæ, talibus literarum studiis mancipare, quibus tum gentilitius stemmatis honos, gloriáq; à maioribus suscepta, per me quoq; ad posteros transmittatur: tum etiam aliis suppeditetur compendij, vsusq; nonnihil, vel ad Reipublicæ munera, vel ad tribunalium subeunda officia, momentum obti-

nentis. Equidem ab ineunte ætate, semper in animum induxi, optimarum literarum, & præcipuè legalis philosophiæ nostræ disciplinam esse titulis omnibus caducis speciosiorem, non in marmore, aut ære, sed monumentis sempiternæ gloriæ incisam, generis stemmate clariorem, diuitiis Crœsi opulentiorem, honoribus, ac fascibus sublimiorem, cunctis deniq; extrariis, fluxis, caducis, euanidisq; rebus (quantumuis personata quadam, vmbratiliq; fucatæ beatitudinis specie, imprudentum perstringant oculos) præstantiorem, solidiorem, ac stabiliorem: vtpote cuius ductu ac nixu mundus subsistat, reges regnēt, mortales efficiantur immortales, qui corporea soluta compage, cœlestibus iunguntur, velut sydera, in firmamento celi, perpetua fulgentes claritate. Immortalitatem quippe non fortunæ bona, non rerum humanarum præsidia, non fluxi splendor fastigij, non imagines, non collossi, non statuæ, non pyramides, non arcus triumphales, non alia denique sumptuosa hoc genus monumenta, sed diuini humaniq; iuris tribuunt disciplinæ. Harum enim gloriam nulla vetustas, nulla temporum iniuria, nllaq; penitus obliuio abolebit. Illa verò inter laudantium ora euanescuut, omnibus casibus, omnibus semper obnoxia ruinis. Quarū meditatione rerum impulsus, statui & ego, pro ingenioli modulo, talentuloq; concredito, quippiam conari, progignere, in mediumq; proferre: quo mihi apud summi, omnisq; boni dispensatorem, vtcunq; vitæ transactæ constet ratio, pariter ad alios scatebra literarij quæpiam vsus (modico licet alueolo) promanet. Qua de causa à teneris vnguiculis, iuris vtriusq; studiis innutritus, & mox à prima lanugine, iudicum subselliis collocatus, vtpote in consilium Cęsaris ante annos vndecim, quod secretum vocant, viuente inclyta heroina Margareta, Diui Maximiliani filia, accitus, quædam ad forensis palestræ exercitium iurisq; dicendi normam consentanea, duobus libellis congessi: non quidem ex vllo glossematum conglomeratore, sed ex ipsis purissimis fontibus iuris ciuilis ab Imperatore Iustiniano, perquàm limpide repurgatis. Cum enim viderem miris latifundiis causarum meandros inuolui, mirisque implicari labyrinthis, mihi verò assiduè apud tribunalia considendum esset, relegēs totum ciuilis scientiæ Corpus, locos quosdā cōmunes, quibus ceu diario vterer, velutq; indice rerum sæpius agitandarum concinnaui: non ex Speculatore illo, vt nuper sciolus quidam, titulos duntaxat submittens oculis, non rem ipsam, lectionis, iudicijq; libripendio trutinans, deblaterauit:

terauit: sed ex ipsis iuris vtriusq; penetralibus, textibúsque ipsis: adeò vt ab hoc hominum genere, qui pro suo more, adhuc glandibus vescuntut, frugibus repertis, non vulgaris mihi etiam sit calumnia metuenda, quòd textualis sim (vt aiunt) & non disputem ad partes, vt ipsi solent, purissimũ iuris gurgitem, perenniq; dulcedine fluentem, cœno, ac illuuie fœdissimè conspurcantes. Porrò & iuris conclusiones nonnullas, quibus litigatorum controuersiæ in Auditoriis Principis diremptæ fuerunt, compendiosè in libellum redegi. Nam omnes, quas multus rerum vsus suppeditauit, vno tempore, in vnum cogere volumen, operæ fuerit prolixioris. Prodit igitur in præsentiarum Tomus Cõclusionum Iuridicarum primus: Reliquis (si dexter aliquando sit Mercurius: imò si Deus cœpta nostra secundet) caput quoq; suo tempore exerturis. Postremò cum inter principes & magnates, creberrimæ apud consistorium Imperialis Cameræ (cui ferè quadriennio, iudicis loco, præfui) summique momenti feudalium causarum lites suscitarentur, perspicuam quandam & compendiosam, minimèq; ambitiosam, sed velut proprio Marte in feudorum vsus, alioqui difficiles, intricatos, ac tortuosos, interpretationem sum aggressus. Hoc enim malui, quàm noua quadam ordinis excogitata ratione, feudalem materiam complecti, idq; ne messem ex semente aliena mihi viderer comparasse. Quum post alios, Bartholomeus quoq; Baraterius, consummatissimus iuris vtriusq; professor, eam insumpserit operam, vt librum feudorum reformârit, ac in breue reduxerit opusculum, Duci Philippo Mariæ dono quondam oblatum, vt in præludiis feudorum commeminit Iason: prodieritq; hisce dieb. mihi ante has lucubrationes non visum, In vsus feudorum Zasij Iureconsulti eximij compendium quoddam, & dilucida breuitate, & ordinis elegantia commendabile. Videbar itaq; mihi precium operæ facturus, si iuxta receptum ordinem titulorum, eam iuris partem pro virili illustrandam susciperem. qua vix alia, vel vtilitate patet latius, vel rerum pondere præcellentior existit: Vtpote, quæ non plebeis, pullatęq; turbæ, sed magnatibus, principibus, ipsisq; adeò regibus leges præscribat, non de rebus vulgaribus, sed ipsa rerum summa: nempe qua Principis fortunas possident, ditione vniuersa; quæ omnibus ferè per sacrum imperium terris, hoc seculo, beneficij feudalis iure censetur. Ad hunc conatum natales mei inuitare etiam me videbantur: quos ex vetusto Baronum Imperij sanguine constat profluxisse. Calcar etiam sub

 debat

debat ipſa rei indignitas,quòd rem tam ſublimem,breuibusq; regulis adſtrictam,tam confuſè,tam abiectè,tam adulterinè,tam inconcinnè,tractatam ne dixerim, an raptatam, iactatamq; ſurſum ac deorſum à gloſſatoribus viderem. Nam,vt alios omittam, Aluarotus ille,qui inter feudorum commentatores videtur præcipuus, quantam voluminis partem implet cōtinuationibus, diuiſionibus,ſummariis, caſuum poſitionibus, literæ (vt ipſe ait) expoſitionibus? Quibus velut infantibus cibum præmanſum in os inſerit,non minus ridiculè,quàm tędioſè,certè nullo cum fructu legētis. Quot inſuper exoticas, nihilq; inſtituto conſentaneas quæſtiones,velut obtorto collo, in rem feudalem contorquet? Quoties cum deliris gloſſatoribus delirat, & (vt in prouerbio eſt) hircum mulgenti ſupponit cribrum? Quoties corruptè, citràq; iudicium, textus iuris profert,citatq;? Quoties vmbratica pro veris, ſuppoſititia pro natiuis, ſuperuacanea moleſtia repetit,& inculcat? Vt interim taceam,quàm craſſa Minerua,barbaráq;,ac ſubuentanea loquentia per aſperos, ac cōfragoſos anfractus lectorem circumducat. Quanquàm non tam homini, quàm ſeculi iniuriæ hæc videantur imputanda. Nam quod ad ipſum attinet, quantum vel induſtria,vel ingenio potuit, feudorum iura explanatiora reddere ſtuduit: prout illius ætatis pingue iudicium permiſit. Verùm enimverò rerum forenſium mole preſſum, prælibata,quæ incęperam, opera, lites ex litibus, rediuiua ſemper pullulatione naſcentes,ad periodum perducere non ſinebant,Itaq; tandem eccleſiaſticæ meæ vitæ reſtitutus, (quam hactenus maiore cum literarum, quàm ſacerdotiorum fructu, iam annum ætatis meæ trigeſimum agens tertium, exegi) fœturas quondam inchoatas, non humani ſolùm,ſed diuini etiam iuris (vt breui,auſpice *CHRISTO*,apparebit, vtcunq; abſolui. Ex quidus, ceu guſtum aliquem literariæ præbens induſtriæ, Libri vſuum feudorum prioris interpretationem: Et de iis, qui in iudicio verſantur : Deq; actis ciuilium iudiciorum,Libros duos,quos Fori progymnaſmata libuit appellare, quum velut prima ſint tyrocinia forenſis militiæ. Item Viridarij Concluſionum Iuridicarum Tomum primum, Celſitudini tuæ, velut primariæ meæ erga eandem obſeruantiæ arrabonem, dédico, conſecróq;. Cui enim, hoc ſeculo,potius mea ſtudiorum deſudet officina,quàm ei,qui noſtro in orbe,ſtudioſorum, doctorúmq; omnium ſit Mæcenas,aſylum,ac præſidium ſingulare? quiq; eruditionem omnibus ornamentis exiſtimans prętabiliorem,pręclariſſimæ

riſſimæ indolis filium tuum, Aurariæ Principem, forma conſpicuum, ingenio præcellentem, eloquio diſertum, ita curaſti bonarum artium erudiri diſciplinis, vt magnis in re literaria progreſſibus factis, non alieno, ſed ſuopte nitens præſidio, velútque ſuo Marte, Latinos quoſuis autores non intelligat ſolùm, verumetiam iudicio, cenſuræq; ſubmittat. O parentem, omni æuo, perenni laudum præconio celebrandum, qui non ſolum ampliſſimas opes, florentiſſimum patrimonium, & longè latèq; patentes ditiones, ſed literariæ etiam poſſeſſionis nunquam intermorituram hæreditatem, filio principi relinquat: Qui cum genus per ſe clariſſimum, ſtudiorum gloria, & omnifariàm virtutis ſplendore illuſtret, quid eſſe queat tam auguſtum, quod de ea ſibi polliceri non poſſit orbis? Sed quemadmodum de Carthagine dixit Saluſtius, ſilere, quàm de huius Herois laude, pauca dicere, præſtiterit. Iam verò, quàm hoc memorabile, quod coniugem quoq; tuam, clariſſimis ortam natalibus fœminam, præter alia ſexus ornamenta, literarum etiam ſtudiis condecorari conſpicimus? Quæ ſuæ in re literaria inſtitutioni, Ludouicum Viuetem, Hiſpani ſanguinis virum, & doctiſſimum philoſophum, & eloquentiſſimum pręfecit oratorem: Quo moderante, inſignis Heroinæ, roſeo ab ore, iam verba Latina, poetarum verſus, rhetorum ornamenta, ſententięq; philoſophorum, ceu nectar & ambroſia deſtillant. Quæ ſi, vt cœpit, huiuſmodi gemmis ſe ornare perrexerit, haud vano ductus præſagio, plane auguror futurum, vt Hecubæ Priami, Creuſæ Aeneæ, Artemiſiæ Mauſoli, Monimæ Mithrydatis, Atoſſæ Darij, Ariadnæ Minois, Portiæ Bruti, Plotinæ Traiani, reliquisq; laudatiſſimis fœminis, animi, naturæ, morũq; dotibus, haud quaquàm ſit ceſſura. Præterea hanc dedicationem vel ob id mihi ſuſcipiendam exiſtimaui, quòd non ſolum inclytas tuas ditiones, iuſtitiæ, iuriſque norma adminiſtres, ſed te etiam ipſum, in omnibus publicis, priuatisq; negociis, legum rationi ſubmittas: Tum demum vnà cum Ageſilao illo Magno, verè, iuſtèq; ducem imperare exiſtimans, quando & legibus, & magiſtratibus paret. Quo fit, vt præter alias tuas innumeras dotes, ſumma cum prudentia ſapientiâq; coniunctas, maximi te faciat maximus & inuictiſſimus Imperator, planèq; apud Maieſtatem eius, haud alio conſiſtas gradu, quàm vel ob prudentiam ſingularem, quondam apud Philippum Macedoniæ regem, Antipater, vel apud Darium Perſarum regem, Zopirus ille, ob incredibilem morum integritatẽ. Huic enim rex ſic fuit affectus,

vt oblato

Tum demum verè, iuſteq; dux imperat, quando et legibus, et magiſtratibus paret.

vt oblato malo punico prægrandi, tantum optârit Zopyrorum, quantum inesset in eo granorũ. Quam vocem de Celsitudine tua, merito Imperator quoq; noster Carolus poterit proferre. Superest igitur Clarissime Heros, vt hunc feudalem partum, reliquásq; fœturas nostras, addictissimo sanè ex pectore profectas, ipse multis feudorum benefiis famigeratus, simul & iudicium in territoriis tuis, principis loco, habens subsellia, æqui, boniq; consulas: me in tuorum album referas: ac Cæsari, vt quæ benignissime recepit, liberaliter aliquando præstet, commẽdatum efficias. Quòd si hanc æditionem Celsitudini tuæ non displicuisse animaduertã, operam nauabo, vt quæ eius generis adhuc abdita delitescũt, in lucem aliquando, nonnihil, quàm hæc iam sint, prodeant comptiora: Tametsi feudorum res eo sint prognatæ seculo, vt non æquè Latini sermonis puritatẽ, ac aliæ iuris partes, recipere videantur. Bene vale heros inclyte, idémq; incõparabilis patrone.

Traiecti, ex ædibus nostris, Anno restitutæ Salutis, supra millesimum quingentesimum XXXVI.

FRIDERICI SCHENCK

EX LIBERIS BARONIBVS A TAVTENBERG.

Interpretatio compendiosa in consvetvdines fevdorvm.

DE IIS QVI FEVDVM DARE POSSVNT, & qui non. Et qualiter acquiratur, & retineatur.

Titulus I.



VIA de feudis tractaturi sumus, videamus primùm, qui feudum dare possunt. Feudum autem dare poßunt, Archiepiscopus, Episcopus, Abbas, Abbatißa, Præpositus, si antiquitùs consuetudo eorum fuerit, feudum dare.

Quandoquidem de feudis tractare nostri est instituti, operæ precium erit dispicere, quinam sint illi, quibus feudi cõcedendi permittitur facultas. Primò igitur omnium, in confesso est, ecclesiasticis dignitatibus, titulisq; insignes, eatenus feuda largiri posse, quatenus id eis antiquitus tribuit consuetudo.

1. Proinde ecclesiastici, qui antiquitus non consueuerunt in feudum dare, si quid dederint, iure non subsistet.c.i.infra.epi. vel abb. vel abbatis. vel do.plebis feu.da.non pos. Antiquitùs autẽ intelligo, quod ante huius placiti feudalis emanationem obtinuit: hoc enim aduerbij vis ipsa fateri cogit, deriuati ab antiquo, quod ab ante & æuo deductum Varro docet. Itaq; hunc textum, ad eam feudi concedendi referendum esse consuetudinẽ, quæ ante feudalium placitorum, Vrbaniq; Pontificis prohibitoriæ constitutionis promulgationem, in clero obtinuit, nemo dubitârit, de qua infrà in d.c.i.vbi etiam statuitur, res, quæ feudi nomine dari non consueuerũt, à clero deinceps concedi non posse, vtpotè quæ dominio, titulo, fructuq; peculiares sint ecclesiis. Attamen cõsuetudine, feudi dandi facultatem ei acquiri posse, nõ obstante prælibata Vrbani prohibitione, Iacobi à Beluiso sententia est: modò, vt Aluerotus ait, à rerum spiritualium (quarum capaces non sunt prophani) feudali concesſione temperetur. Noua quippe consuetudine vsurpari nequit, vt in posterum decimæ ecclesiasticæ, feudi titulo, laicis concedantur.c.quamuis, & c.prohibemus.de deci. Verùm enimuerò, præfatam Iacobi opinionem, ea sensus verborumq; eruditate prolatam, paulò accuratiore stomacho concoquendam fore, quiuis rectè putarit. Equidem text.in d.c.i.infr.episco. vel abba. nulla vsus circuitione, palàm decernit, iure non valere, si quid in feudum detur ab ecclesiasticis. qui antiquitùs soliti non sunt in feudum dare. Cuius probabiliter ea sit ratio, quòd res ecclesiarum, diuino cultui mancipatæ, non debeant prophanis vsibus applicari. Nam omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quicquid semel fuerit consecratum, sanctum sanctorum efficitur Domino: & ad ius pertinet sacerdotum. c. nulli liceat, xij. q. ij. Igitur quod semel dicatum est Deo, ad humanos vsus transferri non poterit am-

plius. Regu. Deo semel dicatum. de regu. iur. lib. vi. & c. mancipia. de rer. permuta. & secundum leges, semel res sacra facta permanet sacra. Instit. de rer. diuision §. sacræ res. versic. locus, & ff. de rer. diuisi. l. in tantum §. sacræ autem. & ff. de contra. empti. l. æde sacra, cum similibus. Qua de causa nec consuetudine effici posse videtur, vt huiusmodi ecclesiarum bona, diuino cultui dedicata, per feudales concessiones, Pontificis decreto, placitoque feudali prohibente, prophanis vsibus applicentur: vtpotè, quæ radicem habeat vitiosam, & ecclesiis grauamen progignat, itaque non ferenda. c. i. de consuetu. Mala enim consuetudo tantùm abest, vt pullulare debeat, ac cōfirmari temporis lapsu, vt etiam ceu perniciosa corruptela sit abiicienda, vitanda, & citius radicitùs euellenda. c. mala. viij dist. & c. i. de his, quæ fi. à maio. par. capi. Vbi nec iureiurando consuetudinis firmatur obseruatio, si in ecclesiæ dispendium redundet. Non enim, vt ibi inquit text. iuramenta, sed potius periuria sunt dicenda, quæ contra vtilitatem ecclesiæ & sanctorū patrum veniunt instituta. Itaque, cùm talis consuetudo, quæ ad alienationem rerum ecclesiæ dicatarum inuitat, rationi repugnet, quo pacto recipienda fuerit, quæ ratione non fulcitur? c. ad audientiam, & c. cùm venerabilis, de consuetu. Aut quo pacto tantùm obtinebit momentum, vt aut rationem vincat, aut legem? l. penul. C. quæ sit lon. consue. Aut veritati præiudicet, & legi? c. cùm causa. de senten. & re iudi. Non moror, si obiiciatur, ecclesiasticos ipsos res ecclesiarum in peiores vsus aliquando profundere, quàm si in feudum dentur. Quandoquidē seruus domino suo stat, vel cadit. Ad Rom. c. xiiij. & c. nimis. de Iureiuran. Et nos non quid fiat. sed quid iure fiat, inquirimus. Porrò quanquàm per hæc, quę superius dicta sunt, etiam antiquam infeudandi consuetudinem, ante Vrbani prohibitionem receptam, videatur explodi meritò debuisse, cùm per eam quoque ecclesiasticæ possessiones, diuino cultui dicatæ, humanis iterum vsibus applicentur. Tamen Pontifex priscum illum longoque seculo inueteratum infeudandi morem, & si canonicæ obuiantem disciplinæ, maluit cum aliquo ecclesiarū dispendio tolerare, quàm cum ecclesiastici status perturbatione reuellere. Altas quippe radices iam hæc egerat consuetudo: & latius erat propagata, quàm vt extirpari potuisset, absque multitudinis tumultu, & procerum nobiliumque fremitu, pariter & commotione. Qui iam velut hæreditario iure, ecclesiarum bona, feudi titulo, longo annorū temporumque obtinuerant interuallo. Nam & hoc æquitati, prudentiæque canonicæ peculiariter congruit, vt si multitudo à minus probata consuetudine auerti nequeat, cùm venia suo ingenio relinquatur: ne fortè peior existat, si à tali cōsuetudine prohibeatur, c. vlti. iiij. dist. Cùm enim idem morbus plurimos occupauerit, ægrè salubris potest esse correctio. c. non potest. xiij. q. iiij. Et in causis, vbi per graues dissensionum scissuras, non huius aut illius hominis periculum, sed plurimorū hominum timetur strages, detrahitur seueritati, & syncera potius charitate subuenitur. c. vt cōstitueretur. 50. dist. Et in summa, ad multitudinis abusus solet conniueri, si commodè corrigi & emendari non possint. c. cōmessationes. xliiij. dist. ix. q. i. c. ordinationes. de tempo. ordinan. c. ij. Quod tamē suam recipit interpretationem, vt in VIRIDARIO nostro Conclusionum Iuridicarum, Conclu. xciij. Tomo. i. Veterem igitur camerinam mouere noluit Pontifex: sed vt ecclesiæ rebus consuleret, in futurum nouas infeudationes sat habuit prohibuisse. Quemadmodum alioqui non præteritis, sed futuris formam imponere negotiis consueuerunt legislatores. c. ij. & c. vlt. de consti. & l. leges & constitutiones. C. de legib. Quanquàm verisimile

sit

sit, priscam illam dandi ab ecclesiasticis feudi consuetudinem, iusta primùm ratione fuisse introductam, vt videlicet vasallorum præsidio ac protectione munita ecclesia, acrius sæuienti improborũ rapacitati & iniuriis minus esset exposita. secundum gloss. in verbo, concesserit. circa fin. in c. quamuis. de deci. Porrò si & tempestate nostra, aut instans vrgeat necessitas, aut euidens suadeat vtilitas, non refragantibus paulò antè commemoratis, dixerim consuetudine recipi posse, vt non obstante constitutione præfata Vrbani Pontificis, placitóq; feudali, ecclesia præter solitum morem, res suas in feudum concedere queat, vt scilicet hoc pacto, magnatum nobiliumq; comparato præsidio, obstrictóq; sibi necessario defensionis vsu, à vi hostili, impiáq; afflictione tuta reddatur. Si enim ob incommodum æris alieni infeudari videas res ecclesiæ. c. ad nostram. de reb. eccles. non alienan. quanto magis id recipiendum fuerit, ob procellas sæuientis in clerum impietatis? vt interim tritissima illa silentio præteream, quæ de ex lege necessitatis ratione vbique inculcantur. c. quod non est. cum simil. ib. ibi in gloss. extra. de regu. iur. & per Iaso. in l. i. super gloss. verbi, non aliter. ff. de offi. eius, cui manda. est iurisdic. & alibi creberrimè. Nec sanè Pontifex eam infeudandi consuetudinem eliminasse censendus fuerit, per quam rebus omnibus in tutiorem statum redactis indemnitati suæ pariter & tranquillitati consulit ecclesiasticus cœtus: alioqui enim constitutio Pontificia in fauorem haud dubiè cleri promulgata, ei in noxam verteretur, & in odium retorqueretur. contra l. quod fauore. C. de legi.

Eam igitur potius inspecta constituentis voluntate, quàm verborum serie, nos decuerit accipere. argu. l. ex facto. ff. de vulga. & pupilla. legem quippe non verbis, sed ratione metimur. l. non dubium. C. de legi. c. vlt. de regu. iu. lib. vi. nec ius calumniari oportet, neque verba eius captari, sed qua mente quid dicatur animaduertere cónuenit. vt eleganter dixit Paulus Iureconsultus. in l. penul. ff. ad exhiben. Sed & persona constituentis, & eorum ad quos emanat constitutio, & vis constitutionis diligentius est attendenda. c. solitæ. §. verùm si personam. extra. de maio. & obedien. Quid quòd tempore Vrbani illius, sic statuere, res ecclesiæ nimirum exigebant, nunc alia rerum apparente facie, contrarium exigant, an non iusta oborta causa, diuersam induxerit obseruationem? argu. optimum. in l. si hominem. & quæ ibi habet Bartol. & Docto. ff. manda. His lepidè adstipulantur, quæ alio fine adstruit Panor. in c. ij. mihi, in penul. colum. extra. de proba. Vbi & prægnantius asserit, videlicet consuetudinem, etiam à lege damnatam, recipi posse, si id noua exigat causa, quámve legislatoris intentio verisimiliter non sit complexa. Proinde hac demum specie accipi & intelligi poterit superior Iacobi à Beluiso sententia, videlicet, consuetudine acquiri posse ecclesiis ius infeudandi præter solitum morem, non obstante Vrbani Pontificis secundi decreto, siue hoc in Concilio Turonensi, vt schola nostrorum asserit, siue alio tempore promulgatum fuerit. de quo per Archidia. in c. ij. versic. Illas autem. de deci. lib. vi. Ex quibus iam claret, quid momenti habeat prolixa illa & superuacanea Aluarot. post alios indago, quanto scilicet tempore talis infeudandi consuetudo progignatur, dum distinguunt inter infeudationem manifestè vtilem, & manifestè dispendiosam ecclesiæ. Nam si manifestè sit ecclesiæ damnosa, obuiat rationi. Igitur, quantocunque temporis lapsu non fuerit fulcienda. c. ij. de consuetudi. lib. vi. & per iura superiùs citata, quibus etiam cónsonat quod habetur in Autenti. vt nulli iudicũ liceat habere loci seruato §. i. vbi dicitur: Malè adinuenta,

 uenta,

uenta,malæq; consuetudines, neq; ex longo tempore, neq; ex longa consuetudine confirmantur. Quinimò talis consuetudo, qua, nulla necessitatis, aut vtilitatis, suadente euidentia, res vsibus piis mancipatæ prophanantur, ceu pestis quædam fuerit exterminanda. Cùm alioqui, id quod ratione caret, extirpare sit necessè.c.corepiscopi. lxviij. dist. Si verò consuetudo vtilis sit ecclesiæ, quanto temporis lapsu producatur, & quot actus requirantur, videndus est Claudius à Seysello, in Speculo feudali latè hoc prosequens.

2. Si consuetudo habeat, prælatum de certis bonis infeudare mares, non poterit alterare illorum naturam, & de illis infeudare fœminas, vt habet concors Doctorum sententia. argu §. similiter. de lege Conra. nisi hoc fiat propter meritum, seruitium, seu amorem recipientis, veluti si sit filia vasalli benemeriti, cuius amor, & memoria, in filiæ quoq; vtilitatē meritò exuberet.c.vnico.infrà. Quemadmodum feu.ad fili.perti. & arg. l.viuus libertus. ff. si quid in frau. patro. fa. sit. Vbi libertus donare benemerentibus amicis potest. Quod & Nicolao de Neapo.placet. Et quanquā Seysellus Claudius id circuncisè accipiat, crebrior tamē comprobat opinio. videlicet, Iaco. de Beluis. Nicola. de Neapo. Aluaro. & Card. fa. c. vlti. de pecu. clerico. in fi. vbi episcopus ratione seruitiorum præstitorum defuncti hæredibus largitur, quod alioqui futurum erat ecclesiæ: facit etiam.c.si quos, de seruis, xij. q.ij. vbi Episcopus libertate donat seruos ecclesiæ benemeritos. Naturaliter enim quis obligatur ad remunerandum benemerentē: ipsāq; natura ducimur ad benefaciendum ei, qui nobis benefecit. l. sed & si lege §. consuluit. versic. Quàmuis ad remunerandum. iuncta glos. super verbo, obligauerint. ff. de peti. hære. Hoc nimirum naturæ instinctu, Imperator ait, semper prouidemus, vnumquemq; secundū labores suos, ad meliores gradus, & ad maiores dignitates perducere. l.ij §. hæc aūt non solùm. circa fi. illius. C. de offi. præfecti præto. Affri. Vbi etiam inquit, duces & tribunos, secundū labores suos, de imperiali largitate remunerationē sperare debere. Verū enim uerò, si hunc naturæ ductum secutus prælatus, præter consuetudinē benemeritorum intuitu, fœminæ feudum concesserit, arbitror in diplomate inuestituræ merita ea specificè memorari oportere: nec sufficere, verbis quibusdā genericis benemetitorū facere mentionē. Arg. l. Attilius Regulus. ff. de dona. Vbi nominatim benemerita recēsentur, quibus Attilium Regulū remunerantē Nicostratus affecerat præceptor. Vbi Angelus Peru. quoq; dicit, in donatione, remenerationis causa, facta, vt scilicet insinuatione nō egeat, exprimi oportere nominatim causam, obsequium, meritū, & seruitium, ob quæ talis donatio remuneratoria fiat. Alioqui per insertionē generalis clausulæ, de benemeritis, quiuis insinuationis necessitatem callidè subterfugeret. De quo etiam me dixisse memini in VIRIDARIO Conclusionū Iuridicarū. Tomo pri. Conclu. lxxiiij. Pari ratione probabiliter dicetur in specie subiecta, scilicet, meritorū intuitu, in fœminæ personam, repugnante cōsuetudine factam infeudationē ita demū subsistere, si per specificā expressionē, de benemeritis constet: idq; ne vmbratico meritorū prætextu, Prælatus, vel ius ecclesiæ, vel cōsuetudinis fraudet autoritatē: cùm magis id spectari debeat quod in veritate subsistit, quàm quod simulant partes. l. si fortè. ff. de cast. pecu. Porrò ad hanc materiam, quæ circa infeudationes Prælatorum versatur, immensa latifundia cumulari possent. Verùm quum post Iasonem, Claudius à Seysello exuberātissimè talia sit prosecutus, ita vt cœnam ferè dubiam habeamus, quid hic attinet toties cocta recoquere? præsertim

fertim quum odiosum sit, imò ridiculum alienis superbire plumis. Certè alienam demetere segetem, & in suum horreum condere, inopis & illiberalis ingenij esse semper existimaui.

§. Marchio & Comes similiter feudum dare possunt, qui propriè Regni vel Regis capitanei dicuntur. Sunt & alij qui ab istis feuda accipiunt, qui propriè Regis vel Regni valuasores dicuntur. Sed hodie Capitanei dicuntur seu appellantur, qui & ipsi feuda dare possunt. Ipsi verò, qui ab eis accipiunt feudum, minores valuasores dicuntur.

Prophanis insuper dignitatibus conspicui, veluti Marchio & Comes, & qui ab istis feuda accipiunt, feudi dandi ius habent. Marchio autem & Comes, propriè Regni vel Regis capitanei dicuntur. Qui ab his feudum accipiunt, propriè Regis vel Regni valuasores, quasi ad valuas stantes, qui & ipsi Capitanei nuncupari poterint. c. si capitanei. & ibi Aluarot. de feu. Marchiæ. Rursum feudum accipientes ab his, minores valuasores appellantur.

1. Quanquàm antiquitus non passim omnes ius feudi cōcedendi habeant, sed tantùm hi, quibus vel generis vel functionis dignitas id permittebat, vt satis constat ex hoc tex. Attamen postea moribus receptum est, promiscuè omnes, tam maiores, quàm minores, quàm etiam minimos valuasores posse feudum concedere. argu. c. vnico. infr. de nat. feu. in fi. Vbi obseruatur in minimis, quod dictum est de maioribus valuasoribus. Et infr. per quos fiat inuesti. in princip. Vbi quiuis feudum nouum concedere potest, modò legitimè bonorum suorū habeat administrationem: Adeò vt etiam rusticus, & quantūuis humilis conditionis id possit, secundum Innocen. in c. verum. in glos. super verbo, de feudis. de foro competen. dum ait, quemlibet dominum feudi, etiam si rusticus sit, in vasallos, super rebus feudalibus iurisdictionem habere. infr. de prohi. feu. alie. per Fred. §. pen.

§. Et quia vidimus de personis, videamus qualia prius habuerunt initia. Antiquissimo enim tempore sic erat in dominorum potestate connexum, vt quādo vellent, possent auferre rem in feudum à se datam: postea verò eo ventum est, vt per annum tantùm firmitatem haberent. Deinde statutum est, vt vsq; ad vitam fidelis produceretur. Sed cùm hoc iure successionis ad filios non pertineret, sic progressum est, vt ad filios deueniret, in quem scilicet dominus hoc vellet beneficium confirmare. Quod hodie ita stabilitum est, vt ad omnes æqualiter filios pertineat.

Cùm verò Conradus Romam proficisceretur, petitum est à fidelibus, qui in eius erant seruitio, vt lege ab eo promulgata, hoc etiam ad nepotes ex filio producere dignaretur, & vt frater fratri, sine legitimo hærede defuncto, vel filius in beneficio, quod eorum patris fuit, succedat. Sin autem vnus ex fratribus à domino feudum acceperit, eo defuncto sine legitimo hærede, frater eius in feudum non succedit: Quod etsi communiter acceperint, Vnus alteri non succedit, nisi hoc nominatim dictum sit, scilicet, vt vno defuncto sine legitimo hærede, alter succedat: hærede verò relicto, alter frater remouebitur.

Circumscripta prisca consuetudine, de qua hic in text. hodie feudum patris mortui ad omnes æqualiter filios pertinet: Quod etiam ad nepotes ex filio vasalli extenditur, quibus non existentibus, hoc ad fratrem vasalli sine descendēte hærede mortui porrigitur. Tunc enim frater fratri succedit in beneficio, quod eorū patris fuit, sicq; in feudo paterno. Si aūt feudū sit nouū, quod frater mortuus in personā suam primus acquisiuit, ei sine legitimo

hærede defuncto, frater superstes successor non erit: quod etiam obtinet, si fratres feudum nouum communiter accepissent. Nam alter alteri sine liberis decedenti non succedet, nisi id nominatim tenor inuestituræ, pactúmve permittat.

1. Decedente patre, filij æqualiter, aut nepotes ex filio, loco sui patris in feudo succedunt, vt hic, & infrà de succes. feu. in princ. Quod locum vendicat, etiam si à patre in æqualibus portionibus hæredes essent instituti. Nulla enim ordinatio defuncti in feudo valere potest §. i. infrà de succes. feud. Quod an obtineat in emphyteusi, pro se & filiis & nepotibus acquisita, videlicet, vt pater non possit vni filiorum eam relinquere, sed cogatur eam æqualiter filiis dimittere ex pacto emphyteutico, vide per Specula. in titu. de emphyteo. versic. lxxviij. quæritur. Sed vt verè dicit Bald. in Auten. si quas ruinas. versic. iuxta hoc quæro, vtrùm pater. C. de sacro. eccle. Speculator multum allegat, sed nihil affirmat. Itaque Bal. ibidem expressè astruit, emphyteusin talem, vni filiorum à patre prælegari posse. Verùm Iason in l. ij. C. de iure emphyte. in vlti. quæstione latissimè discutit. & cùm in vtranq; sententiam vbertim opiniones congessisset, dixit. meritò Vergilia. illud proferri posse, Hinc atq; hinc vastæ rupes, geminiq; minantur In cœlum scopuli. Et vt hæc quæstio per se labyrinthosa est, ita meo iudicio etiam labyrinthosè à Iaso. resoluitur. Andr. verò Barbatia copiosus iuris vtriusq; interpres, in c. potuit. de loca. dicit, diuersas opiniones posse ad concordiam redigi distinctionis fœdere, videlicet, aut pater vni filiorũ totam emphyteusin prælegans, aliis filiis tantundem de bonis suis reliquit, & prælegatum emphyteuseos vni factum valebit: aut nihil in compensationem eius, aliis dimisit, & emphyteusis vni legata corruet. à qua sentẽtia nec Bar. abhorrere videtur, in l. vt iurisiurandi §. si liberi. ff. de ope. liber. Sed cùm hæc quæstio non concernat rem feudalem, eam non prosequor.

2. Filij in feudo paterno, vti dictum est, æqualiter succedunt. Quod tamẽ nõnullis casibus aliter obseruatur. Primò, si l. Salica, aut ad morgonaticam ducta vxore, cautum sit, ne filij amplius habeant de bonis patris, quàm dixerit tempore sponsaliorum. Nam tunc in feudo filij tales non succedunt. c. vnico. de filiis na. ex matri. ad morgo. contrac. Secundò, non succedit filius naturalis, licet postea fiat legitimus. Nam ad successionem feudi nec solus, nec cum aliis admittetur. c. naturalis. infrà. si de feu. defun. conten. sit. inter domi. & agna. vasalli. Tertiò, adoptiuus filius in feudo non succedit. ibidem §. adoptiuus. Quartò, filius ille non succedit in feudo patris, qui dominum offendit, nec satisfacere domino curat. c. insuper. de prohi. feu. aliena. per Frederi. Quintò, non succedit filius factus clericus, quive habitum religionis assumpsit. c. vnico. de feu. femi. de quo tamen latius ibidem. quum hoc suam recipiat distinctionem. Sextò, si matrimonium contrahens pactus fuerit, ne filij succedant sibi patri ab intestato, quia nec in feudum succedent. c. filij. si de feu. defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. Septimò, non obtinet in filiis secundi matrimo. à muliere quâpiam feudum habẽte, relictis: Nam obtinuit, filios prioris matrimo. in feudo potiores esse §. mulier, infrà. si de feu. conten. sit inter domi. & agna. vasal. quod intellige non generaliter, sed eo duntaxat loco obtinere, vbi talis recepta est consuetudo. secun. Aluar. & omnes ibidem. Octauò, non obtinet, si consuetudo habeat, primogenitum solum succedere in feudo. Ius enim primogenituræ lege diuina, & Canonica approbatur. c. licet. in fi. de voto. Et ibi per Hostien. & Cardina. Quare dicit Hostien. ibidem, patrem non posse filium suum priuare hoc iure primogeni-

mogeniturae: cùm legitima primogeniti sit id, quod ei primogeniturae iure competit: nisi vel minori portione contẽtus esset, vel ius suum, vt Esau, primogenitus vendidisset, secũdum Cardi. Sabarel. in d.c. licet. circa fi. vers. tertiò quaero, de vo. Nonò, locum non obtinet in filiis Ducum, Marchionum, & Comitum. Illi enim in feudo aequaliter non succedunt. Nam Ducatus, Marchionatus, & Comitatus non diuiduntur. §. praeterea. in c. Imperialem. infrà. de prohi. feu. aliena. per Fre. Quandoquidem generali consuetudine Imperij ad primogenitos deuoluuntur. Quod introductum est in honorem & vtilitatem Imperij, vt scilicet Principatus integri permaneant: ac per vnum, sub regula politica, commodius atque tranquillius administrentur. Primogenitus tamen aliis suis fratribus tantũ assignare curabit, quantum ad honestam vitae sustentationem sufficiat, pro natalium splendore, & facultatibus Principatus: ita tamen, vt primogenito commodè supersit, quo Principis vitam agere, & decorè Principatui praeesse possit, vt haec adstruit Hostien. in d.c. licet. §. mandamus, super verbo, ordine geniturę, de voto. Decimò, non obtinet in filia, quae cum filiis in feudo non succedit. infrà. eo. tit. §. hoc autem notandum. Vndecimò, non obtinet, si filius sit legitimè exhaeredatus à patre, hoc est, ex tali causa, qua notatus nõ posset in curia domini absque dedécore versari. c. vnico. infrà. an ille, qui interfe. fra. domi. sui, feu. amit. Non enim ex omni causa, quae opinionẽ vasalli grauat, feudum amittitur. §. illud. infrà. quae fuit pri. cau. benefi. amit. Itaque, vt quis feudo priuetur, necessè est iustam aliquam causam subesse, nempe vnam ex talibus, quibus & donationes iure perfectae reuocãtur, & paterna haereditas filiis adimitur. §. praedictis modis. infrà. quae fuit pri. cau. bene. amit.

3. Tametsi frater in feudo paterno, fratri, sine descendente haerede, mortuo, succedat, tamẽ id locum non habet in feudo nouo, etiamsi de illo simul fuissent inuestiti. Nam altero sine haerede defuncto, ad alterũ non pertinet eius beneficij portio, nisi facta fuerit eo pacto inuestitura. c. vnico. infrà. de fra. de no. bene. inuesti. & hic in tex. vel nisi feudum cõmunibus bonis fuerit emptum, vt vtriusque nomine, domino sciente, vel in hostem Regis acquisitum. c. vnico. infrà. de bene. frat.

§. *Hoc autem notandum est, quòd licet filiae, vt masculi patribus succedant, legibus tamen à successione feudi remouentur: similiter & earum filij, nisi specialiter dictum fuerit, vt ad eas pertineat.*

Foeminae, earúmque filij, à feudi successione arcentur, nisi specialiter actum sit, vt succedant.

1. Ad successiones parentum, aequa lance, mares & foeminae vocantur, idque iure Caesareo. l. maximum vitium. §. sancimus. C. de libe. praete. vel exhaereda. Et hic in tex. Cùm enim natura vtrunque corpus aediderit, vt maneat suis viribus immortale, & alterum alterius auxilio egeat, & vno semoto alterum corrumpatur, nullum inter liberos, quantum ad successiones, habebitur discrimen, sed vna consonantia tam in maribus, quàm in foeminis legitimis obseruabitur. l. penul. C. de legiti. haere. Quare inducentes differentiam inter marem & foeminam, quantum ad ius succedendi attinet, teste Iustiniano, quasi naturae accusatores existunt, cur non totos masculos generauit, vt vndè generarentur, non fiant. d. l. maximum vitium. Liberi itaque non distincto sexu, sed sola naturali causa inspecta parentibus succedent. C. de suis & legi. libe. Aucten. in successione.

2. Verùm enimuerò feudorum consuetudine, differentiam inter mares & foeminas, iusta ratione introductam, constat esse obseruandam. Quanquam

enim legum Romanarũ non sit vilis autoritas, tamen non adeò vim suam extendunt, vt aut vsum vincant, aut mores, vt inquit tex. in c. vnico. de feu. cog. cùm & ipse iusserit Imperator, præsidẽ prouinciæ, iis probatis, quæ in oppido frequenter seruata sunt, causa cognita statuere debere: & ne quid cõtra longam consuetudinẽ fiat, ad suam sollicitudinẽ reuocare. l. i. C. Quæ sit lon. con. Porrò cùm liberalitate cõcedentium feudorũ vsus increbuerit, licuit quoq; ipsis cõsuetudines quasdam obtinendi feudi introducere: sicq; differentiam inter mares & fœminas, quantum ad successionem beneficij feudalis, cõstituerẽ: maximè cùm ad ipsas beneficij functiones fœmineus sexus æquè non sit appositus. Cùm enim vasallus dominũ suum comitari debeat euntem ad prælium, eiq; perpetua fide adesse, adeò, vt si in acie periclitatum dimiserit, beneficium tanq̃ indignus amittat. §. item qui dñm. infr. quæ fuit pri. cau. bene. amit. Euidens est, hanc sarcinã mulierũ humeris non cõgruere: alienam quippe defensionem suscipere, virile est officium, & vltra sexum muliebrem esse constat. l. alienam. C. de procu. Si id Imperator in ciuilibus dixit negotiis, quanto magis in militaribus obtinebit? Item, cùm vasallus iuramẽto obstringatur, secreta sibi à domino manifestata nemini pandere, absq; licẽtia domini. c. vnico. de noua for. fide. nulli non cognitum est, quàm hoc sperari possit à fœmina: cùm pervetustum habeat prouerbium, mulieres & pueros id celare, quod ignorãt. Et Cato in omnẽ vitã pœnitentia ductus sit, si arcani quippiam mulieri concredidisset. Insuper, cùm perpetua mentis constantia, vsq; ad vltimum vitæ diem, fidelem se domino suo futurũ iuret vasallus. d. c. vnico. de no. for. fide. non temerè hoc fœmina præstiterit, cùm varium & mutabile semper fœmina. c. forus. de verbo. signi. Nam licet matrimonium sit coniunctio maris & fœminæ, indiuiduam vitæ consuetudinem continens, non rarò tamen hoc diuortio dirimere conantur. l. reprehendenda. C. de insti. & substi. pudendâq; varietate, nunc diuertunt à maritis, nunc breui reuertuntur. l. diuortium. ff. de diuor. Si itaq; tantæ sit inconstantiæ erga maritum, erga dominum quantæ fuerit? Deniq; iureiurando obligatur vasallus, vt in facto quopiam à domino consultus, suum consilium, quod quàmmaximè viderit expedire, domino suo impartiatur. d. c. vnico. infra. de no. for. fi. in fi. At quo pacto à fœmina id quiuerit præstari? cùm plærunq; etiam ipsius fœminæ aduersus commoda propria inueniatur laborare consilium, vt inquit Imperator in l. si pater. C. de sponsa. Et sexus muliebris fragilitas in perniciem substantiæ propriæ nonnunquam conuertatur. §. i. in fi. Insti. Quibus alie. li. vel non. Hæc cùm ita se habeant, quis non videt, iusta ratione, fœminas à feudorum successione eliminari, cùm ipsa natura minus sint aptæ ad feudalis beneficij functiones, ob quas feudum ipsum potissimè dari constat? Nam vt Iureconsultus ait, in omnibus causis id obseruatur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoq; deficiat. l. in omnibus causis id obseruatur. ff. de regu. iu.

3. Quemadmodum fœmina non succedit in feudo, ita nec proles fœminei sexus, vel ex fœmineo sexu descendentes ad huiusmodi successionẽ poterint aspirare, vt in hoc §. & in c. vnico. de succes. fra. vel gra. succe. in feudo. Cuius est ratio, quòd nemo plus iuris in alium transferre possit, quàm ipse habeat. l. nemo plus iuris. ff. de regu. iu. & c. nuper. versi. nos autem. de dona. inter vir. & vxorem. Quare si fœmina ius succedendi in feudo non habet, nec illud in filios transferre poterit. l. traditio. ff. de acqui. rer. domi. Item hæredem eiusdem potestatis iurisq; esse, cuius fuit defunctus, constat.

l. hæredem.ff.de regu.iur. Et quidem meritò, cùm Imperator dicat, vnam quodammodo esse personam hæredis & eius qui in eum transmittit hæreditatem, in Auten.de iureiurando à moriente præstito, paulò post princip. colla.v. Præterea, qui in ius dominiúmve alterius succedit, iure eius vti debet. l.qui in ius.ff.de reg.iur. Postremò id impedimentum, quod testatori obstat, & successoribus eius obstabit: Cùm successor non debeat melioris esse conditionis, quàm autor ipsius. l. quod ipsis. ff.de regu.iur.cum similibus. Igitur cùm fœminæ ius succedendi in feudo non competat, nec hæredibus eius competere debet.

4. Ex præmissis liquet, regulam esse, vt nec fœminæ, nec filij eius ad feudi successionem admittantur. A qua tamen casus quosdam excipi, non est ignorandum. Primò, si filia vasalli sine filio masculo decedentis, feudum à domino redemerit, aut dominus ei propter seruitium & amorem patris dederit: Hoc enim casu, exclusis agnatis, succedet. c.vnico.infrà. quemad.feu. ad fi.perti.de quo latius ibi. Secundò, nisi actum esset, vel eo pacto acquisitum feudum, vt fœminis quoque eius successio permittatur, vt in §. præsenti. & in c.vnico.infrà de success.fra.vel gra.succe.in feud.versic.his verò deficientibus. Tertiò, nisi eius conditionis sit feudum, vt in eo fœmina etiam succedere possit, vt ibidem.eo.versic. Sed vtroque præcedenti casu, ita demum locus fœminæ in feudi successione patebit, si nullus masculus supersit ex eo qui primus de hoc feudo fuerit inuestitus. Canonicum quippe est, quàmdiu extent mares, fœminas ad feudi successionem non vocari.c. vnico. infrà. de eo qui sibi, vel hære. suis mascul. & fœmi. inuestit. accepe. Quartò, nisi loci consuetudo habeat, fœminam in feudo posse succedere. Argu.c.significauit.de rescrip. Vbi Comitissa Namuten. mortuo comite fratre suo, narratur in eius successisse Comitatu, & per Specu.in tit.de feu. §. quoniam.versic.xxi.quæritur, ecce consuetudo. Vbi etiam inquit Speculat. fœminam hoc casu, futuram quidem veram vasallam, ac fidelitatem per se iuraturam: sed per alium ratione feudi, domino inseruiri curaturam. Præfatam quoque consuetudinem iure subsistere, Andreæ de Iser. opinio est. Nam hæc consuetudo reducit statum fœminarum ad ius commune, sicque earum successio formæ suæ redditur. Igitur non improbanda consuetudo. Arg.§. pactus ne peteret, in fi.illius. in l. si vnus ex argentariis.ff.de pact.

§ Hoc quoque sciendum est, Quod beneficium hoc ad venientes ex latere, vltra fratres patrueles nō progreditur successione, secundū vsum ab antiquis sapientibus constitutum: licet moderno tēpore, vsque ad septimum gradum sit vsurpatū Quod in masculis descendentibus, hodie, nouo iure vsque in infinitum extenditur.

Feudum ex latere originaliter proueniens, vsque in septimum gradum, ad collaterales successione progreditur. ad descendentes verò transmissum, in infinitum defertur.

1 Quanquàm Aluaro. bifariàm hunc textum interpretetur, ego tamen arbitror vnicum duntaxat intellectum ei conguere, videlicet, vt intelligatur de eo genere feudi, cuius proximè tex.fecit mentionem, hoc est, quod à fratre sine legitimo hærede mortuo fuit acquisitum, ea conditione, & pacto, vt ad fratrem ac collaterales transmitti posset: Dixi ea conditione & pacto, quia alioqui frater in tali feudo non succederet fratri, nisi vel communi pecunia emptū esset, vel natura feudi id permitteret, vt supra dictū est. in §. & quia vidimus. Numero.iij. Hoc inquam feudum, ita ad venientes ex latere perueniens, quondam non ptogrediebatur vltra fratres patrueles, hoc est,

ex

ex duobus fratribus progeneratos. Instit. de grad. cog. §. quarto gradu. & l. i. versic. quarto gradu. ff. de gradi. affinita. Sed nunc vsque in septimum gradum per lineam transuersalem ad collaterales defertur. At per lineam directam in descendentes propagatum, in infinitum extendetur, etiam ad transuersales descendentes, ex descendentibus primi acquirentis ortos. secundum Bal. in c. si capitanei. infrà. de feu. March. de quo latius numero sequente. Non itaque hic tex. in princip. de feudo paterno, statuisse intelligendus est, vt scilicet feudum paternum per lineam transuersalem, vltra septimum gradum, non deferatur: Nam hoc paulo post conuincemus aliter se habere. Sed accipiendus fuerit, disposuisse de eo fœudo, quod à primordiali acquirente non in quenquàm descendentem, sed in lateralem, & transuersalem fuerit translatum, veluti à fratre in fratrem. De quo feudi genere paulò antè textus meminerat, cuius materiam præsens §. continuare censendus est. Sequentia enim verba legis, ad præcedentia esse referenda, iuris non est ambigui. l. vtrùm. versic. & puto. ff. de peti. hæredi. Et per præcedentia verba clara, declarantur quæ generaliter, & obscurè subsequuntur. l. Titia cum testamento §. Lucius Titius relictis. in fi. & ibi per Bart. ff. de lega. ij. Igitur si dubitari fortè contingat, de cuius feudi successione hic §. tractet, scrupulum hunc eximent priora, per quæ euidens est eiusdem intellectus. Nam cùm hic §. dicat: Sciendum est, quod beneficium hoc ad venientes ex latere, & cæt. perspicuum est, eum persistere in themate priore, quasi dicat: Hoc beneficium feudi, quod frater acquisiuit ex fratris successione, sicque ex latere: hoc, inquam, feudi beneficium, in septimum vsque gradum ad collaterales deuoluetur, idque non extantibus descendentibus acquirentis, qui si supersint, in eo feudo succedent in infinitum. Hæc locum obtinent, cum à primore acquirente non in descendentes, sed in collaterales feudum existat deriuatum.

2. Verùm enimuerò, si agatur de illius successione feudi, quod ab originario accipiente, in descendentes eius propagatum fuerit, ad successionem descendentes per masculinum sexum, remotis agnatis, in infinitum admittentur. c. vnico. de success. fra. vel gra. suc. in feu. & c. vnico. si vasal. feudo pri. cui defera. Sed descendentibus de medio sublatis, eorundem transuersales & collaterales, etiam in infinitum ius succedendi obtinebunt, dicente tex. Ex latere omnes per masculos descendentes succedent vsque in infinitum, si feudum sit paternum. c. vnico. de na. success. feu. Paternum autem vocatur, quod à quocunque ex superioribus fuerit acquisitum, vt ibidem. Præmissa etiam probat text. in c. vnico. de succes. fra. vel gra. succe. in feu. dum tradit, defectu descendentium vocari primò fratres, cum fratrum præmortuorũ filiis, deinde agnatos vlteriores. Quod ita intelligendum est, si feudum sit paternum, hoc est, si fuit illius parentis, qui eius fuit agnationis communis. vt ibi. Hæc fuerint summo studio memoriæ commendanda, secundum Bald. in c. vnico. de feu. March. vel Comi. vel Ducat. cùm maximum obtineant momentum in successionibus Regum, Ducum, Comitum, Baronum, ac illustrium personarum, quorum maiores, elapsis aliquot centenis annis, ab Imperatore feudum sunt assecuti. Nam si longa annorũ serie, perpetua fœcunditate, ad liberos descendentes, velut per manus à parẽtibus traditum feudum, semper recta linea promanasset, tandemque ad vltimũ peruenisset, nulla sobole fœcundum, nulláque à se ædita prole, ab humanis migrantem, proximior agnatus ad successionem feudi, etiam centesimo distans gradu, vocaretur. Proinde, inquit Bald. si tota domus re-

gia moreretur, & vnus de sanguine antiquo superesset, etiamsi millesimo distaret gradu, tamen iure sanguinis, & perpetuæ consuetudinis, succederet in regno. Ratio est, quia feudum censetur paternum. Præmissa intellige vt obtineant, feudi possessore mortuo sine legitimo hærede: non autem eo propter delictum, feudo priuato, secundum Bal. & Aluaro. ibi suprà. Quapropter cùm iam perspicuè liqueat, successionem feudi, quod ab originario adipiscente in descendentes profluxit, etiam ad collaterales in infinitũ propagari, idq; descendẽtium defectu: cõuincitur præsens §. septimo gradu successionem circumscribens, de hoc genere feudi nihil statuisse: sicq; eundem vno solo intellectu, vt superius dictum est, interpretandum esse.

§. *Notandum est, quòd illud beneficium, quod à Regis capitaneis, atque Regis vel Regni valuasoribus, aliis impenditur, propriè iure feudi censetur. Illud verò, quod à minoribus in alios transfertur, non iure feudi iudicatur: licet aliter in curia Mediolanen. obseruetur: sed quando voluerint, rectè auferre queunt: nisi Romam cum illis in exercitum perrexerint. Quo casu iure feudi transit, & adiudicatur. Vel nisi aliquid propter feudum acceperint: tunc enim nisi restituto pretio auferre non possunt.*

Feudum à capitaneis regis, vel regni valuasoribus concessum, cùm propriè iure feudi censeatur, nuda voluntate reuocari non poterit: Datum verò à minoribus, cùm non iure feudi iudicetur, auferri poterit quandocunq;, exceptis duobus casibus, de quibus hic in tex. Licet aliter in curia Mediolanen. obseruetur. Quandoquidem siue à maioribus, siue à minoribus feudum promanârit, reuocari non consueuit.

1. Iure veteri discrimen erat inter feudum à maioribus valuasoribus collatum, & illud, quod à minoribus impendebatur. Nam hoc arbitrariæ reuocationi obnoxium erat: illud verò ratum, suo nixum robore manebat, vt hoc tex. & c. vnico. infrà. de feu. da. mi. val. Verùm succedente temporis curriculo, vetus hoc ius cõsuetudinarium, nouis moribus fuit abrogatũ. Quare hodie par iuris obseruatio obtinet in vtroq;. Quandoquidẽ siue à maioribus, siue à minoribus valuasoribus feudum profectum fuerit, vasallo adimi non poterit, nisi conuicta culpa, & iudicio patium negotio discusso, & approbato. c. vlti. Quo tempo. mi. inuesti. pete. debe. & c. vnico. de feu. sine cul. non amit. Vbi text. sancimus, vt nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat. Quibus capitulis, vt posterioribus, ac veterem consuetudinem, de qua in hoc §. antiquantibus, vtiq; stari debet. Lex enim posterior priori derogare censetur. l. sed & posteriores. ff. de legi. & glos. in c. i. in verbo, reuocare. de consti. li. vi. quæ inquit, in legibus contrariis standum vltimæ. Quam etiam allegat Iason in l. pacta nouissima. versic. ix. procedit. C. de pact.

2. Porrò, adeò, quæ dicta sunt, obtinent, vt Princeps ipse capitaneos suos, & vasallos, videlicet Duces, Marchiones, & Comites non possit sine culpa legitima feudis priuare, aut deuestire eosdẽ. c. vnico. de natu. feu. in princ. Cuius hic geminam rationem tradit Aluaro. Tum quòd Princeps ligatus, & subiectus sit legibus. allegat. l. digna vox. C. de legi. Tum quòd Imperator non possit de iure, auferre ius meum, & tradere alij. l. rescripta. & l. quotiens. C. de preci. Impera. offeren. Sed neutra satis iure fulcitur. Nusquàm enim leges dicunt, Imperatorem ligatum, & subiectum esse legibus. Quinimò text. in l. Princeps. ff. de legi. Princeps, inquit, legibus solutus est: Augusta autem licet legibus soluta non sit, Princeps tamen eadem illi priuilegia

uilegia tribuit,quæ & ipse habet. Præterea,l.digna vox.quam Aluar. citat, nō dicit,principē legibus esse ligatum,sed dicit,dignam esse vocem Maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri. Profectò si legibus esset alligatus princeps,non tam digna, q̄ necessaria hæc fuerit vox censenda.Sed in confesso est,legem imperij solēnibus iuris Imperatorem soluisse. Quanquàm nihil tam proprium imperij sit,quàm legibus viuere,vt inquit Imperator.in l.ex imperfecto,C.de testa. Præterea Imperatorem non posse alicui auferre rem suam, vt hoc generatim & absolutè pronunciat Aluar. repugnat (vt cernere licet) legi, item si verberatum §.1.ff. de rei vendi. & l. Lucius.ff.de euictio. Nam tametsi inter doctores controuersia sit,an princeps nulla subsistente causa alicui possit rei suæ dominium adimere (cum Ange.Perusi.in d.l. item si verberatum, asseueret principem id posse) tamen inter omnes constat,nullusq; diffitetur, quin saltem iusta poscente causa, ac Reipub.intuitu,princeps rem priuati vsurpare possit, illamq; adimere possessori, precio seu recompensa data.d.l. Lucius.ff.de euictio. de quo latius in VIRIDARIO nostro CONCLVSIONVM IVRIDICARVM, cōclusione xxxiij. Tomo primo. Quare alia in medium,& quidem probabilior ratio adferri poterit, cur princeps vasallum suum sine causa legitima nequeat priuare feudo, videlicet, quòd natura feudi sit talis, vt sine culpa vasallus illud amittere nequeat,vt inquit tex.in c.1.de natura feu. Quocirca nō decet Imperatorem hanc naturam immutare, imò nec posse quidem videtur, non magis, quàm vasallus fidelitatis obsequia Imperatori denegare. Videtur enim quidam quasi contractus reciprocus inter Imperatorem & vasallum initus,iuxta naturam & consuetudinem feudi,quæ non alterum solum,sed vtrumq; obligare debeat. Quanquàm enim princeps legibus iuris communis non ligetur, vt dictum est, tamen ligatur lege cōuentionis & contractus,quos ius gentium obseruare præcipit, secundum Cynum, Bal. & alios,in d.l.digna vox.C.de legi.& tex.in c.1.& ibi per Antoni.de Butrio. & Panor.de proba.& per Bal.in d. c.1. de natu. feu. Vbi inquit,quòd Deus subiecit Imperatori leges,sed non subiecit contractus.Ex quo infert,Comitatum quendam feudi nomine,sub iuramento fidelitatis, à Friderico Primo Reipublicæ Papiensi collatum, nec ab eodem potuisse,nec a successoribus eius posse reuocari,sine culpa Reipub.Papien. Princeps enim naturæ & cōsuetudini feudorum, vt alius quiuis, parēre debet.d.c.1.de nat.feu.vt hoc ibi à Bal.aliisq; copiosè affirmatur.

De Feudo Guardiæ, & Castaldiæ.

Titulus II.

ITem illud quod datur nomine castaldiæ, vel guardiæ, & pro mercede alicuius rei, transacto anno potest iure auferri,etiam precio pro eo dato nō restituto: Nisi ad certum tempus datum fuerit.

Feudum nomine castaldiæ,vel guardiæ, vel pro mercede rei alicuius datum,post anni spatium,etiam non facta precij restitutione,auferri potest: nisi cum præfixione temporis datum fuerit.

1. Feudum castaldiæ, vt interpretantur nostri,concedebatur ratione administrationis bonorum & possessionum dominicarum. Eratq; Castaldio nō absimilis procuratori, & actori possessionum domini, cuius fit mentio in l.vlti.C.quod cum eo,qui in alie. potesta.est,secundum Aluarotum hic. Et secundum glos. erat velut œconomus quidam,cui res dominica gubernanda cō

da committebatur, instar œconomi ecclesiastici. argu. l. iubemus nulli. C. de sacrosan. eccles. Feudum verò guardiæ, id esse existimāt, quod arcis tuendæ, aut territorij custodiendi gratia concedebatur. Feudum autem pro mercede datum accipiunt, quo pro opera præstanda domino, merces constituitur: veluti si fiat ratione aduocationis, procurationis, alteriusve officij nomine, domino impendendi. Harum igitur rerum atque muniorum functionibus feuda quædam deputabantur, quæ tamen à propria feudi natura exorbitabant, poterantque emenso anni spacio, sola domini voluntate auferri, contra veram feudi naturam, quæ dictat, feudum sine culpa vasalli, legitimáque causa, non posse reuocari, vt infrà, de na. feu. vt in prin. & diximus in tit. præcedente §. vlti. Verùm si conuenisset, vt feuda ea vltra anni spacium, certo ac præfixo tempore retinerent vasalli: id quod cautum est, seruare oportebit. Nam contractus ex conuentione partium, legem accipere dignoscuntur. l. contractus. ff. de regu. iu. & l. i §. si conueniat. ff. deposi. Itaque ante constituti temporis reuolutionem, prælibata reuocare dominus non poterit. arg. l. iij. C. de loca. Vbi quis regulariter, durante conductione, non potest ęde expelli conducta: Quod tamen intelligendum videtur, nisi iusta quæpiam indignatio, aut legitima causa aliud suadeat. Quid enim si hic procurator dominicus, & actor, qui Castaldio, aut possessionum administrator vocatur, fructuum dominicorum non sit conseruator, sed dissipator? non in horreum condat, sed in luxum profundat? Item si custos ille territorij, & excubitor, qui Guardiæ feudum accepit, non excubias agat, sed ocio, ac torpore diffluat, aut proditorem etiam agat, ita, vt custode opus sit custodi, nónne iusta ratione ab his dominus feuda sua poterit, etiam ante præstitutum tempus, reuocare? Argu. d. l. iij. C. de loca. in verbo, si pensionem domino in solidum soluisti. sumpto argumenro à contrario sensu, quod fortissimum censetur. l. i. ff. de offi. eius, cui manda. est iuris. Et arg. in l. qui sub prætextu. C. de sacrosan. eccle. Vbi illi, qui sub decanorū, seu collegiatorum prætextu, immunitatem quærunt, & re ipsa, officiis suis non funguntur, solo nomine contenti, surrogatis aliis, remouentur. Dominus quoque administratores suos, iustè offensus, ab honore administrandi, & administrandæ rei negotio remouere conspicitur: imò & coercere. l. testamento centurio. in fi. ff. de manumis. testa.

2. Porrò quæ fuerit ratio, cur feuda præfata anno duntaxat vno, apud vasallos maneant, multis hic verbis, scrupulosaque indagine, & nihil ad rem pertinente, discutit Aluaro. Sed tandem anchoram figens, velut in fidissima statione, dicit esse rationem, quòd officiales ingrediebantur sua officia Calendis Ianuariis, & ea obtinebant per anni spacium. l. Publius. ff. de conditio. & demon. iuncta l. pridie. ff. de feriis. Quare inquit post annum elapsum, finito officio, finiebatur etiam feudum: Quia cessante causa, cessare debet effectus. Quæ ratio, quàm sit ridicula, nemo est qui nesciat. Nam esto Aluarotus ex d. l. Publius, & d. l. pridie. olfecerit, (vt est scilicet emunctæ naris) consulatum, cæterósque Romæ Magistratus annales fuisse, quid hoc ad Parmenonis suem? aut quid forma, ritusve magistratus Rom. cum hoc hominum genere Castaldionum & Guardianorum habuerit commune? qui non Romæ magistratum gerunt vllum, sed rem familiarem, & patrimonialem dominorum suorum administrandam, tuendamque suscipiunt. Nec consules aut magistrarus Romæ feudum aliquod annuum, ratione administrationis suæ leguntur habuisse. Bis itaque in re lippis & tonsoribus nota, errauit Aluarot. Qui si attentius verba Bal. circa finem huius

§. in simili quaestione prolata perpendisset, non tot nugas in rei huius inuestigationem effutiuisset. Verba autem Bal. sunt haec: Noli inquirere rationem, quia sufficit ita statutum esse. Potest enim dominus rei suae legem temporalem imponere. Ex his Bal. verbis, quae sit ratio apparet, cur haec feuda anno duntaxat durent vno: quia integrum fuit domino, rem suam posside̅dam & fruendam, tali adiecta conditione, alicui tradere. Quiuis enim rei suae moderator est & arbiter. l. in re manda. C. mandati. Et dominus talem temporalem cōtractum, & feudi donationem facere potuit. l. vlti. C. de legatis. Quae acceptanti vasallo, secundum suam naturam leges praescribit. Praeterea, haec feuda annalia nonnunquam precio comprobantur, & nihilo secius anno reuoluto, dominus ea reuocabat, nec precium restituebat, vt hic in text. Cuius etiam non alia est ratio, quàm quòd dominus hac conditione rem suam propriam, in feudi genus ab alio suscipiendum commutare potuit. Reuocantur itaque haec feuda post anni spacium, quia dominus hoc voluit, & reuocantur precio non refuso, quia & hoc voluit dominus, vt alludam ad illud locutionis genus, quo vsus est Imperator, in l. cùm quidam. in fi. C. de necess. ser. haere. insti. Proinde, nec vasalli aliquam huius rei iniquitatem praetēdere poterint, cùm scientes prudentesque istiusmodi generis feuda suscipiant. Scienti enim & consentienti, fraudem non fieri, neque dolum, notius est, quàm vt recenseri debeat. Regu. Scienti. de regulis iuris. libro sexto. & l. cùm donationis. C. de transactio.

§. *Si vero Castaldi aliquid nomine proprij feudi possederint, non valebunt propterea possessionem sibi defendere: nisi per pares curiae, vel breue testatum potuerint probare, se antequàm Castaldi essent, vel postquàm desierunt esse, inuestituram accepisse.*

Si illi, quos constat esse castaldos, aliquid sibi vsurpârint, & tanquam proprij feudi nomine, possidere praesumpserint, quod dominus feudi ad se pertinere dicit, possessio illis non defendetur, nisi testimonio parium curiae, aut breui testato (id est, publico instrumento, tribus vel duobus paribus confirmato. infrà. quae sit inuestit. post princi.) se probauerint, hoc quod possident per inuestituram accepisse, antequàm scilicet Castaldi essent, vel postquàm esse desiissent.

1. Equidem cùm per hos castaldos malignando (vt alibi inquit text.) multa bona domino saepius auferantur. c. vnico. de conten. inter do. & fide. de inuesti. feu. dum sub praetextu suae administrationis, quam vigore feudi castaldiae obtinent, res dominorum aliquoties inuadunt, improbáque audacia, velut proprij feudi ratione debitas, quo iure, quáque iniuria occupare, & possidere nituntur: rationi consonum fuit, horum fraudibus obuiare, & constituere, ne quid commodi ex ea possessione consequantur: nisi probare queant, se de rebus possessis, quas feudales esse contendunt, à domino inuestituram accepisse. Probationis igitur onus, quanquàm possessores sint, sustinere coguntur, cùm praesumptio sit, vitiosam eorum possessionem esse: quia praesumuntur sub praetextu officij, & administrationis feudi castaldiae, qua functi sunt, res tales inscio domino vsurpasse, & ex semente aliena (vt prouerbium habet) messem sibi fecisse. Quemadmodum regulariter & alias personas iura praesumūt, ex eo officio, quod gesserunt, vel ex ea functione, quam habuerūt, vel ex eo genere vitae, quod exegerunt, bona sibi comparasse. Sic enim vxor praesumitur acquisiuisse à marito. l. Quintus Mutius. ff. de dona. inter vir. & vxo. Sic Praelatus praesumitur acquisiuisse ab ecclesia, in Autentico, de ecclesiasticis titulis

§. inter-

§. Interdicimus. iuncta glos. in verbo, probatur. Sic officialis fisci præsumitur acquisiuisse à fisco, secundum glos. vlti. in l. defensionis facultas. C. de iure fis. lib. x. & per Bal. in Auten. licentiam. non procul à fine. C. de epi. & cle. Vbi adstruit speciale esse in his, qui gerunt administrationem fisci, vt scilicet, quicquid habeant, ita præsumatur ex fisco ad eos deuenisse, sicuti id, quod habent Prælati, præsumitur ab ecclesia profluxisse. Quod dicit bene notandum contra thesaurarios. Meritò igitur castaldi suspectam hanc possessionem, iure sibi competere probare debent, liquidisque probationibus, hoc est, per curiæ pares, aut breue testatum (vt hic in tex.) exortam contra se præsumptionē confutare. idque ne fuco, aut temeritati inuadendæ rei alienæ frena laxentur: néve alicui cōtra iuris regulam, fraus & dolus patrocinētur. Hanc arbitror genuinā esse mentē §. præsentis, quem hic Aluar. quintuplici intellectu, variisque ambagib. lacerat atque proscindit. Non refragatur huic §. id, quod habetur in c. ij. in fi. infrà. si de inuest. inter do. & vasallis oria. Vbi in possessione feudi existens, de quo dominus dicit eum inuestitum non fuisse, iuramēto possessionē suam tueri potest. Nam tex. ille loquitur de possessore veri feudi, qui per vnum annum sciente domino, & non cōtradicente in possessione permansit. Hic verò §. disponit de vasallo castaldiæ, qui in nulla veri feudi possessione, domino sciente existens, prætextu suæ administrationis, inuito, ac ignorāte domino, rem eiusdem occupasse præsumitur, nisi cōtrarium probârit. Igitur iuramentū illi non debet præsumptæ iniquitatis suæ esse præsidium: sed aliæ desiderantur probationes, vt hic in tex. Præterea etiam non refragatur tex. in §. item si vasallus. Infrà. si de inuesti. feu. contro. fuerit. Vbi vasallo possidente castrum tanquā iure feudi, & domino per guardiam se ei dedisse asserēte, probatio ipsius est domini. Nam tex. ille obtinet, cùm non constat euidentia facti, verúmne feudum, an castaldiæ, vasallus à domino habuerit. At præsens §. obtinet, cùm palàm constat, quem feudum castaldiæ acceptasse, seque pro castaldo publicè gessisse: huic enim, si rem dominicā postea velut titulo veri feudi possideat, iuris resistit præsumptio. Quare euidenter docere debet, se possessionē eius, legitimè fuisse assecutum, vt hoc text. cui optimè congruit text. in c. ad decimas. de Restitu. spoliato. lib. vi.

Qui succeßores feudum dare teneantur.
Titulus III.

SI verò Archiepiscopus, Episcopus, vel Abbas, vel Abbatißa, inuestituram eius feudi, quod alius detinebat, eo tenore alicui dederit, vt post deceßum eius, qui poßidet, habeat, & antè deceßerit Archiepiscopus, quàm ille qui feudum poßidebat, succeßores eorum non coguntur eam inuestituram facere, vel confirmare, etiamsi pares eius curiæ adsint testes, vel breue testatum indè sit: nisi ille qui inuestituram acceperit, nomine eius feudi in poßeßionem mißus sit, eo consentiente, qui detinet. Sed si ille qui feudum poßidet, prius deceßerit, quàm ille qui inuestituram fecit, iure cogitur eam ratam habere. Laici verò iisdem modis omnibus, quibus suprà diximus, si aliis inuestituram dederint, hæredes eorum si rationibus claruerint, omnimodo eam adimplere compelluntur.

Si ecclesiasticis dignitatibus insignes, feudi ab alio possessi inuestiturā alicui dederint, eo tenore, vt mortuo possessore, id habeat, tenentur eam

ratam habere, si post mortem possessoris feudi superuixerint: Si verò non superuixerint, successores eorum in dignitate non coguntur talem inuestituram à prædecessore factam sequi, aut ratificare: nisi in possessionem feudi, consentiente possessore, missus fuisset ille, qui modo præfato fuit inuestitus. Sed hæredes laicorum quacunque prælibata forma, inuestituram ab eo, cui succedunt, factam confirmare, & adimplere compelluntur.

1. Tam ecclesiastici, quàm prophani aliquem de feudo viuentis inuestire possunt, eo tenore, vt post mortem possessoris id habeat, vt hic in text. Talis enim concessio consuetudine feudorum est permissa. c. moribus. infrà, si de feu. defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. Tametsi iure Cæsareo, huiusmodi conuentiones, per quas de bonis superstitis agitur, odiosæ & plenæ tristissimi & periculosi euentus videantur. l. vlti. C. de pact. Sed de hoc latius differemus in d. c. moribus. Spes igitur futuri feudi à domino per inuestituram concedi potest. Sicuti & spes futuræ actionis per donatorem transferri. l. spem. C. de dona. Similiter & spes emi potest, veluti cùm quasi alea emitur. Quod fit, cùm captus piscium, vel auium, vel missilium emitur: multoque magis, cùm fructus & partus futuri emuntur. l. nec emptio. ff. de contrahen. emptio. Porrò spem talem de feudo per inuestituram concessam reuocare non poterit concedens. secundum Andre. de Ysernia, & Nico. de Neapoli. Sed cogitur, quàmprimum oblata opportunitate, feudi possessionem tradere vasallo. Intellige quoque, præfatam feudi inuestituram, viuente vasallo, ita demum fieri posse, si vasallus ille filios, aliósve vllos habeat successores, ad quos hoc feudum iure deuoluatur. c. i. infrà. Qui successores teneantur.

2. Successor Prælati ratam habere non cogitur inuestituram de feudo viuentis, vti prælibatum est, alicui cōcessam, velut in præiudicium sui iuris factam. Non enim prædecessor rem eam spe alicui conferre potuit, cuius conferendæ facultas à futuro pendebat euentu, qui vita eius durante, non accidit. Præsentium nanque rerum, non etiam post mortem suam gerendarum, habuit administrationem. Itaque falcem suam, velut in messem iniiciens alienā, non potuit præiudicare iuri successoris: qui inconsultè, aut (vt Pontificis verbo vtar) irrationabiliter quid gestum à prædecessore, quanquàm se, suosque successores graui pœna obligârit, adeò non cogitur habere ratum, vt reuocare etiam permittatur. c. ij. de precariis. & c. vt permutationes. de rer. permu. Verùm si consentiente possessore, is, cui feudum spe tali per inuestiturā datum est, in realem eius possessionē, viuente inuestitore Prælato, fuerit immissus, successor, quod actum est, ratum agnoscet: Quia per possessionis traditionē, iam res suam periodū, & robur irreuocabilis iuris est cōsecuta, à nullo amplius rei euentu depēdens, posteaq̄ ipsa feudi possessio iam contradita est vasallo, vt hic in text. Porrò aliis in rebus legitimè gestis, siue inceptis, siue consummatis, cogitur successor prædecessoris facta probare, contractusque vtiliter nomine ecclesiæ initos adimplere: adeò, vt id, quod promisit certo se loco soluturum, id successor eo loci soluere cogatur. c. dilecti filij. de fo. compe. Sicut enim filius debita patris soluere tenetur, ita Prælatus sui prædecessoris, si pro ecclesiæ necessitate sint contracta. c. i. de solutionib. Cuius text. dispositionem extendit ibidem Panorm. vt etiam obtineat, si prælatus pro sua sustentatione æs alienum contraxisset. Quasi hoc, quod in necessarios vsus vitæ suæ impendit Prælatus, æquè, ac pro necessitate ecclesiæ impensum esse iudicetur: quum ecclesia suum Pælatum alere cogatur, & sustentare, secundum notata in

c. præ-

c.præsentium.de pignori.Et dicit Panor.se de facto consultũ,ita pluries respōdisse. Quod maximè obtinet in Prælatis,qui longa infirmitate,& mala valetudine pressi,multis debitis inuoluti tandem moriuntur. Nam successores ea soluere tenentur,secundum eum ibidem. Item si Prælatus nomine ecclesiæ,prædia & possessiones alicui locasset ad modicum tempus (quod ferè intelligitur infra decēnium,secundum gloss.vlt.& ibi per Docto.in cle. I.de reb.eccle.non alienan.in Clemen.) cogeretur successor locationē habere ratam,nisi appareat,eam in damnum ecclesiæ redundare,secundũ Panor. in c.vlti.Ne Præla.vices suas,vel eccle.suban.seu conce. Quod tamen non obtinet, si Prælatus nomine suo proprio, prædia dignitatis suæ locasset: Nam eo mortuo,locatio quoq; euanuit, sicq; illi stare successor nō cogitur. Quinimò,quod post mortem Prælati locantis,conductor receperit, interea temporis dum vacauit dignitas, id futuro successori restituere compellendus est. Quia fructus vacantis dignitatis, futuro successori reseruantur. c.præsenti.de offi.ordi.lib.vi. Nisi speciali priuilegio,vel consuetudine iam præscripta legitimè, seu alia causa rationabili, aliis competant. vt ibidem. secundum Panormitanum, ibi suprà.

3. Cæterùm à prophanis inuestituram, ea, qua in text.apparet,ratione factam,hæredes omnibus modis confirmare,& adimplere coguntur, vt hic in text. Cuius ea est ratio, quòd vna quodammodo sit persona hæredis, & eius,à quo hæreditatem suscepit, vt in Auten. de iureiurando à moriente præstito,in princi.colla.v. Igitur respectu aditæ hæreditatis, voluntatem defuncti suo consensu firmare debet.l.si ab eo.C.de libe. cau. Nam ex qua persona quis lucrum capit,eius factum præstabit.l.ex qua persona.ff.de regu.iu.& l.cùm à matre. C. de rei vendi. Quæ ratio non viget in successore Prælati : cùm dignitates ecclesiasticæ iure hæreditario non acquirantur. c. apostolica.viij. q. I. Sicq; successor, & antecessor in prælatura, eadem persona non censeantur, secundum Bald. hic. Quare diuersa ratio, diuersum ius constituit.

Si de Inuestitura feudi controuersia fuerit.

Titulus IIII.

SI autem controuersia inter dominum & fidelem de feudi inuestitura fuerit, Quid iuris sit videamus. Et si inuestitura facta fuerit coram paribus curiæ, aut in breui testato, rectè eum, qui inuestitus est, cogitur dominus mittere in feudi possessionem. Si verò fuerit in possessione, & mota fuerit ei controuersia à domino, ei defensio detur propter possessionem. Si autem non fuerit in possessione, nec supradictis modis poterit probare, tunc illius erit defensio, qui inuestituram dicitur fecisse.

Exorta controuersia inter dominum & vasallum, de inuestitura feudi, si de eo inuestitum se esse legitimè probet, in possessionem feudi à domino est mittendus. Si verò ei in possessione existenti dominus controuersiam de feudo moueat, sacramento possessionē suam defendere poterit. Verùm nec possessionem feudi habente vasallo, nec inuestituram probante, per domini iusiurandum res dirimetur.

1. Constat duplicem esse inuestituram, alteram propriam, abusiuam alteram. Propria dicitur realis ipsa feudi possessio : Abusiua verò appellatur, per quam fit quædam imaginaria futuræ possessionis repræsentatio, velut

si hastam, vel aliud corporeum quidlibet dominus alicui porrigat, feudi se inuestituram facere dicens, vt infrà. quæ sit inuesti §. 1. Quanquàm hæc inuestitura nullam inuestito possessionem tribuat. c. per tuas. & ibi glos. in verbo, in possessione. de dona. & c. ex ore, iuncta gloss. super verbo, mandatum. de his, quæ fi. à maio. par. capi. Cùm non solo animo acquiratur possessio, sed actu apprehensionis corporeæ. l. possideri §. in amittenda. ff. de acqui. posses. Tamen ius irreuocabile ad feudum à domino consequendum præbet: Nam si dominus hoc pacto aliquem de feudo inuestiuerit, cogitur omnino inuestitum in vacuam eius possessionem mittere: Vacuam sanè, hoc est, liberam, non occupatam ab alio, remoto omni impedimento. Quòd si dominus non faciat, sed moras nectat tradendæ possessionis, cogitur vasallo refundere omnem eam commoditatem, quam ex re feudali protinus tradita, consequi potuisset. c. vnico. in fi. de no. for. fide. Et adeò quidem per hanc abusiuam inuestituram, fides domini obstringitur vasallo, vt rem ipsam, de qua facta est inuestitura, præcisè, atque necessariò tradere ac transferre cogatur. Proinde, si dominum pœniteat factæ inuestituræ, & ante translationem possessionis, vasallo recompensam obferat, aut quanti eius interest rem habere, daturũ se spondeat, non liberatur, sed ipsam feudi possessionẽ, de quo inuestituram fecit, tradere cõpellendus est. c. si facta. infrà. si de feu. defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. hoc tamen non obtinet, si dominus de eodem feudo inuestiat alium, eiq; feudi possessionem tradat, nam posterior inuestitus præferetur. secundũ Aluaro. ibi. versic. & concludo secundum veritatem, & versic. quæro, an sit dare aliquam cautelam. per l. quoties. C. de rei vendi. quã & Iason ibi. in xij. limitatione. in feudalibus quoq; obtinere concludit. hac tamẽ specie, priori inuestito obligatur inuestiens ad interesse dupliciter; vel ad soluendã pecuniam feudo æquiualentẽ, vel ad feudum consimile, parisq; æstimationis præstandum. Ita voluit Bal. in c. Inuestitura. versic. posset etiam. de noua forma fideli. & Aluaro. in d. c. si facta. versic. quæro quid si dominus inuestiendo & tradendo. Porrò dispositioni huius text. standum fuerit, triplici subsistente conditione. Prima, si vasallus inuestitũ se à domino fuisse legitimè probârit, hoc est, vel per curiæ pares, vel per breue testatum. vt in hoc text. Dicitur aũt breue testatũ, instrumentum publicũ. c. 1. quæ sit inuestitura. Breue dicitur, quia secundum Bal. breuibus fit verbis & compendio quodam. Poterit quoq; probari inuestitura per alios testes, quàm per curiæ pares, si dominus vasallos aut pares non habuerit §. si autem inuestitura. infrà. quæ sit inuesti. Secunda, si prius iuramentũ fidelitatis domino vasallus præstiterit §. vlt. infrà. de noua for. fide. secundũ Bal. hic in prin. Primò enim sacramentum fidelitatis præstandum est, priusquàm inuestitura realis fiat: tametsi fidelitatẽ verbalis & abusiua inuestitura præcedat. secundũ Bal. in c. vnico. quid præce. de. an inuesti. vel fi. Tertia, si dominus facultatẽ, potestatẽq; habeat rei tradendæ. Si enim aut iuris, aut facti impedimẽto illam tradere non posset, vtputà, quia fortè aliena sit, vel alioqui affecta, quo minus tradi queat, satis æquitati videtur cõgruere, dñm præstando interesse, liberari. Arg. l. seruus §. vlti. ff. de actio. empt. Vbi rem alienã mihi vendens ignorãti, tenetur in id, quanti mea intersit, meam esse factam, & in §. vlt. cum ibi notatis. Insti. de emp. & vendi. Quod & Bal. & Aluaro. hic cõprobant. His itaq; tribus subsistentibus, videlicet inuestitura abusiua, probata per vasallum: fidelitate præstita per eundem: & dño facultatem tradendæ possessionis habente, locus erit huius tex. dispositioni.

2. Si autem vasallo in feudi possessione existenti, dominus controuersiam

siam moueat, dicens hoc feudum spectare ad se, nec vasallo inuestituram esse factam, controuersia dirimetur per sacramentum vasalli, iureiurando affirmaturi, inuestiturã se esse consecutum, vt hic in text. Et hoc commodum præstat ei possessio: modò tamen per annum vnum, sciente domino, & non contradicente, in possessione feudi permanserit, de quo dominus dicit eum inuestitum non fuisse: Tunc enim sine vlla testium probatione, solus iurabit, se vel patrem suum de eo feudo fuisse inuestitũ. c. ij. in fi. infra, si de inuesti. inter do. & vasal. lis ori. At tamen si dominus probare vellet, inuestituram non esse factam, videtur admitti debere, non obstante annali possessione vasalli. Verùm si in probatione defecerit, tunc demum locus erit defensioni ipsius vasalli, ita, vt eius iuramento causa finiatur, vt est tex. in §. vlti. infra. de consue. recti feu. Per quem præsens §. interpretationẽ & supplementum accipit. Hunc intellectum tametsi non ponat. Aluaro. tamen imis (quod aiunt) labiis attigit Bal. hic in primo summario. Quanquàm illum tex. hoc alleget. Quæ de possessione vasalli paulo ante dicta sunt, nemo ignorabit, de legitima, bonáq; fide quæsita solùm accipi oportere. Nec enim quicq̃ iuris, dolus vasalli domino auferre potuit. l. eam quæ. C. de libe. cau. Nec æquum est, dolum suum quenquã relcuare. l. verum. §. tempus. ff. pro socio. Quare vt dolosa possessio ius possessori non tribuit. d. l. eam quę, ita nec violenta, aut prædatiua. Quandoquidẽ nemo de improbitate sua consequitur actionem, aut defensionem. l. itaq; fullo, ff. de fur. Huic congruit, quod voluit Innocen. in c. constitutus. de fil. presby. videlicet non esse faciendam restitutionẽ illi, qui spoliatus est beneficio ecclesiastico, si constet, restitutionem de iure non esse faciendam, veluti si possessionem eiusdem beneficij violenter occupasset. Ex præmissis itaq; constat, vasallum ex dolosa aut violenta possessione, nullum debere consequi patrocinium. Quod & Baldus hic notauit.

3. Porro vasallo possessionem feudi non habente, nec inuestituram factã esse probante, iureiurando domini lis sopietur, affirmaturi, nullam se inuestituram aduersario dedisse, vt hic in tex. Quanquàm enim secundũ regulas iuris cõmunis, cum obscura sunt iura partium, consueuerit contra eum, qui petitor est, iudicari. c. inter dilectos. in fi. cum glo. vlti. de fi. instrumen. Sitq; tritissimi iuris, actore non probante, eum qui cõuenitur, & si nihil ipse præstiterit, obtinere. l. qui accusare. C. de ædẽ. Tamen in cõtrouersiis feudalibus, etiamsi actor nihil probet de iure suo, poterit iudex, si ita videtur, sacramentum reo deferre, vt hic in tex. vbi apparet iuramentũ domino esse deferendum, tametsi actor vasallus de iure suo nihil probârit. quod tamen nõ perpetuum esse videtur, sed ita demum obtinere, si iusta aliqua ratio & causa, iudicis animũ ad hoc moueat. §. sacramentũ. inf. de consue. recti. feu.

§. *Si verò feudum aliquis habuerit, de quo nulla controuersia est, Et dixerit, se inuestituram alterius feudi accepisse ab eodem domino, nec in possessione fuerit, nec prædictis probationib, probare poterit, licet domini esset defensio, Ex ordine tamen, quia aliunde vasallus est, remittitur domino ex æquitate defensio.*

Si vasallus, quem cõstat feudum aliquod à domino obtinere, ab eodem aliud feudum petat ratione inuestituræ, quam de hoc se prętendit recepisse, nec feudi possessionem habeat, nec legitimè inuestituram probet, sola domini inficiatione, remisso iuramento, vasallus succumbet.

1. Cum quis vasallus esse alicuius domini conuincitur, ita vt manifestè ac palàm feudum aliquod ab eo obtinere dignoscatur, & feudum quodpiam aliud sibi à domino deberi contendit ratione inuestituræ factæ, nec tamen

illam probat, necp feudi, quod petit, possessionem est assecutus, æquius est, vt simplici assertione domini controuersia diffiniatur, nullo præstito iura mento, idq;, vt reuerentiæ, quam domino manifestus debet vasallus, ratio aliqua habeatur, vt hic. Quemadmodum alioqui ob reuerentiam, & patro no, parentibusq; iusiurandum remitti consueuit. l. iusiurandum ad pecu nias. §. qui iusiurandum. ff. de iureiuran. Non enim leuiter obstrictus est domino vasallus, qui quàm humiliter, quàm deuotè, quàm benignè, quàm fideliter erga dominũ se habere debeat, potius ex naturalibus, & bonis curi arum moribus potest percipi, quàm lege aut scripto aliquo comprehendi, vt inquit tex. in c. vnico. in quib. cau. feu. amit. Quinimo non à vasallo so lum, sed etiam ab ipsa curia parium, reuerenter dominũ tractari decet. quæ; si quid incidat contra dominum querelæ, debet adire dominum, eumq; (sal ua reuerentia) competenter cogere ad id, quod iuri & rationi fuerit consen taneum. c. vnico. infra. de mili. vasal. qui contu. est.

§. Cum autem quis dixerit, Feudum ad se per successionem pertinere, asserendo illud esse paternum: Si fuerit in possessione medietatis, vel alicuius partis: vel cam bium, proprietatis nomine, illius feudi habuerit, vel aliis iustis rationibus illud esse paternum probare potuerit, iure obtinebit: Si vero probare non potuerit prædi cto modo, dabitur ei defensio cum duodecim sacramentalib.

Asserens feudum aliquod per successionem, velut paternum, ad se perti nere, si in possessione dimidiæ, vel alterius partis illius existat, vel pro dicta parte sua, proprietatis nomine recompensam habeat, sicq; ius paterni feudi se vna in parte habere probet, etiam in alia parte, quam non possidet, obtine bit. Idem iuris est, si aliis iustis rationibus hoc feudum paternum esse pro bare poterit. Verùm si de parte possessa non plenè probârit, sed semiplenè duntaxat, defensio ei cum duodecim sacramentabibus permittetur.

1. Si vasallus habeat possessionem partis alicuius de eo feudo, quod tan quam parernum ad se asserit pertinere, & ius suum probet in parte possessa, etiam partes residuas obtinere poterit. Nam ille qui probatur ius habere in parte, etiam præsumitur habere in toto. Et dicit hic Bal. hoc esse specia le in feudis, cuius rationem ipse nititur assignare. Sed, vt ait Iulianus, non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest. l. non omni um. ff. de legib. Verùm vt in possessione partis feudi existens, etiam in alia parte vincat, necesse est duo interuenire. Primum, quòd annali spatio, sci ente & non contradicente domino, fuerit in possessione illius feudi partis, quam habet, secundum Andre. de Iser, per §. vlti. infra. si de inuesti. inter do. & vasal. lis oria. Alterum, vt iureiurando affirmet, partem eam, quàm non possidet, iusta ratione ad se pertinere: Quia tametsi eam partem, quam pos sedit, iure paterni feudi ad se pertinere probet, tamen ob id non censetur ius suum plenè probasse, quo ad partem residuam. Sed quoniam ex probatio ne vnius partis, ad reliquam quoq; ius præsumptum consequitur: ideò hoc iureiurando suo constabilire & confirmare permittitur. sicq; toto feudo po titur, nisi dominus magis luculenter probando præualeret. Præfata locũ habebunt, etiã si vasalus partem suam feudi, quã habuit, cum domino com mutasset. Nam satis est, si vasallũ ius ea in parte feudi habuisse constiterit.

2. Vasallus legitimè probans, feudum hoc, quod petit, totum esse pater num siue in possessioue partis fuerit, siue non, merito obtinebit, vt hic. & c. vnico. in fi. de conten. inter me, & do. de por. feu. fra. mei defunc. & secundũ Bal. hic in princ. Probatur aũt feudum esse paternũ, vel per curiæ pares, vel per

per breue testatum, per pares curiæ confirmatũ. Non autem probabitur per alios testes extraneos. illi enim quamuis idonei, admittendi non fuerint. c. vnico. infra. de conten. inter do. & fide. de inuesti. feu. Sed hæc intelligenda sunt, cum agitur de eo feudo, quod pater vasalli agentis in personam suam primus acquisiuit. Nam si ageretur de feudo paterno antiquo, inuestitura talis etiam per testes extraneos probari valeret. c. vnico. infra. qui testes sint necessarij ad no. inuesti. proban.

3. At si vasallus plenè non probaret, nec constaret partem possessam iure paterni feudi ad eum pertinere, tamen semiplenè doceret de iure suo, quod ad feudum petitum prætendit, defensio ei cum duodecim sacramentalibus permittitur, asserturis eum, vel ascendentes eius de eo feudo fuisse inuestitos, vt hic, & in c. vnico. de conten. inter domi. & fide. de inuesti.. feu. Cæterùm si neq; feudi possessionem aliquam teneret vasallus, neq; ius sibi ad feudum competere, plenè, aut semiplenè probaret, dominus verò in possessione illius esset, tunc domini iureiurando lis dirimenda foret, vt ibidem, secundum Aluaro. & doctores.

§. Item si vasallus possederit castrum, quod dixerit se pro Feudo tenere: & contra dominus per guardiam dixerit se ei dedisse, domini est probatio. Et si poterit probare, tunc ille, qui tenet, domino debet restituere, vel probare per pares curtis, vel per breue testatum, Postquàm in guardiam suscepisset, se à domino pro feudo inuestituram accepisse. Domino uerò in probatione deficiente, tunc illius erit defensio qui possidet. Similiter si aliquis possederit castrum, vel aliam rem, & dominus dixerit se pro pignore dedisse ei: Econtrariò ille dixerit se accepisse pro feudo. Si poterit dominus probare, quòd ei pro pignore dedisset, tunc ille, qui tenet, domino restituet, vel probet supradicto modo, se, postquàm à domino pro pignore accepit, feudi nomine accepisse. Et si dominus non poterit probare, se nomine pignoris dedisse, erit defensio illius, qui possidet.

Si dominus arcem quampiam, tanquàm in feudum guardiæ alicui concessam, repetat, isque eam nomine recti feudi suam esse contendat, probationis onus domino incumbit, quo probante vasallus arcem domino restituet, nisi probare poterit, se, postquàm in guardiam suscepisset, titulo recti feudi illam obtinuisse: Sed domino intentionem suam non probante, vasalli possessoris erit defensio. Idem iuris per omnia obtinet, si dominus arcẽ, vel quid aliud repetat, veluti pignoris aut hypothecæ nomine à se traditum illi, qui hoc pro feudo se accepisse asserit. Nam si dominus pignoratitiam traditionem probauerit, cogitur possessor domino restitutionem facere, nisi probet, se postmodum rem eam, iure feudi, ab eodem esse consecutũ. At si dñs in probatione defecerit, ita vt de pignoris traditione facta non liqueat, possessoris erit defensio, iuraturi, se feudi nomine rẽ præfatam accepisse.

1. Dominus feudum repetẽs tanquàm in guardiam à se datum, vasallo id negante, & econtrariò asserente, se id iure recti feudi possidere, ad probationis onus astringitur. Intentionem suam probãti, feudi possessio restituetur, vt hic. Idq; ea de causa accidit, quòd res ipsa planè versetur in ambiguo, nec constet, guardiæ ne, an veri feudi titulo id, quod repititur à domino, concessum fuerit: Nam alioqui si constaret, in guardiam semel à domino fuisse concessum, ei probatio nulla, sed asserenti, nomine proprij feudi se accepisse, probationis onus incumberet: docturo vel per curiæ pares, vel per breue testatum, se eius inuestituram legitimè accepisse. & ita intelligendum. c. vnicum. supra. de feu. guar.

2. Postea,

2. Posteaquã dominus probârit, se in guardiam, vel pignoris nomine rem aliquam dedisse, possessionem ei restituere aduersarius compellitur: nisi probârit, post guardiæ pignorisve concessionem, se de ea, iure recti feudi à domino inuestitum fuisse, vt hic in tex. Non enim obstat domini probatio, quo minus aduersarius suam quoq; intentionẽ probare possit. Quanq̃ enim iuris sit peruulgati, post probationẽ factam, & testimoniis publicatis iam confirmatam, non posse super eodem negotio ex diametro, contrariam instaurari probationem, nec testes aliquos eius rei gratia, esse recipiendos: idq; ad euitandum subornationis discrimen §. quia verò multi. in Autentico. de testibus. colla. vij. & Clemen. vlti. de testi. tamen nihil vetat, à parte aduersa nouam fieri probationem, si non super eodem negotio, nec super eisdem articulis (quos iam probatos esse constat) sed super nouis suaq; diuersa exceptione, probationẽ introducere velit. c. de testibus. eo. tit. in antiq. & l. siquidem. C. de except. & l. exceptionem. C. de proba. & hic in tex. vbi non obstante domini probatione de guardiæ aut pignoris titulo facta, admittitur etiam probatio aduersarij, qua conuincit, se postea rem eam, feudi iure esse consecutũ. Hæc enim ex diametro non repugnãt, sed vtrunq; in sua hypostasi cõsistit, verumq; esse potest, scilicet & pignorationẽ, vel guardiæ concessionem prius esse factam, & feudi dationem postea esse subsecutam: Cùm non solùm attestationibus publicatis, possit fieri, noua probatio, testiumq; receptio, si agatur super articulis omnino diuersis, sed etiam si agatur super eisdem prioribus articulis: modò tamen non directè cõtrario probationis genere, sed indirecto id fiat, vt probatur in d. Clemen. vlti. à contrario sensu. & ibi glos. in verbo, directè contrariis. Exemplum videri poterit in c. ex tenore. & quæ ibi prolixè tractantur per Panormit. & alios. de testi. Ex quorum dictis inferri potest, quòd si articulauerim, me tibi mutuasse centum, & testes à me producti deponant articulum verum, commemorantes locum, & tempus mutui facti: tu post publicationem attestationũ, hoc animaduertens, expetis probare, te eo tempore longè absentẽ, & in alio loco fuisse: Profectò ad huius probationẽ admitteris: Nam tuus iste articulus directè non repugnat meo priori, in quo de certo tempore, & loco nihil à me expressum fuit: quanquàm testes de illis deposuerint: Quod non obtinet, si ego prius in articulo meo, tempus, locũq; designassem: Tunc enim eo, quemadmodũ articulaui, per testes probato, attestationibusq; publicatis, probationi tuæ, tanquã ex diametro contrariæ locus non fuerit amplius, vt hæc probãtur in d. c. ex tenore, & ibi per Doctores de testib.

3. Domino non probante suam intentionem, videlicet arcem per guardiam, aut hypothecæ nomine à se traditam esse, possessoris erit defensio, hoc est, iureiurando affirmabit, vel se, vel patrem suum de eo feudo fuisse inuestitum: idq; obtinebit, secundum Andre. de Yser. si ad minus annali spacio possessionem habuerit §. vlti. infra. si de inuesti. inter domi. & vasallis oria. Hæc intelliguntur, si prorsus nulla rei euidentia constiterit, per guardiam ne, an veri titulo feudi possessionem sit consecutus. Alioqui si palàm sit, feudum ei per guardiam contigisse, ius suum, quod titulo recti feudi se habere prætendit, (& si in possessione sit) iureiurando tueri non posset, sed vel per curiæ pares, vel per breue testatum inuestituram probare deberet: Idq; ne iuramentum contingat præsumptæ fraudis esse patrocinium, vt patet in c. vnico. suprà. de feudo guardiæ, & quæ ibi latius sunt dicta. Porrò tametsi superiori specie videri queat, dño nihil probante, reum etiam, sine vlla iuramenti delatione esse absoluendum. l. qui accusare

C. de

C. de æden.& regu. Actore .de regu.iu. li.vi.Tamen vsibus feudorum receptum est,vt etiam si nihil probetur,iudex reo iuramentum deferre possit, si qua ratione iudicis animus ad hoc inclinet §.. sacramentum. infra. de consue. recti feu.Quid enim si domino probationibus destituto, nihilominus vasalli fides iudici sit suspecta, nonne æquum fuerit, vt si aliæ probationes defecerint,sacramenti religio scrupulum reliquum eximat, vt sic vndiq; veritate exquisita,nemo iniquo damno,aut lucro afficiatur? Cuius rei cōsiderationem,alio fine, etiam habuit Imperator, in l.scimas.§. licentia. C. de iure deli.Cum & sola suspitione laborans. nōnunquàm cogatur de sua conscientia satisfacere, vt est tex. in l. præsenti.§. cum autem. Versi. sicubi positæ. C.de his,qui ad ecclesiam confugiunt.

§. Si quis de manso vno, feudi nomine inuestituram acceperit, et dixerit, quòd omne incrementum pertineat ad eum per inuestituram: si dominus reseruauerit sibi aliquid in ipsa curtè,tunc oportebit fidelem incremēti inuestiturā per pares curtis, vel per breue testatum probare. Sed si dominus in ipsa curte nil sibi retinuit, tunc omne incrementum iure feudi fidelis obtinebit. si verò fidelis in possessione incrementi fuerit, non oportebit eum inuestituram probare, sed iurare.

Exorta controuersia inter dominum,& vasallum,super incremento feudi, vtrius scilcet iuri hoc cedat, si dominus sibi aliquid reseruârit in re feudali, oportebit vasallum probare,se etiam incrementi inuestituram accepisse: & hoc per pares curtis,vel per breue testatum,nisi vasallus esset in possessione incrementi.Hac enim specie non oportuerit modo præfato incrementi inuestituram probare,sed solùm iurare, se de incremento, vnà cum feudo fuisse inuestitum. Si verò dominus nihil sibi reseruauerit in ipsa curte,vasallo nullum incumbit onus probandi,sed omne incremētum iure feudi obtinebit. Hunc existimo genuinum esse sensum huius §. quem etiam hic Bal.in exordio recitat.Quanquàm Aluarotus,Iacobi de Bel.distinctionem secutus,aliter hunc textum interpretetur. Sed vt cuiuis paulo penitius inspicienti patescit, intellectus ab eo prolatus textui parum congruit. Mansus autem,cuius hic in principio fit mentio, vox est vernacula Italorū, & agrum significat,qui bobus duobus arari & coli quotannis possit. secundum glos.in verbo, mansus. c.i.extr.de censib.

1. Si dominus reseruârit sibi aliquid in re feudali, puta ius eundi ad alia sua loca, vel quid simile, secundū Andre.de Iser.& Nicola.de Neapoli, veluti particulam aliquam amœni secessus,aut locū arboribus,floribusq; consitū, seu aliud quippiam iuris, reive corporalis,vel incorparalis,per talem reseruationē iure præsumitur, omnia incrementorū emolumenta sibi retinere voluisse, ideoq; incrementa vniuersa talis causa reseruationis,ad ipsum dominum spectare debent: nisi vasallus probârit, hæc incrementa ad se spectare. Quæ probatio bifariàm fieri consueuit. Primò,per ipsam inuestituram continentem specialiter hoc cautum esse, vt talia quoq; incremenra ipsi cedant vasallo: Quam inuestituram ita factam,per pares curiæ,vel per breue testatum conuincet. Secundò, per iuramentum ipsius vasalli, asserturi, se de incrementis quoq; feudi inuestituram accepisse,& hoc cum fuerit in eorum possesione: Hoc enim comodum ei possesio tribuit, modo ea fuerit annalis,quemadmodum in similibus casibus dictum est,in Paragraphis præcedentibus.At si dominus nihil sibi reseruârit in ipsa re feudali,tunc omne incrementum feudo accedens, vasallus obtinebit. Sed quanquàm Aluaro. hic distinguat inter incrementum latens,& apparēs, iuxta id, quod habetur, in l.

In l. item si fundi §. i.vers.huic vicinus. ff.de vsufruc. Vbi alluuionis incrementũ latẽs spectat ad vsufructuarium, sed incrementũ apperẽs accedit proprietario. Apparens aũt appellatur, quod apparet separatũ esse, veluti, si insula iuxta fundum, in flumine nata sit. Ego tamẽ arbitror, in materia huius §. in nullo casu, eius distinctionis habendam esse rationẽ, cum hic tex. non distinguat inter latens & apparẽs incrementũ, sed solùm distinctionẽ faciat, vtrum dñs aliquid sibi in feudo reseruarit, vel non reseruarit. Quare coniectura capi potest, quasi nec sententia autoris sit, vt alia fiat distinctio, vt in simili habetur. in l. de precio. ff. de publi. in rem act. Nam lege non distinguente, nec nos distinguere debemus, vt ibidem. Et quod simpliciter dicitur, distinctionẽ non admittit. l. iiij. in fi. ff. de offi. præsi. & l. i. versi. & est relatum. ff. de aleæ lu. & aleato. Præterea si hoc ius feudorum, distinctionem iuris ciuilis obtinere voluisset, facilè eam intactam seruari expressisset: quemadmodum factum fuit ab Imperatore in l. vnica §. quæ antiquis legibus. nõ procul à fine. C. de cadu. tollen. Denique tex. hic apertè statuit, omne incrementum spectare ad vasallum, si dominus in ipsa curte nihil sibi retinuerit. At qui omne dicit, nihil excipit, nec quicquàm excludit. l. à procuratore, C. manda. l. iiij. ff. de offi. præsi. & bonus tex. in c. i. versicu. dicẽdo verò omnia. xix. distin. & glo. vlti. in c. solite. de maiori. &. obedien. Quapropter nulla distinctione latentis, vel mergentis incrementi habita, ad alterum duntaxat incrementum omne spectabit, prout apparuerit, dominum sibi in feudo vel reseruasse quipiam, vel nihil retinuisse. Quod & Andre. de Iser. & Bal. probasse videntur. Porrò, cum occasione reseruationis, quam sibi in re feudali fecit, feudi incrementa ad doninum spectent, iter suum per fundum feudalem ad præfata incrementa, si alius non pateat aditus, habere poterit. argu. l. ij. §. recte. ff. si serui. vendi. secundum Andre. de Iser. Nam cum per reseruationẽ in feudo factam, ius habeat ad incrementa, etiam ius habere censetur ad omnia ea, per quę ad ipsam incrementorũ commoditatẽ peruenitur. arg. l. ij. ff. de iuris. om. iudi. Cum enim permittũtur sequentia, etiam antecedentia permitti videntur. l. ad legatum. ff. de procura. Sed tametsi per fundum vasalli, eum ire concedatur, tamen ita viam suam instituet, vt non obsit vasallo. arg. l. vlti. ff. de serui. vrba. prædio. Verba enim ciuili modo sunt intelligẽda, & quædam in sermone tacitè excipiuntur. Itaque si alicui via per fundum cuiuspiam concedatur, vel relinquatur, per quamlibet eius partem ire quidem licebit, non tamen per ipsam villam, nec per medias vineas: cum id æquè cõmode per alteram partẽ facere possit, & minore fundi detrimẽto. l. si cui simplici. ff. de seruitu. Vbi etiam dicitur, ea demũ via quem ire debere, qua primũ viam direxit: nec amplius mutãdæ eius potestatẽ habere.

§. Rursus si aliquis acceperit inuestituram feudi cum omni incremento, quod ei obueniret, & aliquid accreuerit, viuente eo, à quo acceperit, ipsius erit: et si ille, qui inuestituram fecit, sine hærede decesserit, & feudum reuersum fuerit ad eum à quo ipse tenuerit, vel ad alium, quicquid post mortem eius, qui dedit, accreuerit, ad eum pertinebit, ad quem regressum fuerit.

Inuestituram feudi cum omni incremento consecutus ab eo vasallo, qui id cum iure incrementorum obtinebat, incrementa omnia acquirit obuenientia, tempore vitæ ipsius vasalli, qui præfatã inuestituram concessit. Post mortem verò eiusdem, quæ accreuerint, deuoluẽtur ad dominum, à quo vasallus concedens obtinuerat feudum, si illud quoque ad eundem debeat deuolui, Aluarotus geminum intellectũ huic §. attribuit. Et quanquàm ipse

probet

probet posteriorem,ego tamen arbitror primum ab eo positum,textui magis cõgruere. hoc præsupposito, quod vasallus inuestiturã alij faciens,feudum, vnà cum iure incrementorũ habuerit.Quod & tex.hic necessariò præsupponere videtur: Si enim hoc non habuisset,nec in alium transferre potuisset. l.nemo plus iuris.ff.de regu.iur. Sicque necessaria non fuisset distinctio hic in tex.posita,quæ fit inter incrementum obueniens tempore vitæ,inuestituram concedentis,& illud,quod post mortem eius obuenit.

1. Vasallus obtinens feudum,etiam sine domini consensu hoc alij poterit infeudare,modò bona fide, syncerè, & sine vlla fraude hoc fiat, vt hic in tex.& in §. beneficium.infra. si de feu.defun. conten. sit inter dom.& agna. vasall.& §. similiter, infra, de leg. Conra. Remota tamen procul callida illa machinatione,qua sub colore inuestituræ,& subinfeudationis prætextu,accepto pretio,in alios feudũ transfertur,atque venditur.c.callidis.infra,de prohi.feu.alien.per Fred.Dũmodò etiam subinfeudatio fiat in eum,qui æqualis sit cõditionis.d §. similiter. Denique modò eadem forma,eodem statu,iisdemque conditionibus,quibus obtinebat vasallus,hoc feudum alij per infeudationem concedat,de quo in d §. similiter. & in d §. beneficium. Hæc tamen infeudatio agnatis successuris præiudicio non fuerit,vtpotè,quæ vitam concedentis non egrediatur, in præiudicium superstitum agnatorum, secundum Aluaro.de quo latius in d §. similiter,differemus.

2. Habens à vasallo primo infeudationem feudi cum omni incremento, tamdiu incremento fruetur,quamdiu in humanis fuerit vasallus, qui infeudationem cõcessit: sed eo è viuis excedente,nullisque ab eo successoribus relictis,feudo ad dominum remeante, incrementa etiam ad dominum remeabunt. Nam per mortem primi vasalli infeudantis,à quo feudum cum incremento obtinuerat secundus vasallus, ius omne suum amisit. Cuius ea est ratio,quòd resoluto iure datoris, etiam resoluatur ius acceptoris. l. lex vectigali.ff.de pigno.& l.1.C.si pignus pig.da.sit.& §. rursus.infra titu.proximo.Quod obtinet,cùm ius acceptoris dependet successiuè, atque continuo à iure datoris. Diuersum igitur, si mox à datore profectum, numeris omnibus perficiatur,& absoluatur,adeòque à dante separetur, vt ab eo amplius dependêre non possit,vt in l.post contractum capitale crimen, valet, ante condemnationem secutam. Et ita resoluto iure donantis, non resoluitur ius accipientis: quia donatio iam fuerat numeris omnibus absoluta, & in donatarium translata,ita vt donantem amplius respicere non potuerit,nec dependêre ab eodem.Simili quoque modo, si vasallus cum domini voluntate, totum,vel dimidium feudũ alienauerit,stabilis permanebit alienatio: sicque iure datoris resoluto, non resoluetur ius acceptoris §. si verò. de aliena.feu. Nam per alienationẽ legitimam semel res abdicata,& in alium translata,amplius,quo ad iuris sui subsistentiam,non dependet ab alienante. Porrò si in proximum agnatũ,qui alioqui successurus fuisset,talis infeudatio facta sit, non reuocabitur morte datoris, hoc est,infeudantis.infra,de aliena. feu §. si verò.secundum Aluar.Sed si vasallus ille infeudans, ob culpam aut feloniam in dñm commissam,feudo suo priuaretur,tunc resolueretur ius acceptoris,videlicet,ipsius secundi vasalli,vt infrà.quæ fuit pri.cau.bene.amit.c.denique sæpe quæsitum est. Vbi inquit tex.si vasallus in dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat,non ad proximos,sed ad dñm beneficium reuertatur,vt hanc saltẽ habeat suæ iniuriæ vltionẽ.& in c.vnico.infra.an ille,qui interfe.fra.do.sui,feu.amit. Vbi textus ait,cùm ad dñm respicit felonia,feudum tunc domino aperitur.Postremò,ignorandũ non est,hunc secundũ vasallum,

sallum, qui feudum accepit à primo vasallo, per dñm antiquiorē, ad debita seruitia & obsequia, quæ feudi talis ratione præstari consueuerūt, compelli, & renuenrem, per feudi subductionem, ad ea coartari posse, secundum Bal. hic iuxta notata in §. adeò. Insti. de loca. & cōduc. cùm ei in subsidium, contra secundum vasallum, veluti cōtra debitorē debitoris, regressus debeat patére, iuxta notata in l. pro hærede §. si quid tamē. ff. de acquirē. hæred. Hanc Bal. sententiam, vt æquitati consonā, hic sequitur & cōprobat Aluarot. Quæ etiam iuuari videtur tex. in §. similiter, infra. de lege Conra. Vbi secundus vasallus inuestitus debet esse æqualis inuestienti, vt similiter & æquè domino possit inseruire, sicut & primus vasallus potuisset.

Quibus modis feudum amittatur.
Titulus V.

QVIA suprà dictum est, quibus modis feudū acquiritur, & retinetur, nunc videamus qualiter amittatur. Si enim dominus prælium campestre habuerit, & vasallus eum morantem in ipso prælio dimiserit non mortuum, nec ad mortem vulneratum, feudum amittere debet.

Consequens est, vt cùm hactenus tractatū sit, quibus modis feudū & acquiratur & retineatur, nunc elucescat, qualiter feudum consueuerit amitti. Primò igitur omnium, vasallus feudum amittit, qui dominum non mortuum, nec lætaliter vulneratum, in acie ipsa, prælióq; campestri dimiserit, atque destituerit.

1. Vasallus dominum suum in prælium euntem comitari debet, vt hic. & in c. item qui dominum. infra. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. Quod obtinet etiam, si procul à patria belligerandum fuerit, modò bellum aut prælium suscipiatur pro vita, honore, & rebus domini vel conseruandis, vel recuperandis. Ad ea siquidem iureiurando astringitur vasallus, vt in c. vnico. de no. for. fideli. Vbi nulla specificatione loci, promittitur fidelitas, contra omnē hominē, excepto Imperatore, vel Rege. Item omne auxilium, tam ad vitam, honorē, & res domini tuendas, quàm recuperandas, omni tempore. Quare si dñs cogatur longè à patria bellum suscipere, idq; necessariæ defensionis, aut recuperationis gratia, obligātur vasalli dño suo assistere: & quocunq; res postulârit, dñm proficiscentē comitari, eiq; operā auxiliarē in tuendis, vel recuperandis rebus impendere: dummodò & ius bellandi dño sit permissum, & iniustam belli causam habere non appareat. arg. c. dominus noster. xxiij. q. ij. secundum Andre. de Yser. & Aluaro. hic. Quemadmodum non rarò expedit, vt copiis in terram hostilem, & si procul dissitam, eductis à patria hostis impetus auertatur. Quemadmodum constat fecisse Scipionem, qui exercitu in Aphricam traducto, Hannibalem à Romanorū oppugnatione, ad domestici belli solicitudinem reuocauit. Si verò dominus non propter suam, patriæ, aut rerum suarum defensionē, seu recuperationē, aduersus exteras gentes bellum mouere velit: sed vel propagandi imperij gratia, vel nominis sui, famæ rerum gestarum gloria illustrandæ, vasalli quoq; dominū eo tendentem sequi debent, si aut ipse, aut maiores eius consueuerint huiusmodi expeditiones in Barbaros, aut procul dissitas gentes facere. Hac enim specie tenentur vasalli solita obsequia agnoscere, & vnà cum dño in expeditiones proficisci, instar libertorum, qui operas consuetas dominis præstare coguntur. l. operarū. in verbo, consuetudini. ff. de ope. liber. & argu. l. vel vniuersorum. ff. de pigno. actio. secundum Speculatorem in titu. de feu.

feu §. quoniam.verſi.xxiiij.At ſi dominus non cõſueuerit exteros bellis laceſſere,nec fines ſuos,proferendæ ditionis cauſa,egredi, videtur onus incõſuetum in humeros vaſallorũ non debere reclinari,tum quia inſolitũ, tum etiam,quia hoc in feudorũ ſuſceptione non videtur vel à domino,vel à vaſallis fuiſſe cogitatum: Itaq; nec feudorũ obſequiis comprehendendum.arg.l. qui cum tutoribus.§. tranſactio.ff.de tranſact.cum §. fina.ibidem.& l. cum Aquiliana.co.tit.vbi id,quod nõ eſt cogitatum,in ſuo ſtatu retinetur. Prætcrea durum eſt,quem cogi de prouincia in aliam ire prouinciam.l.ſed & hæ perſonæ.§. non ſolùm. ff.de procura. Et videtur illi impunè non pareri,qui in loco remoto,& de quo cogitatum non eſt,adeſſe iubet.l.ſi cum dies.§. ſi arbiter iuſſit.ff.de recep.arbi. Libertus quoq; operas ſuas, in locis conſuetis domino reddit. Nam ſi vagari per orbem terrarum velit, non erit iniungenda neceſſitas liberto, vbicunque ſequi. l.quod niſi, in fi. ff. de ope.liber. Hanc diſtinctionem probat Speculat.vbi ſuprà. quam tamen non eſſe perpetuam,fortaſſis rectè quis dixerit. Nam licet domini,aut maiorũ non habeat conſuetudo,vt vaſalli,belli gerendi gratia,extra patriam traducantur,tamen ex hoc abſolutè nihil pronunciari poſſe videtur: cùm multa oriri queant,& incidere,ob quæ talis expeditio pro bono reipublicæ fuerit æſtimanda. Ideoq; boni viri arbitrio cauſam licebit examinari, ob quam talis expeditio fuerit vel ſuſcipienda,vel poſtponenda: vt ad hæc colligitur argumentum optimum in l.Meuia §.vxore hærede. ff. de annuis lega. Quanquàm ſi breues quaſdam excurſiones contra conſuetudinem facere cupiat dominus,non videatur vſq; adeo vaſallos reluctari debere. arg.d.§.vxore.in fine. Quæ ſuperius dicta ſunt,obtinere cenſentur,cùm iuſta legitimaq; cauſa dominus bellum ſuſceperit. Tunc enim vaſalli & acriter in hoſtem ferri, & omnẽ vim hoſtilem à domino ſtrenuè arcere debent, nihilq; intereſt, aperto Marte, an inſidiis res geratur. c. dominus noſter. xxiij.q.ij. Idemq; iuris eſt, ſi res in ambiguo verſetur,iuſtáne cauſa,an iniuſta dominus impellatur ad bellum ſuſcipiendũ.Nam in ea ambiguitate pari ſtudio (vt iam dictum eſt) domini conatibus opitulabuntur.At ſi palàm ſit,temerè aut iniuſtè dominum quid moliri: tametſi non cogãtur iniuſtæ expeditionis comites fieri,operã tamen dabũt,vt hoſtilis iniuria à dño propulſetur,defenſione eius, non etiam hoſtium inuaſione ſuſcepta,vt in titu. hic finitur lex,dein. conſuetu.incip.Et quæ ibi crebrior habet opinio Docto.Quapropter,ſi vaſallus iniuſtæ expeditioni ſe adiungens,ſaniore vſus conſilio,& mente in melius commutata,ſe ex acie ſubducerer,dominumq; alios temerè affligentem deſereret,feudo neutiquam priuandus foret, etiamſi domino fidem ſuam in eo negotio peculiariter obſtrinxiſſet. ſecundum gloſ. & Docto. In malis enim promiſſis reſcindenda eſt fides: In turpi voto mutandum eſt decretum: Incautè promiſſa non ſunt præſtanda: Et impia eſt promiſſio,quæ ſcelere adimpletur.c.in malis.xxij.q.iiij.Licentia etiam cuiq; eſt,arbitrij cõmutãdi,ne iuſtæ pœnitudinis humanitas amputetur.l.ſi quis libellos.C.de appell. Nam licet quis non poſſit mutare conſilium in alterius detrimentum.Regu.mutare.de regu.iu.li.vi.tamen id mutari poteſt, ne anima ſuſtineat detrimentũ : cùm ea ſit cæteris rebus omnibus præferẽda.l.ſancimus. C.de ſacroſan.eccle.Et vnius animæ amiſſio maius damnũ cenſeatur,quàm ſi innumerabilium mors corporum contingeret.c.ſi habes.verſ.quid dicam de coniuge.xxiiij.q.ij. Quinimò cùm iniquitas domini bellũ temerè ſuſcipientis,vaſallo cõmutãdi cõſilij occaſionẽ præbeat,damnũ exinde prouenien s ſibi ipſi imputabit,ꝗ illicitũ genus belli ſuſceperit.Sicq; hic locus erit regulę

dicenti: Damnum quod quis sua culpa sentit, sibi debet, non aliis imputare. reg. damnū. de reg. iu. li. vi. Verùm enimuerò, si hic vasallus sciens, prudẽsq; in illicita expeditione, domino suo se adiungẽs, prætextu mutati in melius animi, quasiq; ab iniusta persecutione iam resipiscentis, fraudulento cõsilio, quod ex euentu, indiciisq; cõstare poterit. l. dolum. C. de do. & l. fraudis. ff. de regu. iur. velut si in ipso procinctu, vt dominus circumueniatur, ab eo deficeret, ipseq; dominus præsidio solius vasalli fretus, iam ab eo destitutus in discrimen adduceretur, ad resartiendum omne dispendium, quod ea ratione sustinuerit, efficaciter contra vasallū agere poterit. Nam si dominus huius vasalli opem non habuisset, qua sola confisus in expeditionẽ prodiit, aliorum opem & auxilium adhibere potuisset. l. in cõmodato. §. sicut. ff. cõmoda. Cùm alioqui alius quiuis, etiam non vasallus, semel suscepta alicuius defensione, eam deserere non possit, sed ad finem perducere teneatur. Proinde si mihi iustè bellum gerẽti Dux quispiam operã suam & auxilium obstrinxerit, quibus ego in fiduciam erectus, hostes aggredior, si me deserat & destituat, ad omne damnum pecuniarium, ac ad interesse refundendum mihi obligatus erit, secundū Andre. de Yser. & Aluaro. hic per d. §. sicut. Non enim me impunè fortè periturum deserere debet. Nam suscepisset defensionem meam alius, si is non suscepisset. Et licet voluntatis sit, alicuius suscipere defensionem, necessitatis tamen est, eam cõsummare, vt ibi in tex. cui etiam congruit lex, nam & Seruius. §. si viuo Titio. ff. de nego. gest. Per quam legem dici posset, præfatum Ducem, etiam me in bello moriente, non debere susceptã expeditionẽ intermittere. Quanquã enim nouam inchoare nõ cogeretur, veterẽ tamen & susceptã explicare & cõsummare necessarium esset, vt est argumentum expressum in d. §. si viuo Titio. Prædictis etiam applaudit. §. vlt. in l. si pupilli tui. ff. de nego. gest.

2. In prælio dominum non mortuum, nec mortiferè vulneratū, deserens vasallus, feudum amittit, vt hic. & in. §. item qui dominū. infrà. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. Vbi dicitur, qui dñm in acie periclitantẽ dimiserit, beneficio indignum se iudicauit. Et est ratio, quia vasallus dño suo adesse, & cum eo strennuè in prælio laborare debet, ipsumq; à morte liberare, si hoc possit. Igitur, si à morte vasallus dominum liberare potuerit, & non fecerit, beneficio carebit. infrà. de aliena. pater. feu. §. vlti. Et alius text. nempe in c. vlti. infrà. de feu. sine cul. non amit. dicit vasallum feudo priuandum, si in pugna dominum suum dimiserit, & cum eo non laborauerit, si potuerit. Quare si vasallus confossus, aut grauiter sauciatus, se ex acie subducens, dominum dereliquerit, hoc ei fraudi non fuerit, nec ea de causa feudum amittet, secundum glos. hic. Parcitur enim ei, qui tam grauiter affectus, opem dño ferre non potuerit. l. si quis in graui. ff. de senatuscon. Syllania. & Claudia. Porrò tametsi serui, quoties dominis suis auxilium ferre possunt, non debeant saluti eorum suam anteponere. l. 1. §. eodem autem tecto. versi. iuxta hoc tamen. ff. de senatuscon. Sylla. & Clau. & l. cùm dominus. ff. eo. ti. Vbi cùm dominus occiditur, auxilium ei familia ferre debet, & non solùm armis & manu, & clamoribus, sed etiam obiectu corporis, idq; sub pœna vltimi supplicij: Tamen vasallus saluti domini suam poterit anteponere, cùm non tantùm astrictus sit domino, quantum seruus hero, secundum glos. hic. & in. §. vltimo, in verbo, liberare, infra. de aliena. pater. feu. Quas glos. hic post alios approbat Aluarotus. Sed contraria est sententia Specula. in titu. de feu. §. quoniam. versic. xxvij. quæritur, circa finem illius quæstionis, dum dicit: Item non debet vitam suam præferre vitæ domini. Sed durum hoc

fuerit,

fuerit,non expressa lege, asseuerare: cùm alioqui & libertus multis nominibus domino obstrictus,ad eas demùm operas dño præstandas obligetur, quæ sine periculo vitæ præstari poterint. l.hæc demũ impositæ. ff. de ope. liber. Nisi quis dixerit,aliam videri conditionẽ vasallorum,quibus in id feuda tribuuntur, vt domini salutẽ, domi ac foris perpetuo studio tueantur: sicq; feudorũ commoditatẽ hoc etiam onus peculiariter comitari. Verùm hæc à personarũ ac feudi qualitate,obseruataq; regionũ cõsuetudine,interpretationẽ recipere posse videntur. Certè non leuiter vasallum ius obstringit,dum relinquere in acie dñm nõ permittitur,nisi vel mortuum,vel mortiferè vulneratũ. Qua ex re peruium fit, quãto cum discrimine vitæ necisq; dñi salutẽ tutari debeat. Aequiparatur aũt hic mortuus & lætiferè vulneratus ad eum finẽ,vt vasallus dñm derelinquẽs,non priuetur feudo,cùm mortiferè vulneratus,æquè sit periturus,etiam si à vasallo nõ derelinqueretur. arg. l. si alius §. est & alia,in verbo,æquè perituris ædib. ff. quod vi,aut clàm. In aliis verò casibus,mortiferè vulneratus mortuo non æquiparatur. Proinde,si alius quem mortiferè percusserit, alius postea exanimauerit, prior quidẽ non tenetur,quasi occiderit,sed quasi vulnerauerit: quia ex alio vulnere periit: sed posterior tenetur, quia occiderit, vt est præclarus tex. in l. item Mela §. Celsus scribit. ff. ad legem Aquiliam. Ea quæ superius dicta sunt,ita demùm obtinẽt, si feudi natura & qualitas non repugnet. Constat enim franchi feudi possessorẽ, ad ea, quæ prælibata sunt,non teneri. secun. Oldra. Cons. ccxxxiij. Idem de consimilibus fuerit iudicium.

§. *Item si fidelis cucurbitauerit dominum, id est, cum vxore eius concubuerit, vel concumbere se exercuerit, aut cum ea turpiter luserit: vel si cum filia, aut nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum sorore domini concubuerit, (hæc ita obtinent, si in domo domini maneat,) iure feudum amittere censetur.*

Vasallus cum vxore domini concumbens,vel se,vt cõcumbat,exercens, aut cum ea turpiter ludens,vel concumbens cum filia,aut cum nepte ex filio, aut cum nupta filio, aut cum sorore domini, (si in eiusdem domo maneat) meritò feudum perdere iudicatur.

1. Vasallus,qui cum vxore domini rem habuit,feudum amittit,vt hic. Etiamsi volente vxore id factum fuit. Tametsi enim nulla sit iniuria, quæ in volentem fit,quantum ad vxorem attinet,tamen ea iniuria mariti pudorem perstringit. arg. l. i §. vsq; adeo. ff. de iniu. Et ea de causa vasallus grauiter dominũ offendens,feudo priuabitur. Maritus quippe ægrius fert,vxorem suam ab alio constuprari,quàm proprium filium occidi. l. Codicillis §. matre, & vxore. ff. de lega. ij. Vbi cùm dicit text. scis vnum fratrem tuum filium nostrum occidisse. sed & alia mihi deteriora fecit. Exponit Bal. quia fortè cõcubuit cum priore vxore testatoris. Quam expositionem & alij sequuntur. Si aũt domino mortuo,cum vidua domini quondam vxore concumbat, non videtur ob id feudo priuandus. c. vlti. de feu. si. cul. non amitt. Vbi tex. dicit, vel si concubuerit cum vxore domini sui, domino viuente, quæ verba,dño viuente,non videntur esse ociosa, sed tacitè innuere, diuersum fore,si id fiat domino mortuo. quod & Bal. sensit. Quanquã repugnet Aluarot. allegans l. fœminæ. ff. de senato. & l. filij §. vidua. ff. ad municipa. Quæ leges nihil opinioni eius congruunt, sed potius reluctantur. Volunt enim,clarissimorũ virorum vxores viduas,tamdiu claritudine virorũ gaudere,quàmdiu inferioribus nõ nupserint. Quare si per nuptias desinũt esse, quod fuerunt,longè magis esse desinẽt per illicitos congressus. At si vidua ea filium haberet,qui patri in feudo succedẽs,dominus huius vasalli effectus

 esset,

esset, tunc vasallus cum ea cōgrediens, feudum amitteret, non tam ꝙ viduam quondam domini, quàm ꝙ matrem præsentis domini constuprasset. Quæ enim reuerētia debetur coniugi, etiam & matri deberi videtur. argu. in Auten. de consulibus §. hæc itaqꝫ. versi. si verò non copulatus. colla. iiij. Idem obtinet, si vasallus non vxorem, sed sponsam domini, etiam nondum traductam, vitiaret. arg. l. in legibus. ff. de testi. & l. si qua mihi, in prin. ff. de ritu nup. & §. si vxor. Insti. de nup. Idem quoqꝫ obtinet, si vasallus rem haberet cum domini concubina, indubitato affectu ei copulata. arg. l. item legato §. item interest. versi. parui autem refert. ff. de lega. iij. Vbi tex. dicit, sanè enim, nisi in dignitate, nihil interest, scilicet inter vxorem & concubinam. Quod & Bal. alia quadam ratione cōprobat. Attamen si vasallus cum pedissequa domini rem haberet, quanquàm dominici honoris temerator esset. c. de forma. cum glos. super verbo, ad honestatē. xxij. q. v. Et etiam secundum And. de Yser. periurij crimen incurreret, feudo tamen ob id priuandus non foret. Quia pedissequa non est inter eas personas enumerata, cum quibus stuprum commissum feudi amissione punitur.

2. Non solùm vasallus feudo priuatur, qui cum vxore domini concubuit, sed etiam, qui, vt cum ea concumberet, se exercuit. vt hic in tex. Nam in maleficiis voluntas spectatur, non exitus. l. diuus Adrianus. ff. ad legē Cor. de sica. Et cùm tex. hic dixit, se exercuit, denotauit non simplicem cogitationem, (nam cogitationis pœnam nemo meretur. l. cogitationis. ff. de pœn.) nec etiam actum aliquem à cogitatione progressum, innocuum tamen, & sic iusta pœnitentia abolendum. l. qui falsam. ff. ad leg. Corn. de fal. veluti si amatoriam conscripsisset epistolam ad dominam: tamē pœnitentia ductus, illam non missam lacerasset. Sed denotauit hic tex. actum quendam, iam propius ad ipsum delictum accedentē, planéqꝫ exertitium quoddā, & conatū successiuum, veluti si iam literis amatoriis missis, aut illecebris munusculorū, vxoris dominicæ pudicitiam sollicitasset, familiam & custodes corrupisset: aliisqꝫ omnibus strophis ad expugnandam eius pudicitiam vsus fuisset. Nam vasallus se ita exercens, etiamsi stuprum non fuerit subsecutum, feudo priuabitur, vt hic in tex. De pertinentibus ad hanc materiam vide latius in l. si quis non dicam rapere. C. de episc. & cle. Nam cùm talia fiunt, verè dicitur, in maleficiis voluntatē spectari, non exitum. d. l. diuus. Non enim stat per voluntatem conantis, quo minus improbum desyderium re ipsa compleatur, quanquàm effectui non mancipetur rei euentu. Itaque & is, qui cum telo ambulauerit, hominis necandi causa, sicut is, qui hominem occiderit, legis Corneliæ de siccariis pœna coercetur. l. is, qui cum telo. C. ad legem Cornel. de sic. Veruntamen, si vasallus sua sponte desistat, ab incepto offendiculi genere, modò insidias non struxerit domino, præuij conatus, feudi priuationem non irrogabunt §. si volu erit. infrà. de capita. qui curi. vendi. Quæ sententia ad quamvis iniuriæ speciem, à vasallo inferendam, probabiliter fuerit porrigenda. Præterea vasallus etiam feudo priuatur, si cum domini vxore turpiter luserit, vt hic in tex. Nam ludus quoque noxius in culpa est. l. nam ludus. ff. ad leg. Aquili. Et Iustinianus in prooemio. ff. non procul à fine: Quis ludos, inquit, appellet eos, ex quibus crimina oriuntur? Proinde locus erit huic tex. si vasallus domini vxorem impudenter contrectârit, & præter gentis consuetudinem in loco suspecto osculatus, vel amplexatus fuerit, secundum Andre. de Yser. Cùm in his non minor vigeat ratio, quàm in turpi ludo: nisi quis talia, significatione turpis ludi, dixerit comprehendi. Cæterùm, tametsi

tametsi vasallus cum filia,nepte,nuru,aut sorore domini concubuerit,feudum amittat, tamen si cum illis concumbere solùm conetur, seq; ad hoc exerceat,ob id feudo non priuabitur: quia tex.hic post istas quatuor personas, non repetit illa verba ,vel concumbere se exercuit : ideò nec tacitè subintelliguntur. Nam quoties differentiæ causa aliquid in lege exprimitur, eius tacita non fit repetitio, secundum Bal.hic in fi. dicentem,hoc bene esse notandum. Porro vasallus cum sorore domini rem habens,ita demum feudo priuatur,si in domo domini suam habuerit mansionem,vt hic in tex.& in .§.rursus.infra.quæ fuit pri.cau.bene.amit.Vbi tex.loquitur de sorore in domo adhuc manēte,quæ in capillo dicitur,vt ibi inquit tex.Igitur si iam extra domum ac tuitionem fratris constituta, alibi habeat domicilium, vasallus cum ea concunbens, feudo priuandus non videtur. Est enim grauius delictum, quod in domo illius, quem reuereri decuit,perpetratur. Nam & alibi iureconsultus ait, maiorem iniuriam putauit legislator, quòd aliqua in domum patris,aut mariti,ausa fuerit adulterū inducere. l. quod ait lex. ff.ad le.Iuli.de adul.Et alioqui locus ipse,criminis qualitatem adauget.l.aut facta .§. locus.ff.de pœn.Postremò omittendum non est,vasallum,licet cum nulla præfata persona rem habuerit,sed illicitas & incœstas nuptias contraxerit,feudo priuari.c. vnico.versi.bona contrahentium incœstas nuptias.infra. in Ti.Quæ sunt Rega.& per tex. in Autenti.de incœstis & nefariis nuptiis, in princi. colla.ij. Vbi talis omnium rerum suarum dominio priuatur,& omne id principis ærario assignatur, si filios ex prioribus legitimis nuptiis nō habuerit. Quare cum dixerit omnium dominio priuari,nihil exclusit. xix.dist.c.si Romanorum. versi.dicendo verò omnia.& l.iiij. ff. de offi.præsidis. Igitur etiam feudo, si quòd obtinebat, priuatus censebitur. Et quanquàm Pontifex postmodum super matrimonio dispensaret, hocq; validum permanere indulgeret,non tamē propterea recuperaretur feudum, quod per tales contractas nuptias, iam alij fuit apertum, vel rediit ad concedentem, vndè erat profectum: cum talis dispensatio Pontificia, intelligatur fieri sine iuris præiudicio alieni.argu. in c. quamuis. de rescrip.lib, vi. Ita pulchrè adstruit Bal. in l. i. versicu. quinquagesimo primo, in secunda lectura.ff.de rer. diui.

§. *Similiter si dominum assalierit, vel castrum Domini, sciens, dominum vel dominam ibi esse. Item si fratrem suum occiderit, vel nepotem, id est, filium fratris.*

Vasallus dominum, aut eius arcem assiliens: Item fratrem suum proprium,vel nepotem,id est filium fratris occidens,feudum suum amittit.

1. Si in personam domini irruat, aut insultum faciat vasallus, grauiter delinquere censetur,& ob id feudo priuatur, vt hic in tex.& nihil interest, an pedes, vel equester,in terra,vel in aqua,vasallus in dominum irruat. Velut si in nauigantem, dolo malo,ac de industria nauem suam impingat: Parui enim refert, an nauem immittendo,an sua manu,damnum dederit vasallus. argu. l. quemadmodum .§. si nauis tua. ff.ad l. Aqui. Similiter si vasallus arcem domini assiliat, feudo priuatur, etiamsi dominus id temporis, ea in arce non existat: Quanquàm enim hic tex.mentionem faciat de vasallo assiliente castrum, & sciente ibi dominum, vel dominam esse, tamen idem iuris obtinet, si id ignoret,modò arcem domini assiliat: quia periurium & infidelitatis notam, & feloniam erga dominum incurrit, damnum possessionibus domini inferens: Nam iurat se domino in suis possessionibus dāno non futurum.c.vnico. infra de for.fide. versi.vtile. Imò & res domini se conseruaturum,& recuperaturum omni tempore.c.vnico. versi. & si contigerit.

tigerit.Infr. de no. for. fide. Quare ad hunc tex. subaudiendum est maximè, secundum Bal. & Aluaro. hic. Præterea & si vasallus nec dominum, nec arcem eius assiliat, sed vicum, in quo est, per vim aggressus fuerit, feudo priuatur §. porro. infra, quæ fuit pri. cau. benefi. amit. Quinimò hæc adeo conuenit à vasallo esse aliena, vt si præsciuerit, alium contra dominum suum insultum moliri, quàm citius id ei debeat indicare, vt dominus sciens, prudensq́ periculũ valeat declinare §. præterea. quæ fuit pri. cau. bene. amitten.

2. Vasallus fratrem suum, aut nepotem ex fratre rrucidans, feudo priuatur, vt hic. At si fratrem domini perimat, non ideò beneficium amittit, c. vnico. infra, an ille qui interfe. fra. do. sui, feu. amit. Quod intellige, nisi fratrem domini proditoriè occidisset. vt ibidem. Vbi etiam habetur, id obtinere, si hominem quemcunq́ proditorie perimat: cum proditionis nota infamis, in curia domini amplius versari non possit, sicq́ beneficium perdat. At si germanum suum proprium, etiam non proditoriè interimat, feudo priuabitur, tum propter crimiuis atrocitatem. qua frarer, abhorrenre natura, ferrum stringit in viscera fratris, tum ob retundendam improbam spem, qua de fraternæ successionis portione concepta, tam immane facinus fratres nonnunquam perpetrare consueuerunt, Improbæ itaq́ cupiditati frenum imposuit ius feudorum, statuens non solum hunc fatricidam sperata fraterna successione destitui, verùm etiam eo feudo, quod ipse tenet, priuari, ad agnatum proximiorem deferẽdo, si paternũ fuerit, vel etiam deuoluendo ad dominum, si personam eius felonia respiciat, vt d. c, vnico. an ille, qui inter. fra. do. sui. feu. amit. Quemadmodum præfata obtinent in vasallo perimente suum fratrem, ita etiam in occidente nepotem suum ex fratre, vt hic in tex. quem Bal. hic dicit magis expresse probare, quàm alibi reperiatur, filium fratris, nepotẽ dici. Quod momentũ obtinet ad cõcessiones emphyteuseos, & priuilegiorũ, factas alicui pro se & suis nepotibus. Nã si nepotes ex filiis non habuerit, ad nepotes transuersales ex fratre procreatos tales cõcessiones porrigẽtur. Porro quam ob causam vasallus sororẽ dñi, vti suprà dictum est, violans, feudo priuetur, cùm tamẽ non priuetur, si fratrẽ dñi occidat, probabiliter quis dubitarit. Ego puto, duplicẽ ob causam id fieri. Prima, quòd atrox iniuria dño irrogetur, cũ soror in domo eius manens, constupratur à vasallo, qui nec domini præsentiam reueretur, nec pudoris puellæ, quã dominus domi suæ tuendam suscepit, rationem vllam habet Quod facinus eo censetur indignius, quo & ratione loci & personæ minus debuerat attentari. argu. l. quòd ait §. sufficit, ff. de Adulte. Vbi pater, non vbicũq́ deprehẽderit adulterum, occidere permittitur: sed domi suæ, generiue sui tantum. Cuius illa ratio redditur, quia maiorem iniuriam putauit legislator, quæ in domo patris, aut mariti facta est, vt ibidem. Altera, quòd ipsa morte grauior censeatur stupri illatio. Metus enim stupri, bonorum virorũ iudicio, maior, quàm mortis esse debet, vt testatur iurecõsultus Paulus in l. isti quidẽ. versi. quod si dederit. ff. de eo, quod met. cau. Adeò apud priscos illos Romanos, pudicitiæ veneratio fuit illibara. Quã & semper colendã cẽset optimus Impator Iustini. in l. si qua illustris. C. ad senatuscõ. Orphici.

§. *Aut si libellario nomine, amplius medietate in feudum dederit, aut pro pignore plus medietate obligauerit, ita vt transactum permittat, vel dolo hoc egerit, amißione feudi mulctabitur. His omnib. casib, feudum ad dominum reuertitur.*

Alienans per contractum libellarium (qui emphyteuticario nõ admodũ dissimilis est) aut oppignerãs plus quàm dimidiã feudi partem, seu trãsactionis, aliáve quapiã forma, aut dolo transferens, feudo toto priuatur. Et hac

specie,

specie, aliisq; superius enumeratis causis, feudum ad dominum relabitur.

1. Tametsi olim antiquiore iure, vasalli totum feudum alienare potuerint, & obligare, ex quocunq; contractu, sine domini voluntate. c. vnico. in prin. quid iuris sit, si post alie. feu. vasal. id recupera. Et postea recentiore iure, ipsis indultum fuerit, vt partem feudi dimidiam, irrequisito domino, alienare posint, vt hic, & in c. vnico. de aliena. feu. in prin. Tamen iure nouissimo, & recentissimo cautum est, vt nulli liceat feudum totum, vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunq; titulo distrahere seu alienare, vel pro anima iudicare, sine permissione illius domini, ad quem feudũ spectare dinoscitur, vt infrà, de prohi. feu. aliena. per Frederi. §. i. & l. i. infrà, de prohi. feu. ali. per Lotha. Vbi decernitur, nemini licere beneficium feudi, sine domini permissione, distrahere, vel aliquod commercium exinde facere, aut excogitare, per quod Imperij, aut dominorum minuatur vtilitas. Per has vltimas sanctiones, præsenti §. & aliis cõsimilibus derogatur. Proinde, si contra has Imperatorũ constitutiones, vasalli alienationes fecerint, siquidem totius feudi, totum perdent, si verò partis, partem perdent: sicq; tantum eis adimetur, quantum inualidè alienare præsumpserint. c. vnico. de vasal. qui contra consti. Lotha. regis bene aliena. Per quod etiam præsens §. correctionem accipit, qui statuit, quem toto feudo priuari, propter inconcessam alienationem partis, vtputà, si fiat vltra dimidiam. Hoc tamẽ ignorandum non est, quòd per præfatas Imperatorum constitutiones, non prohibeantur vasalli, quo minus & hodie feuda, quæ obtinent, aliis possint infeudare, modò id bona fide, & non fraudulenter fiat. c. similiter §. profectò, infrà. de l. Conra. & tex. expressus, in §. si verò. infra. qualiter olim pote. feu. ali. Quanquam enim prohibeatur per Fredericum Imperatorem, ne callidis machinationibus, precio accepto, quasi sub colore inuestituræ, feudum vendatur: tamen non vetatur, quin infeudatio & inuestitura feudi in alium fieri possit syncerè, vt in d. constitutione Frederi. de prohi. feu. aliena. & quæ ibi dicuntur. Porrò si à vasallo fiat impignoratio, seu hypotheca simplex super re feudali, non tradita tamen possessione, per hoc non censebitur constitutionibus contrauenisse, secundum Bal. hic, volentem per talem inanem, & verbalem hypothecam, non præiudicari vasallo, nisi, vt ipse inquit, processum sit ad actum facti, hoc est, ad ipsam rei pignoratæ traditionem. Qui etiam inquit, prohibita alienatione, sub pœna, siue per testatorem, siue per legem municipalem, nunquam per verbalem pignorationem committi pœnam: cùm aliud sit promittere, aliud alienare. Quod & Aluarotus hic comprobat. Item non prohibetur vasallus cõmoditates feudi ad tempus vendere, secundum Bal. & Aluaro. hic, argumento eorum, quæ habentur in l. i. C. si. pig. pigno. da. sit. Quod ego concesserim, si hoc fiat ad modicum tempus: & vasallus ea de causa non reddatur minus idoneus ad obsequia feudi, & onera Imperij sustinenda. Quid enim, si anticipata aliquot annorum precij solutione, feudi emolumenta diuenderet, sicq; postmodum temporis successu, annuos prouentus solito more non consequens, oneribus feudi sustinendis non sufficeret? Certè dixerim in constitutiones peccari, cùm vasallus non solùm prohibeatur distrahere feudum, sed etiam aliquod commercium excogitare, per quod imperij vel dominorum minuatur vtilitas. vt in l. i. non procul à fi. infra. de prohi. feu. alie. per Lotha.

2. Vasallus feudum alienans, aut pignorans, aut in alium transferens, sine domini voluntate, feudo priuatur, ad dominum deuoluendo. vt hic in tex. quod intellige, si feudum sit nouum. Tunc enim hoc ad dominum re-

uerte-

NB

uertetur.c.vnico.inf.de vasal.qui con.consti.Lotha.regis.bene.aliena. Et ita intelligendum est hoc c.& §.vlti.in fi.inf. quæ fuit pri. cau. bene. amitten. Alioqui, si feudum sit antiquum, tunc reuertitur ad proximiorē agnatum. inf.de success.feu §. hoc quoq.

3. Vasallus in dominū delinquēs, eo perfidiæ genere, vt superius visum est, feudo priuatur: idq siue fuerit nouum, siue antiquum, nō ad proximos agnatos, sed ad dominū reuertitur: vt hanc saltem habeat suæ iniuriæ vltionem, vt inquit tex. in §. deniq.inf.quæ fuit pri.cau.ben.amit.& in c.vnico. inf.an ille, qui interfe.fra.do.sui. Vbi inquit tex. cùm ad dominum respicit felonia, feudum tunc domino aperitur. Si verò non in dominum, sed aliàs grauiter deliquerit, vel graue quid cōmiserit, sicut ille, qui fratrem suum interfecit, vel aliud graue crimen, quod parricidij appellatione cōtinetur, cōmiserit, feudum amittit: & non ad dominū, sed ad proximos pertinet agnatos, si tamen beneficium fuerit paternum, d.§. deniq. inf. quæ fuit pri. cau. bene. amit. Nam si feudum fuerit nouum, exclusis omnibus descendentibus & agnatis vasalli, ad dominū reuertetur. c. vnico. inf. si vasal. feu. pri. cui defe. secundum Alua. hic. Deniq illud non fuerit ignorandū, in præfatis casibus, quibus videlicet ob delictum feudo cadit vasallus, necessariò præcedere debere processum iudiciarium, & priuationis sententiam ferendam esse, priusquàm feudi possessio adimatur vasallo. c. 1. inf. de feu. sine culpa non amit, secun. Bal. Aluaro. & Do. in c. 1. de feu. sine culpa non amit.

§. Rursus, si fidelis minus medietate, libellario nomine feudum dederit, & sine hærede decesserit, & feudum ad dominum redierit: vel postquàm ad libellum dederit, vel pignori obligauerit, & domino refutauerit: tunc ille qui ab eo acceperit, nullo iure aduersus dominum se tueri poterit.

Si feudum à vasallo, per contractum libellarium, aut impignorationem alicui traditum fuerit: idq postea vel morte, vel refutatione tradentis vasalli, domino aperiatur, nullo iure aduersus eum se tueri poterit acceptor.

1. Antiquitus iuxta hunc textum, si feudum libellario aut pignoratitio nomine, alicui à vasallo concessum, vel per mortem, vel per refutationem concedentis, ad ipsum dominum rediisset, nullum ius amplius retinere poterat ille, cui talis feudi concessio facta fuerat: idq ea ratione, quòd resoluto iure datoris, etiam resoluebatur ius acceptoris. l. lex vectigali. ff. de pig. Verùm, cùm hodie feudum nec pignorari, nec per libellarium contractum, à vasallo, sine domini voluntate, alicui concedi queat, vt infrà, de prohi. feu. alie. per Frede. Nullum ius accipitur ex tali traditione feudi: sicq etiam dici non poterit resolui: nam ab initio talis cōtractus est nullus, vtpotè, lege prohibente factus. Nouissimo enim iure (vti suprà dictum est) inhibetur vasallis, ne feuda sua libellario, emphyteutecario, pignoratitio, seu quouis alio contractu, vel excogitato cōmercio alienēt, aut in alios transferant, sine dominorū, ad quos feudum spectare dinoscitur, voluntate. vt inf. de prohi. feu. alie. per Lotha. & de prohi. feu. alie. per Frede. in princi. Et si contra has prohibitiones, vasalli per contractum libellaritum, aut aliis modis illicitè alienârint sua feuda, mox ea domino aperiuntur, atq deuoluuntur ad eundem. c. vnico. infra. quid iur. si post alien. feud. vasal. id recupe. Quod intellige, secundum distinctionem factam in §. præcedente, numero secundo. Necessaria tamen hac specie fuerit sententia declaratoria, qua scilicet declaretur, vasallum, quia contra Lotharij & Frederici constitutionem feudum illicitè alienauit, eo iure ipso priuatum, & propterea ad execu-

tionem,

tionem, hoc est, ipsam feudalis rei apprehensionem procedendum esse, secundum Bal. in c. i. de feu. sine culpa non amit. dicentem tamen, executionem nō fore iuri contrariam, si absq; declaratione fiat. de quo per eundē in §. callidis. versi. quærit glos. generaliter. de prohi. feu. alie. per Frede. Attamē duobus in casibus, etiam hodie permittitur vasallo, feudum suum libellario, seu emphyteutecario contractu tenendum concedere. Primus, si vasallus sit de aliquo feudo ea conditione inuestitus, vt ipse, & sui hæredes, & cui ipse dederit, habeant. Nam iste qui sic accepit, poterit id in libellum dare, vel aliter, vt placuerit, etiam sine voluntate domini alienare, c. vnico. infra. de feu. non haben. pro. feu. natu. Secundus, si vasallus in proximum agnatum, qui alioqui ei succederet, feudum contractu libellario transferret. Nam absq; domini voluntate hoc fieri posset. infra. de alie. feu. §. si verò. & §. i. infra. de alie. pater. feu. Insuper extraneo etiam feudum, libellario contractu per vasallum concedi posse ad tempus, hic Aluaro. notauit: idq; ex Iaco. Ardizone sententia. Quod accipe vt dixi in §. præcedente. nume. i. non procul à fine.

2. Vasallus feudum suum in præiudicium iuris iam alij quæsiti, domino refutare potest, quo ad hoc, vt aduersus dominum nullo se iure tueri possit is, cui eo in feudo ius quæsitum erat: idq; vsu venit ex ipsa feudi natura, cui à primordio talis inest facultas ex vi & potentia suæ naturæ, vt ad libitum refutari possit: & adeo quidem liberè, vt etiam sine domini voluntate rectè feudum refutetur. c. vnico. infra. de vasal. qui con. consti. Lotha. regis, benefi. alie. Alioqui regulare est, vt voluntate alicuius, mihi beneficium, ius, aut defensio semel quæsita, amplius contraria eius voluntate auferri non possit. l. si partem fundi. in fi. ff. quemad. ser. amit. & l. si post mortem. in fi. ff. de bono. posses. con. tabu. & l. vlti. ff. de pact. Vbi semel acquisita fideiussori pacti exceptio, vlterius ei inuito extorqueri non potest. Quare accipiens feudum ab aliquo vasallo, debet exploratum habere, conditionem vasalli talem esse, vt si domino refutatio feudi, à se cōcessi, per eundem fiat, valida permanere debeat: ita vt nullo iure aduersus dominū se tueri poterit, qui feudum à vasallo accepit, vt hic. Nam qui cum alio contrahit, debet esse non ignarus conditionis eius. l. qui cum alio. ff. de regu. iur. Verùm enimverò si vasallus feudum suum alij per inuestituram cōcederet, & post modum dño suo hoc feudū refutaret: quamuis ille, qui inuestiturā eius accepisset, ratam habere refutationē cogeretur, tamē contra vasallum sic feudum à se reuocantē de euictione agere posset. Non enim id videbatur esse actum, vt temerè, & importunè, mutato cōcedentis arbitrio, facta ei inuestitura feudi, per refutationē concedentis adimeretur. Nam si hoc futurū sciuisset hic inuestitus, forsan non suscepisset, & prætermisso hoc feudo, alia fortassis vtiliora aggressus fuisset. Adiuuari quippe nos, non decipi beneficio oportet. l. in cōmodato §. sicut aūt, in fi. ff. cōmodati. Item si non refutatione vasalli, sed delicti perpetratione, feudū ab hoc inuestito ad dominū traduceretur, etiam contra vasallum, siue eius hæredes, de euictione agi posset, secundum Bal. & Alua. hic. argu. l. penul. ff. solu. matri. Vbi damna in seditione perpessa, per eum, eiusvè hæredes resartiri debent, cuius culpa, ea seditio facta fuerit. At si casu quopiam fortuito, aut fato humanæ sortis feudum ab isto inuestito auferri contingeret, euictioni locus non foret. l. si seruus. ff. de euictio. Quia nihil est, quod culpæ vasalli imputari queat. Non enim fortuiti casus humana prouidentia possunt præuideri. l. quæ fortuitis. C. de pigno. actio. Nisi periculum casus fortuiti in se vasallus

quoq;

quoq; suscepisset, l. in rebus commodatis. ff. commo. & l. si quis fundum. ff. locati. & d. l. quæ fortuitis. Tunc enim æque obligatus esset, si modò talis non contingat fortuitus casus, qui sit de raro contingentibus, & admodum insolitus, ita vt cogitatione complexus non putetur. l. cum duobus. §. damna. ff. pro socio, & l. fistulas. §. vlti. ff. de contrahenda emp. & ibi Bar. & Bal. in l. i. in ij. q. C. deposi. Similiter cum per mortem vasalli ab inuestito, feudum aufertur, ac ad dominum redit, locus euictioni non est: quia sciebat inuestitus, aut scire debebat, ius suum tanquàm acceptoris, morte vasalli tanquã datoris, resolutũ iri, vt in hoc §. & in §. vlti. supra, tit. proximo. Et hoc, nisi expressè de euictione fuisset stipulatus. l. si fundum. C. de euictio. Verùm si hic inuestitus ignorasset, feudum hoc alienum esse, sed pleno iure ad inuestientem spectare putasset, contra inuestientem ipsiusq; hæredes (cum ignorans fuerit) regressum de euictone merito habiturus fuerit. d. l. si fundum, & ibi per Docto. & infra, de inuesti. de re alie. fac. in principio, vt scilicet vel æquiualens feudum, vel pecuniam æquiualenti comparando feudo sufficientem consequatur. vt ibi. & in c. vnico. infra. si de feu. vasal. ab aliquo interpel. fue.

§. *Præterea, si ille, ad quem feudum per successionem iure obuenire debet, consenserit eos inuestire, ad quos secundum rectum morem non pertinet: nullo modo ad eum repetendum regressum habet.*

Si is, cui per successionem iure debet feudum deferri, alium remotiorẽ, de eo inuestiri consentiat, ad illud postea regressum habere non poterit.

1. Si ꝓximior agnatus remotiorẽ agnatũ, de feudo sibi per successionẽ, iure debito inuestiri cõsentiat, sicq; iuri suo renũciet. cogitur id, quod factum est, ratum habere. vt hic. & §. vlti. infra. si de feu. defunc. conten. sit inter do. & agna. vasal. & c. vnico, infra. de eo, qui fidem fecit agna. de feu. pater. Regula siquidem est iuris antiqui, omnes licentiam habere, iis, quæ pro se introducta sunt, renunciare. l. si quis in conscribendo. C. de pact. Simili quoque modo, si primogenitus minus aptus principatui, aut administrationi Reipublicæ, petente patre, consentiat fratrem suum secundogenitum de feudo paterno inuestiri: quod factum fuerit, primogenitus post patris mortem non reuocabit, nec ad feudum repetendum regressum habebit. Nã & Esau ius primogenituræ fratri cedens, recipere postmodum non potuit, quod semel cessit. c. quàm periculosum. vij. q. i. Dum enim quis alij consentit, ipse iura sua perdit. l. cum quædam. ff. de administ. tuto. Et remittentibus actiones suas, non esse regressum dandum, alibi Vlpianus dixit. l. quæritur. §. si venditor. ff. de ædeli. edic. Imperator quoq; ait, nimis indignum esse iudicamus, quod sua quisq; voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioq; proprio resistere. l. generaliter. in fi. C. de non nume. pecu. Qua de causa, siue expressè, siue tacitè quis aliũ, de feudo ad se per successionem pertinente, inuestiri cõsentiat, id postea mutato animo infringere nullo modo quiuerit. Nihil autem interest, expressè quis, an tacitè consentiat. l. fideiussor. §. Pater Seij. ff. de pig. modò de tacito consensu euidenter constare possit. Et quanquàm cõsensus probetur per appensionem sigilli, vel per subscriptionem, tamen hoc non obtinet, si re vera consensus nõ interuenit: licet sigillo alicuius fraude conquisito instrumentum sit signatũ. Improbum enim hoc commentum nulli proderit, cum re vera consensus non interuenit. l. ij. C. de reb. alie. non alien. Pari modo, si quis ignoranter subscribat instrumento non relecto, fidem habens tabellioni, hocq; aliud fuerit, quàm consenserit subscriptor, id ei fraudi non erit

l. vlti.

l. vlti. C. plus vale. quod agi. quàm quod simu. concipi. Cuius est ratio, quia nulla est errantis voluntas, nullúsque consensus. l. cùm testamentum. & l. non idcirco. C. de iur. & fac. ignoran. Praeterea etiam hic consentire intelligitur secundum glos. qui praesens est, & non cõtradicit. Sed gloss. in Clemen. saepe. §. vlt. de verbo. sig. in Cle. in verbo, non contradicentibus, dicit, quòd non contradicere sapit medium inter consensum & dissensum. Et Panormita. in c. nónne. de praesumpt. dicit, quòd tacens propriè non consentit, nec contradicit. Nam & regul. iuris habet: Qui tacet, non vtique fatetur, sed tamen verum est, eum non negare. l. qui tacet. ff. de regu. iuris. Sed haec materia, quando scilicet tacens videatur consentire, aut contradicere, aequor est ingens, in quo miris procellis iactantur, & fluctant DD. vt cernere licet per Panor. & Feli. in d. c. nónne. de praesump. & per Iaso. post alios, in l. quae dotis. mihi in xij. colum. versic. quarto, & vltimo tractat Bar. ff. de solu. matri. Vbi inter alia dicit, tacentem praesumi consentire, si praesens contradicendo, actum potuit impedire. l. saepe. quae & penul. est. ff. de re iudi. & glos. in verbo, tacuerit. in fi. in c. diaconus, quod & primum est. xxvij. distin. dicit, si tale factum sit, quod fieri non potest, me prohibente, taciturnitas mea habetur pro consensu. c. ij. de his, quae fi. à praela. & d. l. saepe. Sic alibi tex. ait: Consentire videtur, qui non testificatur dissentire. l. i. C. de filiisfamilias, & caet. lib. x. Hoc autem non est memoratu indignum, illum, quem pudor impedit ad resistendum in praesentia, non videri cõsentire, quaquã non resistat, cùm resistere possit. l. penul. ff. de fur. Idem fuerit, si reuerẽtia praesentium nõ audeat refragari. arg. l. i. §. quae onerãdę. versi. vel nimia patroni reuerentia. ff. qua. re. actio. non de. & glos. in c. vnusquisque. in verbo, saltãtium. xxij. q. iiij. expressè adstruit, quòd taciturnitas, quae fit ob reuerentiam aliquorũ, non praeiudicat. d. l. penul. ff. de fur. Idem esse dixerim, videlicet, taciturnitatẽ nemini obesse, quando contradictio non prodesset. c. quãdo. & ibi gloss. xi. q. iij. Denique in rebus arduis explicandis in collegio, siue cõsilio, omnes debent expressè consentire, nec sufficit, vt actus explicetur per quosdam nomine aliorũ: licet illi taceant, & non contradicãt. Quia in re onerosa & graui, debet interuenire consensus expressus: nec taciturnitas habetur pro consensu. Haec sunt verba Panor. vtique memoriae cõmendanda, in c. in causis, non longè à princi. versic. nota ibi à singulis. de electio. Quae verba dicit Iason, in d. l. quae dotis. in vlti. colum. ff. solu. matri. bene notari debere ad multa. Itaque cùm agitur de re quapiam magni momenti, debent sigillatim omnes interrogari, & expressè consentire, secundum Panormita. loco superius allegato. Pro cuius cõfirmatione allegare potuisset l. iij. in fi. C. de venden. rebus ciuita. lib. xi.

§. Item si fuerint duo fratres, & vnus inuestiturã feudi acceperit, si postea feudũ cum fratre diuiserit, & ille qui feudi partẽ accepit, postea plus medietate vendiderit, & sine legitimo haerede decesserit, feudum ad dominum reuertitur.

Si fratres feudum nouum ea conditione obtineant, vt alter alteri succedat, hocque postea inter se diuidant, & alter suam portionem illicitè alienet, ea non ad fratrem alterum, sed ad dominum reuertetur.

1. Intelligẽdus fuerit hic tex. vt obtineat in feudo nouo, non aũt in antiquo. Hoc enim si alienaretur, non ad dñm, sed ad proximiorẽ agnatũ reuerteretur. vt inf. de succes. feu. §. hoc quoque. vt dixi suprà in §. aut si libellario. num. ij. hoc tit. Secũdò, intelligendus est hic tex. vt specialiter cautũ fuerit in inuestitura, fratrem in hoc feudo nouo posse fratri succedere. Si enim hoc cautũ non fuisset nominatim, fratri succedere non potuisset frater. vt suprà.

titu.i §. & quia vidimus.versi.si autem.& ibi in numero tertio. Sicque nullam haberet dubitationem hic tex. Tertiò, intelligendus est hic tex. vt obtineat, siue frater ille alienans filios habuerit, siue non. Nunquã enim filij succedunt patri in feudo nouo, quando ob culpam suam eo priuatur, vt infrà. si de feu.defun.conten.sit inter do.& agna.vasal §. si vasallus culpam. secũdum Alua.hic.& §. vlt.inf.quæ fuit pri.cau.bene.amit. In dominũ enim culpam cõmittit, sine cõsensu eius feudum alienans, quia dñm contemnere videtur. Igitur ad dñm redit beneficium, vt ibidem. Quare cùm dicat hic text. & sine hærede legitimo decesserit, subaudiendum est, maximè: Quia si etiam relicto hærede decederet, idem iuris foret. Quartò, dum tex. hic facit mentionem de alienatione feudi, vltra partem dimidiam, loquitur secundũ antiquam consuetudinem. Nam hodie nullam feudi partem sine domini voluntate vasallus alienare poterit, vt dixi supra, in §. aut si libellario. nume. i. eo.titu.per tex.in §. i. infra.de prohi.feu.alie.per Frede.

2. Vasalli coniunctim de feudo inuestiti, feudum inter se diuidere possunt, vt hic in tex.& in §. omnes.infra.si de feu.defun.conten.sit inter do.& agna.vasal. Vbi etiam inquit tex. quòd si feudum ex diuisione ad vnum tantùm peruenerit, ille tantùm faciet fidelitatẽ. Quod intellige, cùm mortuo patre, nondum renouato fidelitatis iuramento, filij inter se facta diuisione, ad vnum tantùm feudum peruenire cõsentiunt. vt ibi. Cæterùm Ducatus, Marchia, & Comitatus hodie diuidi non poterint, §. præterea.infra.de prohi.feu.alie. per Frede. Vbi etiam dicitur, alia feuda, si quis cõsortes habere voluerit, diuidi posse, ita vt oẽs qui partem feudi habẽt iam diuisi, vel diuidendi, fidelitatẽ faciant dño. Simili modo feudum non diuidetur, si vel per legẽ municipalem, vel per cõsuetudinẽ loci, vel per tenorẽ inuestituræ cautũ sit, hoc diuidi non posse. Contractus enim legẽ ex cõuentione accipiunt. l.i. §. si cõueniat.ff.depositi. Posset quoq; lex municipalis, seu cõsuetudo hoc inducere, vt vnus tantùm, velut primogenitus, exclusis aliis, in feudo succedat, vt dictum est supra.tit.i §. & quia.nume.ij.versi.viij.non obtinet.

3. Si inuestitura cautũ sit, fratrem posse in feudo nouo succedere fratri, hoc intelligendũ fuerit de successione, quæ fit mortuo fratre, non quæ fit fratre delinquente, & propter delictum partem suam amittente, vt hic. Hac enim specie, dñs, non frater, succedet fratri. d §. si vasallus culpã.inf.si de feu. defun.con.sit inter do.& agna.vasal.& §. vlt.inf.quæ fuit pri.cau.bene.amit. Quanquàm enim dñs feudum nouum alicui cõcedat, vt cõtra legis feudalis prouisionem, frater in eo feudo fratri succedat: sicq; per suam prouisionem videatur ius suum omne, quod prouisione legis competebat, à se abdicasse: cùm prouisio hominis excludat prouisionem legis. l. vlti. C. de pac.conuen. cum similib. Tamẽ hoc verè censeri nõ debet, cùm non præsumatur à dño fuisse cogitatũ tempore inuestituræ, vt etiam frater succederet, quando ob delictum, vel culpam cõmissam, puta illicitã alienationẽ, feudũ vacaret: Igitur hoc in inuestitura nõ censebitur cõprehensum. arg. l. qui cum tutorib. §. trãsactio.& §. fi.& l. cum Aquiliana.ff.de trãsac. Non enim præsumitur ius suum tam facilè iactasse. l. cùm de indebito.ff.de proba. Et satis beneficè actũ fuit cum vasallo, cui in feudo nouo cõcessum fuit, vt cõtra regulas feudales, hoc ad fratrẽ eius per successionẽ deferri posset. Igitur successio ea intelligitur permissa, quæ fit feudo vacante per mortẽ, nõ quæ fit feudo vacãte per culpã, aut delictum, de qua sensisse non putandus est inuestiturã concedens.

§. Item, si quis feudum habuerit in curte domini sui, non poterit ipsum feudum in aliqua parte libellario nomine alicui sine consensu domini sui dare, vel pignori obligare

ligare. Similiter si extra curtem detinuerit, & dominus districtum habuit, vel alium honorem, etsi alienauerit sine domini voluntate, iure ad dominum reuertitur.

Vasallus habens feudum in curte domini, vel extra curtem, in eo loco, in quo dominus districtum, vel alium honorem obtinet, feudum in nulla parte libellario nomine alicui dare, aut pignori alienare poterit, sine domini voluntate, contrà faciens, feudo priuatur.

1. Hic tex. secundum priscam consuetudinem intelligendus est. Nam hodie indistinctè omnis feudi alienatio, aut impignoratio sine domini voluntate fieri prohibetur, vt infrà, de prohi. feu. alien. per Frede. & dictum est supra. §. præcedenti. Quando autem quis feudum habere in curte domini dicatur, hic per And. de Yser. & Aluaro. videri poterit. Qui cum glos. hic exemplificāt, si quis ex ærario domini certam habeat annuam pecuniæ quantitatem, vel ex camera, seu cauena domini certum prouentum frumenti, vini, aut aliarũ rerum, feudi nomine habeat: aut, secundum Bal. hic. si ei prædium aliquod, seu quæpiam bonorum portio eo loci fuerit infeudata, quo dominus prædiorũ omnium generale dominium obtinet: simul & domũ dominicalē habet, hoc est, curtim vel curiam, ad quam omnes agricolæ & coloni dominici, fructus & prouentus domino obuenientes conferre, & velut in horreum, cellámve condere consueuerunt. de quo per Alua. in c. I. in princip. de Capita. qui curiam vendi. Aut deniq; (vt ego exemplifico) si officium quodpiam in curia domini assequatur, quod feudum habeat annexum, velut si dapifer, pincerna, curiæ præfectus, seu architriclinus fiat, eo quoq; nomine feudum ibidem obtinens. Porrò quæ fuerit ratio, cur vasallus feudum habens in curte domini, vel in eo loco in quo dominus districtum habet, & honorem, hoc in nulla parte alienare, vel pignorare potuerit, nihil probabiliter à doctoribus in medium profertur. Fortassis (si quid coniectura assequi possum) dominus non omnibus passim huiusmodi feudum concedebat: sed illis duntaxat, quorum spectata fides, virtus, & industria, id promerebatur, vt ipsi, posterīq; eorũ (in quibus paternarũ successio virtutum speratur) domino propius iuncti essent, & præcipuum quid vltra alios vasallos haberent, vel in ipsa curia, vel in ipso loco districtus, & honoris dominici, honoratius feudi genus consecuti. Quare, indecens erat, hoc in aliam transferre personam, absq; domini voluntate: cùm alioqui iura dictent, illum, cui princeps causam, seu officium, electa personæ industria, committit, hoc alij demandare non posse. Quoniam Princeps peculiariter personam eius in id functionis genus elegit. c. vlti. de offi. iudi. dele. Quinimò, si inter priuatos hoc specialiter actum sit, vt quispiam suis operis rem aliquam perficiat, non liberatur, si hoc per alium fiat. Eius enim industria specialiter videtur fuisse electa. Nam inter artifices longa differentia est, & ingenij, & naturæ, & doctrinæ, & institutionis. l. inter artifices. ff. de solu. Ita quoq; si testator alicui legatũ faciat, vt domum suis manibus extruat, vel pingat, testatoris voluntas in ipsius solius personā ea intelligitur cōclusisse, cui & suam munificentiam reliquit. l. vnica. §. ne autem hoc. versi. quid enim. C. de cadu. tollen. Horum similitudine non absurdè quis dixerit, etiam hodie vasallum obtinentem feudum in curia domini, hoc non posse alij infeudare, quanquam alioqui infeudatio etiam sit permissa, vt dictum fuit in §. aut si libellario. nume. i. versicu. hoc tamen ignorandum non est. suprà eod. titu. cùm domini voluntas in eius personam, liberósq; ipsius, velut in paterna quoq; fide & industria successuros, hoc feudum intelligatur conclusisse, quibus suam munificentiam in loco insigniori, sibiq;

magis peculiari, reliquit. arg. d §. ne autem hoc. & aliorum iurium paulò antè citatorum. Quod & Aluaro. sentit, quanquàm ipse nihil proferat, quo id verisimiliter probetur.

Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel dominum plebis, Feudum dare non posse.

Titulus VI.

ITEM si Episcopus, vel Abbas, vel Abbatissa, vel dominus plebis feudũ dederit de rebus ecclesiarum, quæ eis subiectæ sunt, & tituli vocantur, nullum habet vigorem, secundum hoc, quod constitutum est à Papa Vrbano in sancta synodo, hoc est, illud, quod post eius decretum fuerit datum: quod autem ante datum fuerit firmiter permanere debet. Idem iuris est, si Præpositus, vel Abbatissa, vel alia ecclesiastica persona, quæ antiquitùs nòn sit solita in feudum dare: scilicet, vt quod dederit, de iure non valeat.

Ecclesiasticis dignitatibus seu beneficiis præditi, si post inhibitionẽ Vrbani Papæ, rès Ecclesiarũ suarum in feudum dederint, quod actum est, nullum habebit vigorẽ. Quæ verò ante illam prohibitionẽ in feudum ab Ecclesiis data fuerint, in suo robore permanebunt. Similiter, si ecclesiasticæ personæ, quæ antiquitus non cõsueuerunt in feudum dare, quid feudi nomine alicui dederint, iure non subsistet. Antiquitus, necessario hic intelligitur, quod ante Vrbani constitutionis, huiúsque feudalis placiti promulgationem obtinuit, vt vis ipsa vocabuli fateri cogit, & ita in effectu nouæ infeudationes deinceps fieri prohibentur, per hunc tex.

1. Possessiones & res ecclesiasticæ, quarum dominium apud Ecclesiam pleno iure existit, amplius de nouo infeudari non possunt. Quanquam infeudationes factæ ante decretũ Vrbani Papæ confirmentur, & permittantur suam habere continuationẽ in illis ecclesiis, in quibus antiquitus feudorũ concedendorũ viguit cõsuetudo. Cæterùm personæ ecclesiasticæ, quæ antiquis temporibus feudũ dare non cõsueuerunt, bona ecclesiarũ in feudum cõcedere prohibentur, Proindè Prælatus, qui antiquitus obtinet ius cõcedendi feudi, si vasallus eius moriatur sine quoquã hærede, poterit feudum ad se reuersum aliĳ liberè conferre, etiamsi iuramento sit obstrictus, vt infeudare de nouo non possit, Ro. Pontifice inconsulto. c. vlt. extra. de feu. Quia non censetur infeudare de nouo, qui feudũ antiquum, licet ad se reuersum, alicui cõcedit, dummodò illud non fuisset iam vsibus prælaturæ cõglutinatum & adiunctum, vt latius per DD. in §. 1. sup. tit. 1. & per Claudium Scyssel. in specu. feuda. vbi materiam huc pertinentem fusissimè conglomerat.

§. Quin etiam, si quis eo tenore feudũ acceperit, vt eius descendentes, masculi & fœminæ illud habere poßint, relicto masculo, vlterius fœminæ non admittuntur.

Tametsi feudũ alicui cõcedatur, vt eius masculi & fœminę in eo succedãt, non tamẽ propterea cum masculis succedet fœmina, sed ita demũ, si masculus nõ extet, q̃ si extet, semel exclusa fœĩa amplius ad feudũ nõ admittetur.

1. Feudum concessum alicui, & descendentibus eius, masculis & fœminis, non includit fœminam, ita vt cum masculo possit succedere: Nam ista copula, &, in subiecta specie non coniungit sensum, sed magis ordinem insinuat: sicq; magis in vim ordinis, quàm in vim copulæ posita censentur. Cùm enim hæc sit natura feudi, vt existente masculo, fœmina non succedat §. filia. infrà, de succes. feu. Non videtur inuestituram concedens, per

per dictionem aliquam copulatiuam,personas in feudi successione coniungere voluisse,quas feudi naturam constat disiunxisse. Quare copula præfata vim suam amittit,& in alium sensum,qui cõgruere potest subiectæ materiæ, transformatur: sicut & alibi quoque vsuuenire conspicimus,vt copula, Et, ordinis habeat denotationem,nempe,in l.Gallus §. quidam rectè. ff.de libe.& posthu.vbi institutio facta de filio & nepote, intelligitur de nepote nascente post mortem filij. Præsens tamen §. obtinebit in ea successione feudi, quòd fuerit simplex, & rectum, & non conditionatum, hoc est, quod non datur ad certum seruitium. Nam si feudum conditionatum (vt recepto vtar vocabulo) & ad certum seruitium daretur (de quo in §.vlt.in fi.infra.de capi. qui curi. vendi.) illúdque per fœminam præstari, aut per alium eius nomine explicari posset, fœmina ipsa vigore talis inuestituræ, in qua suam propriam naturam copula posset retinere,cum masculo simul ad feudi successionem admitteretur,secundum Iacob.de Bel.Bald.& Aluar. hic. Quia tunc copula, &, verè haberet coniungẽdi virtutem. l. Si quis Titio. ff. de vsufruct.accres. & l.Titiæ textores §.nihil refert.ff.de lega.1. Vbi clarus est tex.dicens,nihil refert,vtrùm ita legetur, Titio & Meuio: an ita, Titio cum Meuio. Vtrobiq; enim coniunctim legatum videtur. In proxima igitur specie, tum propter præsumptam inuestientis voluntatem, tum propter apertam verborum significationem, & dictionis copulatiuæ notam proprietatem, fœmina simul cum masculo ad feudi successionem fuerit vocanda.

2. Fœmina semel per existentem masculum à feudi successione exclusa, in perpetuum manet exclusa, nec vlterius ad feudum admittitur, sed hoc ad dominum reuertitur,vt hic in tex. Itaq; masculi obitus, amplius fœminæ patrocinari non potest. Proinde si Elector Imperij arcem mihi cõcedat in feudum pro me, & descendentibus meis, masculis & fœminis: & post mortem meam, filius meus sine filio masculo decedat, filia mea superstes semel per masculum exclusa, amplius ad feudi huius successionem venire non poterit,sed ad ipsum principem Electorem relabitur. Quod intelligendum videtur, nisi masculus natus, confestim moriatur, secundum gloss. hic. Qui enim mox natus de vita decessit, non aliter existimatur, quàm si nunquã natus fuisset,vt est elegans tex.in c.nam & ego.de verbo.signi.Non enim videtur fuisse,qui non durauit.argu. l. si pro patre §. versum. ff.de in rem ver.& c.ad nostram.de regularib.& arg.c.quanto. cum glos. super verbo,perdurare,sexagesima tertia dist. Quare masculo ita protinus moriente, fœminam per eius natiuitatem à successione feudi non debere excludi, glos. Bal.& Aluaro.est sententia: idq; in casu huius §. quod ipsi latius hic comprobant. Et refert hic Bal.Innocentium dicere,quòd ille dicatur ilico decedere,qui decedit,antequã nomen sit ei impositum in baptismo, quod tempus est octo dierum: vt inquit Inno.secundum eum.in d.c.nam & ego. Hoc idem Aluaro.quoq; refert. Sed meus Innoc.hoc ita non dicit: sed ait, textum ibi velle dicere,quia ita cito mortuus est, scilicet frater Solomonis,vt nec etiam nomen ei impositum fuerit, nec natus videatur.

§. *Mutus feudũ retinère non potest,scilicet,qui nullo mòdo loquitur: sed si feudũ fuerit magnũ, quo ei ablato,se exhibere nõ valeat,tantũ ei relinqui debet, vndè se sustinere poßit. Et his omnibus casibus feudũ amittitur,& ad dominũ reuertitur.*

Mutus feudum non retinet. Verùm si hoc ablato sustentari non poterit, suppeditandum est ei ex feudo,si magnum fuerit,vndè se possit exhibere.

1. Hic §. secundum geminam feudi qualitatem, duplicémq; muti spe-

ciem, interpretationem recipit, vt ex his, quæ sequuntur videre licet. Primò igitur omnium, si quis ex materno prodeat vtero, qui in reliquam omnem vitam perpetuò sit mutus, feudum paternũ retinere non poterit, nec succedere in eodem. c. vnico. versic. quidam tamen dicunt. Infra, an mutus vel ali. imper. feu. reti. & ita hic tex. etiam intelligi poterit. Quanquàm enim videatur hoc vitium ab ipsa inditum natura, ei non futurum fraudi: nec alioqui incusandum fore, quod natura produxit. argu. l. maximum vitium. versic. qui enim tales. C. de libe. præte. & exhære. & l. penult. in princip. C. de legi. hære. Tamen, quia causæ propter quas feuda obtinentur, in hoc muto nato prorsus euanescunt, ita vt ad feudi seruitia, & obsequia inutilis sit: non mirum si causa cessante, ipse quoq; cesset effectus. c. cùm cessante. de appella. sicq; à feudo, cui vtilis non est, arceatur. Quum in omnibus causis id obseruetur, vt vbi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoq; deficiat. l. in omnibus causis id obseruatur. ff. de regul. iuris. Hæc intellige, vt hic tex. dicit, si ita sit mutus, vt nullo modo loquatur. Mutus enim is intelligitur, qui eloqui nihil potest, non qui tardè loquitur. §. item surdus. Insti. quib. non est permis. fa. testa. Verùm enimuerò, si casu quopiam, aliquis loquendi facultatẽ amittat, (sæpe enim morbus superueniens, & vocem aufert, & aures concludit. l. discretis. C. qui testa. face. pos.) & ita postmodum mutus fiat, feudo paterno non destituetur. d. c. vnico. Infra, an mut. vel ali. imper. feu. reti. in prin. Cuius diuersitatis ratio illa esse poterit, quòd mutus natus, omnino, totoq; vitæ tempore, seruitia feudo consentanea præstare nequeat. At mutus ex superueniente aliqua calamitate, non solùm ante eam domino fuit vtilis, sed etiam in posterum vtcunq; vtilis esse poterit. Nihil enim hunc prohibet meditari, consyderare, & pro tuendo domino operam suam impendere: maximè, si literarum peritus, consilia, meditationésq; suas exarare, & in scripturam redigere queat. arg. d. l. discretis. C. qui testa. facere pos. Posset quoq; euentanea hac profligata pernicie pristinam loquendi facultatem recuperare. Præterea, hic mutus casualis & fortuitus, duplici vinculo feudi possessionem sibi obstrictam habet, videlicet, parentũ prouidentia, & iure proprio. Paternũ enim feudum & antiquum solidius in eo est radicatum, quod & ex successione parentũ & ex propria possessione stabilius in eo coaluit. Quare non mirum, si cùm hoc aliter, atq; cum muto nato agatur, cùm alioqui videamus aliter agi cum his, qui duplici nituntur iure, quàm cum illis, qui vno solo nituntur, vt in Auten. de cõsanguineis & vterinis fratribus, non procul à fi. colla. vi. Quæ dicta sunt, obtinent, si fortuito quopiam casu aliquis mutus fiat, non autem si culpa sua: veluti, si ob maledicentiam, aut blasphemiam, dictante consuetudine, aut lege municipali, lingua ei præscinderetur, sicq; in eo puniretur, in quo deliquit, iuxta c. vlt. de immu. eccle. & c. literas de tempo. ordinan. & c. pastoralis, de iure patro. & l. si fugitiui. & ibi glos. in verbo, amputato. C. de ser. fugi. vbi serui fugitiui ad Barbaros transeuntes, pede amputato, debilitantur, & ita in eo puniuntur, in quo deliquerunt. Nam vasallus per culpam suam, hoc pacto mutus effectus, feudum quamuis paternum non retineret. Sui enim facti nomine pœnam meruit. vt alio fine dixit Iureconsultus in l. si communis familia. ff. de noxa. acti. Et pœnam, quam ex suo delicto sustinuit, sibi imputabit. arg. l. qui proprio §. pcurator. versi. pœnam autem. ff. de procura. dispẽdiúmq; tale, non ex lege, sed ex facto suo proueniens, lugebit. l. si quis in testamento. in fi. C. de fideicom. liberta. Porrò si fortuita quapiam calamitate, Princeps, aut Comes, aliúsve eius conditionis,

tionis,mutus,furiosus,demens,aut prodigus fiat,non propterea à principatu,comitatu,aut simili dignitate remouebitur, sed ei dabitur curator,cuius opera,muti,furiosi,aut prodigi corpus,ac salus, necnon principatus & patrimonium defendetur.c.grandi.de supplen.negli.præla.lib.vi.iuncta l.consilio. ff.de cura.fur.dan. Quia cùm per successionem, principatus aut ditio, ei fuerit delata,nõ priuabitur illis,vita comite,sed dabitur ei curator,secundum gloss.in d.c.grandi,in verbo,Regis.Et ibi tex.in fi.luculenter probat,ꝙ principi prodigo non sit adimẽdus principatus,sed curator dandus: per cuius sollicitudinẽ & prouidentiam,Principi,& principatui consulatur.Idem de furioso est iudicium. Nam qui furere cœpit,& statum, & dignitatem in qua fuit,& magistratũ,& potestatem videtur retinere, sicuti rei suæ dominium retinet. Ita inquit Vlpia.in l.qui furere.ff.de sta.homi. Dabitur itaꝗ furioso curator,similiter & prodigo,donec vel hic sanos mores, vel ille sanitatem receperit.Et quanquã filio,si tamen probus sit,patris furiosi curatio permittatur: non tamen patris prodigi curationem filius habebit. l.i. ff. de cura.furio. Cæterùm,si Regis, aut Principis alicuius filius primogenitus nascatur mutus,aut demens,patri in regno,aut principatu non succedet,sed ad secundogenitũ successio deferetur : etiamsi consuetudine,vel lege municipali expressè cautũ esset,primogenitum patri succedere debere. Nam hoc fuerit intelligendũ, si primogenitus sit idoneus.l.vt gradatim.§.i. ff.de munerib.& hono.Vbi tex.Etsi lege mu'nicipali caueatur,vt præferãtur in honoribus certæ cõditionis homines,attamẽ sciendũ est,hoc esse obseruandũ, si idonei sint. Quod & Bal.probat,in §.i.infra, de succes.feu.in fine.

2. Si verò obtinens feudum nouum, casu quopiam superneniente mutus fiat,feudum retinere non poterit.& ita etiam huic tex.locus erit. Videtur enim tacitè actum esse in feudo nouo,vt ita demùm hoc vasallus habeat,si iuxta illius exigentiam domino seruire poterit. Quare, si mutus fiat, inutilis ad feudi obsequia redditur. Non enim minima pars obsequiorũ,& seruitiorum vasalli in loquela consistit,vt cernere licet in c.vnico, infra.de no.for.fide.Igitur æquum est,vt quod officij causa datur, id deficiente officio,ad dñm redeat,argu.l.in omnibus causis id obseruatur.ff.de regu. iuris: cùm nullo maiorũ iure hic vasallus nitatur, nec dominus intuitu obsequiorum à parentibus præstitorũ,huic ita sit addictus. Quare constat, aliam in feudo nouo, quàm in antiquo esse ratione,vt paulò antè dictum est. Præfata locum vendicant in feudo simplici,& recto.Si enim esset feudum,vt vocant,conditionatum,ac ratione certi & specifici cuiusdam præstandi seruitij cõcessum, quod per alium obiri & explicari posset, mutus effectus, ob id feudum nouum nõ perderet. Multò magis,si feudum sit franchum,de quo infrà,de success.feu §.i. nume.ij.in fi. Item si sit feudum non habens propriam feudi naturam,& non præstita fidelitate datum,vel tale,cuius ratione nullum seruitium præstatur : aut si in remuneratione magni alicuius obsequij sit concessum,ita vt reuocari non possit,veluti si quis feudum accepisset ab eo,quem à latrunculis,vel hostibus captum, eripuit. Hoc enim videtur à muto facto non reuocandum,cùm sit loco mercedis laboris eximij constitutum.arg.l.si pater §.vlti.ff.de dona. Similiter, si feudũ nouum à principio datum fuisset muto, hoc postea reuocari non posset. Dominus enim sciens prudensꝗ illi gratiam fecisse videtur,quam eo prætextu,quòd mutus sit,postea non reuocabit.secundum Bal.& Alua.hic.

3. Cùm alicui muto legitimè feudum adimitur: isꝗ, hoc ablato, non habeat commodam vitæ sustentationem, tantùm ex eo feudo, si magnum

sit,consequetur, quantum ei ad vitæ sustentationem sufficiat, vt hic in tex. Quare ita demùm ex feudo mutus alimenta habebit, si non suppetant aliunde. Et tunc præstabūtur pro modo facultatis feudi, secūdum ordinem & dignitatem vasalli.l.si quis à liberis.§. sed si filius.ff.de libe.agnoscen. & l.sed & si quid.§. sufficienter.ff.de vsufru. Nam secundum qualitatem personæ, alicuius necessitatibus est prouidendum. c. grandi.circa fi.de supplen.negli. præla.lib.vi.Et ita interdum prouidendum, vt quis competens habeat solatium vnà cum familia sua.l.si cùm dotem.§. si autem in sæuissimo.ff.solu. matri.In subiecta igitur materia pro feudi qualitate,simul & conditione vasalli,alimenta fuerint,vel laxius,vel restrictius suppeditanda.

De natura Feudi. Titulus VII.

NATVRA feudi hæc est, vt si Princeps inuestierit capitaneos suos de aliquo feudo,nō potest eos deuestire sine culpa,id est, Marchiones, & Comites, & ipsos, qui propriè hodie appellantur Capitanei. Idem est, si inuestitura sit facta à Capitaneis, & maioribus valuasoribus,qui propriè hodie Capitanei appellantur. Si verò facta fuerit à minoribus, vel minimis valuasoribus, aliud est: tunc enim possunt deuestiri,nō habita ratione culpæ: nisi fecerint hostem Romæ. Tunc enim idem est in minimis, quod in maioribus valuasoribus. vel nisi emerint feudum, tunc enim precium restituendum est,secundum antiquum, & rationabilem vsum. Moderni autem non ita subtiliter cernentes, dicunt idem obseruandum in minimis, quod dictum est in maioribus valuasoribus.

Quemadmodum Princeps non potest vasallos suos, Duces,Marchiones, Comites, & Barones,feudo sine culpa priuare, ita nec alij domini inferiores. Tametsi enim antiquitus inter maiores & minores valuasores fuerit differentia,quo ad feudi auferendi facultatem, tamen ea distinctionis subtilitate reiecta, tam in minimis,q̄ in maioribus, idem iuris hodie obtinet, vt scilicet vasallis suis,nisi culpa exigente,feuda adimere non possint.

1. Nullus vasallus beneficium suum sine cognita culpa amittit, vt hic in prin.& in c.i.in princi. infra. de feu.sine culpa non amit.& in c.vlti. infra. quo tem.miles inuesti.pete.de. Vbi sancitur, vt nemini militi possessio sui beneficij adimatur, nisi conuicta culpa, quæ sit laudanda per iudicium parium suorum. De hac materia latius disseruimus in .§.vlti.suprà, de his, qui feu. da. possunt.

2. Subtilitatem nimiam & captiosam reiiciunt ligislatores,vt hic in fine. Legibus quippè amica est simplicitas.§. cæterùm.vers. & hæc quidem. Insti.de legi.agna.succes. Et Imperatori in legibus magis simplicitas,quàm difficultas placet.§. sed quia stipulatio.Insti.de fideicōmis. hære. Subtilitates quoq; à iudicibus non admittentur. l.sicut in re corporali.§. si debitori. ff.quib.mo.pig.vel hypotheca.sol. Et omissa subtili ratione, aliud concluditur à Iureconsulto.l.ita vulneratus.in fine.ff.ad leg.Aquil. Et stricta ratio, quæ propter publicam vtilitatem seruatur,nonnunquam omitti solet, veluti in ambiguis religionum quæstionibus. Nam summa est ratio,quæ pro religione facit. l. sunt personæ. in fi. ff. de reli.& sump. fune. Et cùm de bona fide agitur, non congruit de apicibus iuris disputare. l. si fideiussor. .§. quædam. ff. man. Iudex igitur æquitatem ante oculos habere debet. l. quòd si Ephesi. in fi. ff. de eo. quod cer. lo. Boni enim & innocentis viri officio eum fungi oportet. l. cæteræ. ff. fami.hercis. Prætèrea, dum nimia vtimur circa sensus subtilitate,iudicia testantium aliquando defraudantur.

f. si quis hæredem. C. de insti. & substi. Et propter nimiam subtilitatem verborum, latitudo voluntatis contrahentium impeditur. l. vnica. in fi. C. vt actio. ab hære. & contra hæ. incipi. Non raro etiam accidit, vt dum nimia subtilitate vtimur, ipsa subtilitas ad perniciem conuertatur. l. penul. in prin. C. ad senatus. Trebel. Porrò sunt nõnulli, qui dum se existimari hebetes nolunt, sæpe in quibusdã inquisitionibus, plus q̃ necesse est, exercentes, ex nimia subtilitate fallũtur. c. hinc etenim. vers. sed sunt nõnulli. xlix. dist. Quæ dicta sunt, de captiosa, pertinaci, ac perniciosa subtilitate accipi debent, deq; ea, quæ non sensum, sed vana nominũ vocabula amplecti desiderat, l. ij. non procul à fi. C. de cõsti. pecu. nõ de illa, qua vti nos decet ad inuestigãdos legum intellectus, & ad eligendã ex opinionum varietate sentẽtiam veriorẽ. Variantibus siquidem opinionibus, illam amplectemur sententiam, quæ meliori, & subtiliori nititur ratione. c. capellanus, circa fi. de feriis. Hinc inquit Hostien. in c. dilecti filij. in §. i. de iudi. quando agitur de intellectu iurium, non est perfunctoriè transeundum: imò subtilitates rationabiles approbamus, Allegat d. c. capellanus. & c. ij §. si quid ergo. in verbo, subtiliter intuenti. de transla. episco. Aliquando etiam exemplo Pontificis subtiliter fuerit distingendum. c. cum Marthæ §. distinguendum est tamen subtiliter. de celebra. missa. Hoc genere subtilitatis vtentes, merito sunt laudãdi: Quẽadmodum à Iustiniano cõmendatus fuit Papinianus: quem acutissimi ingenij virum, & merito ante alios excellentem appellauit. l. cum acutissimi. in princi. C. de fidei commis. Et alibi virum prudentissimum dixit. l. cum virum. C. eo. ti. Postremò, vt iam sunt mores, non facilè elabetur, quod Imperator statuit, videlicet aurum à barbaris subtili ingenio esse auferendum. l. secunda. C. de com. & marca. Hæc tametsi à feudorum exorbitent materia, tamem occasione per tex. oblata, cum alioqui cognitu sint digna, non piguit annotare.

De successione Feudi. Titulus VIII.

SEQVITVR de successione feudi videre. si quis igitur decesserit, filius, & filiabus superstitibus, succedunt tantum filij æqualiter, vel nepotes ex filio, loco sui patris, nulla ordinatione defuncti in feudo manente, vel valente.

Filij vasalli æqualiter, exclusis filiabus, aut nepotes ex filio, in feudo succedunt, non obstante vlla ordinatione, aut dispositione vltimæ voluntatis per testatorem facta, quæ in feudo nullum obtinet momentum.

1. Filij vasalli æqualiter in feudo succedunt, vt hic. & in §. & quia vidimus supra. titu. pri. Similiter nepotes ex filio vasalli mortuo, cum superstitibus filiis ipsius vasalli, in feudo succedent. Hi enim nepotes surrogati in locum patris sui, vna cum patruis, ad præfatum feudum admittentur: fietq; successio in stirpes, non autem in capita. Nam obseruabitur in successione feudi id, quod ius ciuile disponit, in §. cum filius. Insti. de hæredi. quæ ab intest. deferun. & in Auten. cessante. C. de legi. hæredi. Cum enim nepotes cum patruis suis ad successionẽ aui perueniunt, vtiq; in stirpes succedẽt, vt ibidem. Quod etiam obtinet, cum vasallus decedit, fratribus, & alterius fratris filiis relictis. Nam cum patruis nepotes succedent patruo in stirpes. c. i §. his vero. & ibi Aluaro, in vlti. quæsti. infra. de gra. succe. in feu, Idem iuris esse contendunt, si agatur de successione agnati collateralis, veluti si tres sint fratres de vno feudo inuestiti: & primus decedat, relicto filio vno: secundus, quatuor relictis filiis: tertius verò frater sine liberis moriatur, hi

fratrum

fratrum filij in feudo sui patrui vltimo defuncti, in stirpes, & non in capita succedent, secundum crebriorem (vt aiunt) conclusionem Doct. post glo. verbi, in stirpem. in d. Authen. cessante. Quæ habet, nepotes præfatos (quandoquidem in patris locum surrogantur) non in capita, sed in stirpes vocari: sicq; tantam assequi debere portionem, quantam eorum pater, si in humanis esset, secundum Cy. & Ange. ibidem. Qui etiam testatur, ea plerunq; obseruari, siue, vt ipse inquit, cõmuniter practicari. Bartholus quoq; & Alexan. densáq; aliorum caterua. huic opinioni variis in locis nomina coniurata præbuere. Quorum censoria virgula tam stupefactus fuit & attonitus Ange. Areti. vt palam fateatur, quamuis contrariam opinionem de iure existimet veriorem, se tamen à priore non ausum esse discedere, propter immẽsam Bar. & aliorum autoritatẽ. vt ipse hoc latius prosequitur in d. §. cum filius. Insti. de hæredi. quæ ab intesta. defe. Quibus etiam conspirat Bal. responsum in consilio suo cxcix. incipien. ad euidentiam in iij. parte secundum volumen meum. Vbi consuluit, cum ex duobus fratribus supersint filij, & horum patruus decedat sine liberis, istos nepotes transuersales præfato suo patruo in stirpes successuros, cum per repræsentationem patris sui veniant. Itaq; non desunt Aristarchi, qui ab hac crebriore opinione nequaquàm recedendum esse putent. arg. l. vnicè. ff. de offi. quæsto. versi. & sane crebrior apud veteres opinio est. Verùm enimuerò, si modò cedere deceat vmbratica veris, diuersam amplecti sententiam, non fuerit (vt dici solet) Apollinis barbam vellicare. Equidem id satis conuincitur ex tex. in §. sed & ipsis. in Auten. de hæredi. ab intesta. per dictionem, tunc, ibi expressam luculenter indicantem, diuersum fore, quando fratrum filij non cum propriis thiis, hoc est, patruis vocarentur, vt in specie subiecta. Certè nusquàm clare deciditur contrarium, videlicet fratrum filios in stirpes patruo succedere debere. Itaque veteris iuris obseruatio manebit incolumis & illibata, quæ dictat, omnes transuersales eiusdem gradus, ad successionem in capita vocari. C. de legi. hæredi. l. lege xij. tabularum. & l. ij. §. hæreditas. ff. de suis & legi. hære. Porrò negamus fratrum filios hac specie patris persona niti. Nam suopte successionis iure suffulti, non quidem ex patris, sed ex propria sua persona vocantur. Quare cum pari gradu, defunctum contingant patruum, pari quoque iure, hoc est, in capita succedent eidem. Quanquàm enim sint impares numero, pares sunt tamẽ sanguinis vinculo. Quot igitur nepotum capita, tot etiam hæreditariæ portiones. Iniquissimum enim esset, si pari gradu coniunctæ, sed multiplicatæ soboli, naturalis successionis commodum adimeretur, data illis prærogatiua, qui non gradu coniunctiores, sed numero essent pauciores: quum alioqui per rerum naturam, inter pares non cadat quid præcipuum, sed pares merito pari debeant iure censeri. Diuersa autẽ est ratio, quoties nepotes cum patruis vocantur ad patrui successionem: nam cum gradus coniunctione à patruis superentur, & mediante paternæ repræsentationis beneficio, ad successionem patrui, constitutionis indulto, admittantur. d. §. sed & ipsis. Non mirum, si tunc nequeant plus consequi, quàm habiturus fuisset pater, cuius innixi personæ, vnà cum patruis admittuntur. At in superiore specie, non vlla patris repræsentatione, sed iuris sui base ac robore fulciti, & æqualiter defuncto coniuncti, æqualem quoq; in capita merentur successionem. Iam verò si interpretum suffragiis res sit expendenda magis, quàm iudicio, non desunt, qui & meæ sententiæ calculum adiiciant, inprimis Azo, in Summa. item & Dinus, vt constare potest ex verbis Cyni in d. Auten. cessante. & Iacob.

Butrigarij.

Butrigarij. Baldus quoq;, & si aliquando aliter consuluerit, tamē in d. Auten.cessante, palinodiam canit, dicens, Azonis sententiam sibi iam videri magis consonam literæ & naturæ. Quod & Salycetus ibidem cōprobat: & Angelus Aretinus, vbi suprà, dicit se credere, hanc opinionē de iure esse veriorē. Quanquā homo pauidus vacillet, velut attonitus tantorū autoritate Catonum. Quasi verò autoritas vlla interpretis, aut glossatoris lucem obstruere veritati possit. Vides itaq; & partibus à nostris classicos stare, quibus ego fretus, in consessu magnatum hanc defendi sententiam.

2. Vasallus per testamentū, seu vltimam voluntatem quippiam de feudo disponere aut ordinare prohibetur: quia naturam aut proprietatem feudi immutare non potest, quod & domini voluntate, & consuetudinis autoritate certo quodam illibatóq; ordine, ad posteros defertur, vt hic. Adeò, vt ne pro anima quidem hoc legare possit vasallus, vt §. donare. infrà. qualiter olim pote. feu. alie. & de pro. feudi alienatione per Fredericum. versi. vel pro anima iudicare. & Baldus in consilio suo. clxx. incipiente: Ad euidentiam præmittendum est. in secunda parte inquit, vasallum de rebus feudalibus testamentum facere nòn posse, nec etiam legata relinquere. Quod tamē intelligendum dicit, nisi cōsuetudo loci id fieri permittat. Quandoquidē consuetudo specialis loci derogat consuetudini feudorum generali: cùm, vt regula iuris dictat, generi per speciem derogetur. Adducit præterea pro huius confirmatione tex. in l. venditor §. si constat. ff. communia prædiorū. Qui tex. in subiecta materia bene congruit. Nam ibi probatur, consuetudinem posse præiudicare iuri priuati. Et ita in proposito, consuetudo permittens vasallo licentiam testandi de feudo, quanquàm in præiudicium successorū, nihilominus valida censetur. Idem Baldus in consilio. cclxxv. in secunda parte, consuluit, prouinciæ consuetudinem efficere posse, vt quis de feudo & testamentum & legata facere, illúdq; in successorem quemcunq; transmittere possit. Consuetudo enim tanti est roboris, & momenti, vt etiam in feudis regalibus, quo ad successionem, derogare possit communibus placitis feudorum, vt §. vlti. infra, de alie. feu. Quanto igitur potius in minoribus feudis, ius succedendi poterit immutare? Quare, si loci consuetudo permittat de feudis testari, standum fuerit consuetudini, ceu legis vicem obtinenti. argu. l. fi. C. de testa. Aluarotus quoq; hic recitat, pèr legem municipalem statui posse, vt vasallus in vltima voluntate de feudo disponendi habeat facultatem, ita videlicet, vt alter filiorum suorum, duabus feudi partibus, alter tertia potiatur. Et per legem municipalem concedi posse de feudis testandi facultatē, Bal. hic. asserit. circa fi. versi. quæro vtrùm per statutū. Præterea si feudum fuerit franchum, hoc est, liberum, vasallo libera testandi facultas de eo competet, cùm sit liberum & gratiosum, secundum Ias. in præludiis feudorum, in antepenul. colum. versi. nota alium singularē effectum. Idem dixit Bal. in Auten. nisi rogati. C. ad senatus. Trebel. versi. extra nota. vbi etiam dicit, feudū franchum esse, quod est liberū ex pacto, vel ex cōsuetudine. Et Oldra. consi. ccxxxiiij. dixit, feudū franchum intelligi omni libertate liberū, & ab omni seruitute liberatum & absolutum. Sed videndus est Iason in loco præallegato, Doctorum sententias cumulans, quibus declaratur, quid sit hoc genus feudi, quod franchum appellamus.

§. Hoc quoq; obseruatur, vt si frater meus alienauerit partem suam feudi: vel fecerit inuestiri filiam suam, si moriatur sine hærede masculo, nihilominus reuertitur ad me. Et olim obseruabatur vsq; ad quartū gradum tantùm: secundum quosdam

dam. Hoc ideo, quia postea non vocatur feudum paternum, alij autem dicunt vsque ad septimum gradum.

Vasallo partem feudi alienanti, aut de ea curanti filiam suam inuestiri, & sine filio morienti succedit frater, aut eo deficiente proximi agnati, ad septimum vsque gradum.

1. Intelligendus fuerit hic tex. de feudo paterno, seu antiquo, non autē de nouo. Item accipiendus de alienatione licita, quam, secundum vetustiorem vsum, licitè faciebat vasallus vsque ad dimidiam feudi partem, vt dictum fuit suprà in §. aut si libellario. quib. mo. feu. amit. Sed hodie omnis alienationis species vasallo interdicta est, per cōstitutionē Lotha. & Frede. Nisi domini præuio fiat consensu, vt infrà, de prohi. feu. alie. per Frede. & de prohi. feu. alie. per Lotha. Verùm tametsi vasallus, domini fultus licētia, feudum alienet, filio tamen eius reuocandi permittitur facultas, precium nihilominus restituenti: idque superstite alienatore patre, exclusis omnibus agnatis §. Titius filios. infrà. si de feu. defun. conten. sit inter do. & vasal. secundum Aluaro. in §. fi. conclu. xxv. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. Nec hic locum vendicat lex, quæ à patre. C. de resti. mili. cùm inquit, ea, quæ à patre geruntur, non decet à filiis in irritum reuocari, cùm feudorum vsibus aliud sit receptum. Quanquam enim Romanarū legum non vilis sit autoritas: non adeò tamen vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores feudorum. c. vnico. infrà, de feu. cogni. Licet non tam filius in subiecta specie, quàm consuetudo ipsa feudorum, factum patris alienantis in irritum reuocet. Et quia maiorum prouidentia, ipsáque feudi natura hac specie ius illæsum filiis conseruat, meritò factum patris filios non constringet. argumen. l. si arrogator. circa. fi. ff. de adop. Eis enim ex pacto maiorúmque contractu adeò feudum antiquum debetur, vt domini feudi, vel viuente patre, quodammodo esse videantur. At si pater non adhibito domini consensu feudum alienet, eique filius aliis in bonis sit hæres, alienationem à patre factam non reuocabit. Quum enim quodammodo vna sit persona, filij hæredis, & patris, qui in eum hæreditatem transmisit, in Autentico. de iure iu. à mo. præsti. in princi. col. v. feudi alienati dispendium, non secus, atque pater ipse alienans, ferat necesse est. Culpa siquidem alienantis tanquam hæres descendens peculiaris censetur affectus, proinde ad successionē feudi, quod pater, cui succedit, illicitè alienauit, planè redditur indignus §. si vasallus culpam, infrà, si de feu. defun. conten. sit inter do. & agnatos vasal. Nam hæredem factum defuncti, ex quo lucrum capit, præstare, iuris est peruulgati. l. cùm à matre. C. de rei vendi. & l. si ab eo. C. de nego. gest. & l. vxor. C. de bonis auto. iudi. possi. & regula iuris. ff. ex qua inquit persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet. Hac itaque specie exclusis filiis, agnati feudum reuocabunt. secundum Aluarot. in d. §. fi. conclu. xxv. infrà, quæ fuit pri. cau. benefi. amit. Veruntamen, si patri, qui sic feudum alienauit, filius non succedat, nulla exceptione, quo minus paternum feudum alienatum repetat, arceri poterit, idque cæteris agnatis exclusis. arg. d. l. cùm à matre. vt hæc latius tractantur in d. §. Titius. & in c. vnico, infrà, an agna. vel fil. defun. & cæt, & per Aluaro. hic. & in d. §. fi. in xxvi. conclusi. infrà, quæ fuit pri. cau. benefi. amit.

2. Vasallus filios non habens, si à domino filiam suam de feudo inuestiri curet, id quod gestum est, donec supersit vasallus, nempe, filiæ pater, iure quidem subsistet: sed patre ab humanis migrante, proximi agnati, ad quos eius successio pertinet, talem inuestituram poterint reuocare, vt hic in tex.

& in

& in d.§. Titius.& per DD.vtrobiq.Feudum siquidem paternũ etiam domini voluntate adimi non poterit agnatis,nec in vasalli filiam confirmari, non consentientibus eisdem.c.1.in prin. infrà, de alie. feu. pa. Et hæc obtinent in feudo paterno. Noui enim feudi,& ad dominum morte possessoris relapsuri,libera filiæ concessio fieri poterit.c. vnico.infrà, quemad.feu. ad fili.perti. Præfata quoq; accipi debent,nisi cõsuetudo,aut lex municipalis aliud dictaret: quemadmodũ Bal.hic cõmemorat obtinere in regno Apuliæ.Vbi non existente hærede masculo,ad successionẽ regni etiam fœmina vocatur.Porrò si feudum alienet vasallus,domini accedente cõsensu,durãte quidẽ vita alienãtis,momentũ obtinebit alienatio,fructúsq; suos interim emptor aut possessor faciet,sed post mõrtẽ alienantis, quod actum est, etiam nullo refuso pretio,reuocabũt agnati.d.§. Titius filios. si de feu.cõten. sit inter do.& agna.vasal.Cæterùm si absq; domini licentia feudum alienasset, non expectata morte alienantis, sed in continenti,feudum per agnatos reuocari posset. Domini quippe non adhibita voluntate, alienatio nullum ritè exordium capere potuit. Itaque non tam reuocatur,quàm suopte vitio protinus corruit, quod inaniter factum est. Quare confestim per illicitam alienationẽ, feudũ ad agnatos deuoluitur,modò id sit antiquum. Est enim post glos.hic crebrior DD.sententia,videlicet Andreæ de Yser.Iaco.de Bel. Nico.de Nea. Bal. & Alua. Feudum antiquum sine consensu domini alienatum,ad agnatos,& non ad dominum deuolui. Licet §. vltimus infrà,quæ fuit pri.cau.bene.amit.& §. callidis. infrà,de prohibita feu. alie. per Frederi. expressè refragari videantur. Sed intelligunt plærunq; DD.vt vtrobiq; statuatur de alienatione feudi noui, aut etiam feudi paterni, cùm scilicet non supersint agnati transuersales, sed solùm extent descendentes, quos culpa alienantis peculiarius afficit, sicq; ad feudi successionẽ reddit indignos §. si vasallus culpam.infrà,si de feu.defun.cõten.sit inter do.& agna.vasal. Quod intellige,vt paulò antè dictum est. Et dicit Bal.hic præfatam opinionẽ esse æquam. Et in consi.cclxxvi. in quinta parte, secundum volumen meum, testatur, eam multum, vt ipse inquit,esse rationabilem. Nam cùm in agnatos non descendat culpa alienantis (nullam enim causam habent ab eo) nec pœna descendet in eosdem. l. sancimus. C. de pœnis. Sed ibi concludendo asserit contrarium, dicens, de consuetudine feudorum esse verius, vt etiam agnatis præiudicetur: sicq; feudum ad dominum,quem contempsit alienans,relabatur §. vlt.quæ fuit pri.cau.bene.amit. Vbi in fine dicitur,si vasallus contra constitutionẽ bonæ memoriæ Lotharij Imperatoris beneficium alienauerit: quia dominũ contemnere videtur,ad dñm beneficium pertineat. Et in d.§.callidis,dicitur: Venditor & emptor,qui tam illicitas alienationes reperti fuerint cõtraxisse,feudũ amittant, & ad dñm liberè reuertatur. Per quæ iura Petrus de Cer.probat, feudũ præfato casu ad dñm reuerti. Sed difficilè fuerit à contraria opinione, tot interpretũ veterum roborata suffragiis,recedere.Quandoquidẽ minimè sunt mutanda,quæ interpretationẽ certã semper habuerũt.l.minimè.ff.de legi.Et crebrior apud veteres opinio meritò est præferenda.l.vnica.versi.& sanè crebrior apud veteres opinio est.ff.de offi.quæsto.Quæ & probari videtur in §. sed etiam. versic. tunc enim rescissa inuestitura.infrà, per quos fiat inuestitura,& per quos recipia. Maximè quòd tex.ille, post leges tam Lotharij,quàm Friderici emanârit,quum illarum faciat mentionem. Et adeò quidem alienati paterni feudi repetitio competit agnatis,vt etiam proximioribus,qui viuunt,in alienationem consentientibus,descẽdẽtes eorum,siue iam nati, siue nascituri,ea,

quæ facta sunt, retractare, feudúmq; paternum, sic alienatum reposcere nihilominus queant, si post mortem consentientium, feudum aliquando eisdem aperiri contingat, secundũ And. de Yser. argu. l. cùm pater §. libertis. ff. de lega. ij. & l. placet. in fi. ff. de libe. & postu. & l. qui in vtero. ff. de statu homi. Sed apertius probatur per tex. in c. i. in prin. in versi. quãdoq; sit reuersurum, de alie. pater. feu. secundum Aluaro. Videtur quoq; hos agnatos, præscriptionis exceptione submoueri non posse. argu. l. vbi lex inhibet. & quæ ibi habentur per glos. & DD. ff. de vsucapi. & l. alienationis verbum. ff. de verbo. signi. Nisi tales agnatos, alienationem constet tacitè vel expressè ratam habuisse. De quo latius in d. §. Titius filios.

3. Agnati vsq; ad quartum, vel septimũ gradum antiquitùs ad collateralium in feudo successionem vocabantur, vt hic. Sed hodie succedunt in infinitum, si in descendentes à primordiali acquirente feudum fuerit transmissum. De quo latius diximus in §. hoc quoq; suprà, qui feu. da. possunt.

4. Differentiam inter feudum paternũ & antiquum esse, ex fine huius tex. non obscurè colligitur. Paternũ enim dicitur, quod quarto gradu circũcluditur, quo personæ quinq; cõprehendũtur, suis nominibus insignes, scilicet, pater, auus, proauus, abauus, atauus. Vltra hunc gradũ quartũ, feudum non paternũ, sed antiquum propriè nũcupatur, vt hic in tex. Huius cognitio momentũ obtinet ad inuestigandũ effectum illius cõcessionis, quæ de feudo alicui facta est, vt scilicet id teneat tanq̃ feudũ paternũ. Nam talis inuestitura vltra quartũ gradũ non porrigẽda videretur. Quare expedit, vt in instrumẽto ipsius inuestituræ inseratur, cõcessionẽ fieri, vt teneat iure paterni & antiqui feudi, vel tanq̃ feudũ paternũ, & antiquum, vt oĩs dubitationis scrupulus in posterũ eximatur. Quod Bal. hic, dicit memoriæ cõmendandũ.

§. Filia verò non succedit in feudo, nisi inuestitura fuerit facta in patre, vt filij & filiæ succedant in feudum (tunc enim succedit filia, filiis non extantibus) vel nisi inuestitæ fuerint de hoc feudo paterno.

Patri filia in feudo non succedit, nisi ea lege inuestitura sit cõcessa, vt tam filij quàm filiæ succedere possint. Et hac specie ita demùm ad successionem feudi admittentur, si filij nulli, tempore paterni obitus supersint, vel nisi de feudo paterno filiæ per dominum à nouo fuerint inuestitæ.

1. Quemadmodum fœminæ regulariter à feudorum successionibus arcentur, vt hic, & in §. quinetiam. suprà, epis. vel abba. feu. da. non pos. & in c. vnico. infrà, de natu. succes. feu. Ita etiam filij, & ex ea descendentes prohibentur. c. vnico. infrà, de succes. fra. vel gra. succe. in feu. Vbi text. proles fœminei sexus, vel ex fœmineo sexu descendens, ad eiusmodi successionem aspirare non potest. Quod tamen non obtinet, si eo pacto feudum sit acquisitum, vt etiam fœminæ succedant, vt ibidem, & in c. vnico. infrà, de feu. March. in fi. vbi inquit text. per pactum filiæ succedunt. Item non obtitet, si eius conditionis sit feudum, vt in eo fœmina possit succedere, vt puta, quia feudum sit fœmineum. Tunc enim succedit filia. d. c. vnico. de succes. fra. vel gra. succe. in feu. & in c. vnico. infrà, de natu. success. feu. Per quem text. infertur, in feudo fœmineo, habente initium à matre, succedere filiam fœminam, etiam si hoc speciali pacto non cautum sit in inuestitura. Tametsi nonnulli arbitrati fuerint, filiam in tali feudo, nisi specificè pactum fuerit, non successuram. De præfata materia latius disseruimus in §. hoc autem. suprà, qui feu. da. possunt.

2. Quamuis inuestitura feudi filios & filias ad feudi successionem vocet, non adiecta clausula, masculis non extantibus, tamen fœminæ in feudo non

succedent,

ſuccedent,niſi poſteaquam maſculi nulli ſuperfuerint.Præfatam enim clauſulam (etiam ſi non inſeratur) tacitè ſubintelligendam eſſe,rei, de qua agitur,natura expoſcit. Conſtat enim feudi eſſe naturam, vt locus fœminæ in ſucceſsione,donec maſculus ſupereſt,patére non poſsit. vnico. infrà, de eo, qui ſibi,vel hære.ſuis maſcu.& fœmi.inueſti.acce.ſecundum Bal.hic. Quare per inueſtituram prælibatā ad paterni feudi ſucceſsionē filia vocabitur, ſi vel tempore mortis paternæ, filius nullus extet, vel ſubitò poſt mortem patris de medio ſublatus exiſtat: quaſi tunc nec fuiſſe videatur, ſecundum gloſ. hic in verbo, non extantib. Quod latius tractauimus in d.§.quin etiam.ſuprà,epiſ.vel abba.& cæt. Et dicit hic Bal. Si maſculi quidem extitiſſent, ſed mox deceſsiſſent,fœminas ex iuris benignitate ad ſucceſsionē vocari. Nec enim fratres,cùm ſibi non proſint,ſororibus obfuturos.argu.l.ij.§.item Varus. verſicu.quanquàm. ff. de aqua plu.arcen.

3. Fœmina ſuccedit in feudo paterno, ſi de eo per dominū fuerit inueſtita,vt hic.quod intellige de feudo ad dominum liberè reuerſo,cuius inueſtitura fœminæ per dominum concedi poteſt, cùm id ex mera liberalitate pendeat concedentis.c.vnico. infrà,quemad. feu.ad filiam perti.

§. *In alio verò feudo, quod habuit initium tantùm à fratribus, non ſuccedit vnus alteri, ſiue vna inueſtitura, ſiue duabus inueſtituris, niſi hoc fuerit dictum expreſsim, vt alter alteri ſuccedat.*

In feudo nouo,quod exordium cepit à fratrib9,alter alteri nō ſuccedit,niſi hoc inueſtitura cautū ſit expreſſè,vt alter ad alterius ſucceſſionē vocetur.

1. Frater non ſuccedit fratri in feudo nouo, niſi expreſsim id inueſtitura permittat,vt hic. Quâ hoc permittente, ita demùm ſuccedet frater decedenti fratri,ſi nullos ex ſe deſcendentes reliquerit. Illis enim extantibus,in ſucceſsione feudi locus fratri non erit,ſecundum gloſ.hic,per textum. in c. ſi duo fratres. infrà, de feudo March.

2. Quanquàm feudo nouo fratribus ſimul conceſſo, alterius decedentis portio alteri ſuperſtiti non accreſcat, niſi aliud expreſſè cautū exiſtat, vt hic in tex.tamen id non videtur obtinere in emphyteuſi duobus fratribus conceſſa. Nam multorū iudicio, fratris morientis pars ad ſuperſtitē fratrem, etiamſi hoc emphyteutico non contineatur inſtrumento,deuoluetur. argu. l.idem erit.in fi.cum duab.legib.ſequentib.ff.de aſsignan.liber.Qui tex.non ineptè congruunt ſpeciei ſubiectæ,dum probant, liberto duobus aſsignato, vnius repudiantis vel non exiſtentis portionem non redire in familiam: ſed ei potius accreſcere, in cuius perſona durat aſsignatio. Bal.quoque hic ait, Principis inueſtitura ita cauente: concedimus vobis, Petro & Ioan. fratribus, & cuilibet veſtrum, talem arcem in feudum rectum, & nobile altero decedente, apud alterum ſuperſtitem, arcem totam futuram, quaſi ea cuilibet in ſolidum data fuiſſe videatur. argu. l. creditor §.duobus. ff. manda. Quod & Aluaro. hic comprobat.

Qui ſucceſſores teneantur. Titulus IX.

SI QVIS inueſtitus fuerit de alieno feudo poſt mortem eius: vel ſi quis fuerit inueſtitus ſub conditione aliqua, vel tempore, quo nullus erat inueſtitus, ſiue præmoriatur tenens feudum, ſiue inueſtitor, ſiue inueſtitus: inueſtitor, & inueſtitoris hæredes, teneantur inueſtito, vel hæredibus eius, veniente tempore, vel conditione: licet alij dicant, ſi moriatur inueſtitus, antequā tenens feudum, vel ante cō-

ditionem existentē, vel ante tempus, quòd hæredes eius non debeant inuestiri. Nam si quis fuerit inuestitus purè de alieno feudo, non valet habita inuestitura. Hoc ita est, nisi fuerit facta ab aliqua ecclesiastica persona. Tunc enim si præmoriatur inuestitor, antè quàm feudum tenens, vel conditio, vel tempus existat, non obligatur successor illius. Et hoc probatur per legem Lotharij, de precariis. Et hoc intelligendum in vasallis, qui feudi successionem non habent.

Si quis inuestiatur de feudo alieno, hoc tenore, vt post mortem possessoris id habeat: aut si in diem, vel sub conditione inuestiatur, siue præmori contingat inuestitorem, siue inuestitum, siue feudi possessorem: inuestitor, siue eius hæredes, adueniente die, vel conditione existente, feudi possessionem tradere inuestito, verámque & propriam inuestituram feudi præstare tenentur. Quanquam nonnulli intelligant, hæc fieri non oportere, si inuestitus, priusquàm dies cesserit, aut conditio euenerit, præmoriatur. Quod tamen non recipitur. Si verò inuestitura de feudo alieno facta sit purè, viribus non subsistit. Verùm enimuerò si ecclesiastica persona de feudo alieno in diem, vel sub conditione inuestituram concedat, & ecclesiasticus inuestitor, priusquàm feudum possidens moriatur, aut antequam conditio, diésve extiterit, ab hoc seculo migret: successor eius, prælibatæ inuestituræ causa neutiquam obligatus existet. Quæ dicta sunt, obtinent, cùm inuestitura de eo conceditur feudo, cuius possessorem constat nullos post se relicturum in feudo successores.

1. Tam ecclesiasticus quàm prophanus de feudo per alium possesso inuestituram cōcedere potest, eo tenore, vt post mortem possessoris, hoc pertineat ad inuestitum, vt hic in tex. Purè tamen fieri prohibetur, nisi consentiente feudi possessore fiat, ipsáque rei feudalis possessio in inuestitum transferatur, vt in c. vnico. qui succes. feu. da. tene. & §. præterea. suprà, quib. mo. feu. amit. Porrò, si prophanus prælibatam feudi nondum aperti inuestituram faciat, aut in diem, vel sub conditione concedat: nihil refert, viuente domino, & inuestito, an mortuo vtroque, feudum aperiatur, diésve, aut conditio extet. Nam & hæres inuestientis, loco defuncti, ad traditionem vacantis feudi arctabitur: & hæres inuestiti in locum sui autoris surrogabitur: sicque res, quæ prædecessorum contentione incepta fuit, per successores & hæredes recipiet complementum, vt hic. Nam vna quodammodo est persona hæredis, & eius, qui in eum transmisit hæreditatem. in Auten. de iureiurando à morien. præsti. in princi. col. v. Et Imperator veteris iuris altercationes decidens, generaliter sanxit, omnem stipulationem, siue in dando, siue in faciendo, siue mixta ex dando & faciendo inueniatur, & ad hæredes, & contra hæredes transmitti, siue specialis hæredum fiat mentio, siue non. Cur enim quod in principalibus personis iustum est, non ad hæredes, & aduersus eos transmittatur? vt hæc habentur in l. veteris iuris. & l. vlti. C. de contra. & comit. stipu. Cæterùm si quis prophanus, facta inuestitura de feudo non vacante, temporis progressu, bonis confiscatis, de crimine condemnetur, fiscum non obligari, feudo postea aperto ad eius traditionem inuestito faciendam. Bal. & Alua. hic adstruunt. Quasi hac specie fiscus magis Prælato successori (quem inuestitura prædecessoris non obligari constat) æquiparetur. Eliciunt ad hoc arg. ex l. quotiens. in fi. ff. de nouatio. & delegatio. & l. vlti. ff. de duob. re. stipu. & promit.

2. Inuestitura de feudo nondum aperto per ecclesiasticum Prælatum facta, successorem non constringit, si viuente inuestitore feudum apertum

non

non fuerit, cùm præsentium duntaxat rerum, non etiam post mortem suam gerendarum administrationem, vita comite, habeat Prælatus, vt latius disseruimus in d.c.vnico. suprà, qui success.feu.da.tenean. Vbi de materia huius tituli plenius pertractatur.

3. Ita demùm, siue laicus, siue clericus inuestiturã feudi ab alio possessi cõcedere poterit, si nullos superesse constiterit, ad quos hoc feudũ iure successionis meritò peruenire debeat, vt hic in tex. & in c.ij.in fi. infrà, de feu.dato in vicem legis commiss.reprobã.& in c.moribus. infrà, si de feu.defunc.con. sit inter do.& agna.vasal. Nam si extarent hæredes, quibus ius succedendi in eo feudo competeret, dominus in eorum præiudicium, aliquem de feudo præfato inuestire nõ posset.c.i.in prin.de alie.feu.pater. Vt hæc omnia prolixius tractauimus in d.c.vnico. suprà, qui succes.feu.da.tenean.

De contentione inter dominum & fidelem de Inuestitura feudi.

Titulus X.

SI contentio fuerit inter dominũ & fidelem, de inuestitura feudi, per pares curiæ dirimatur. Alij enim testes, etsi idonei sint, admittẽdi non sunt: inopia tamen probationũ, dirimatur per religionẽ clientuli possessoris feudi, vel cum duodecim sacramentalibus, secundum quosdã. Cæterùm, si dominus possideat, etiam per suum iusiurandum, cum duodecim sacramentalibus dirimatur. Hoc ita, nisi clientulus sit castaldus, vel actor domini: tunc enim tantùm suæ, id est, domini religioni statur, nisi habeat testes pares idoneos. Nam aliquando, malignando, multa bona auferuntur domino, hoc modo. Et hoc colligitur per legem, quæ est in titulo, de acquisitione actorum regis in Lombarda. Idem dicendum est de Guardia.

Exorta cõtentio inter dominũ & vasallum de inuestitura feudi, ita vt hic afferat, se de feudo quopiam esse inuestitũ, & propterea possessionem eius, velut sibi debitã, petat: ille verò id neget, & renuat: per curiæ pares, & non per testes alios dirimetur. Inopia tamen probationum, iureiurando vasalli possessoris, vel religione xij.sacramentalium lis sopietur. At si dominus sit possessor, eius iuramento cum xij. sacramentalibus controuersia finietur: nisi vasallus sit castaldus, vel actor domini. Hac enim specie, solius domini sacramento standum fuerit: nisi per testes idoneos castaldus, siue actor de iure suo probare queat. Idem iuris de eo, qui guardiæ feudum obtinet.

1. Cùm inter dominũ & vasallum de noua inuestitura, facta sit, nec ne, disceptatur: eam per curiæ pares factam esse, probabit vasallus, vt hic. & in c.vnico.in princ.infrà, qui testes sint neces.ad no.inuesti.prob. Hoc obtinet, cùm inuestitura fit ab eo domino, qui pares & vasallos habet. Alioqui enim inuestitura noua ab eo, cui nulli sunt pares, facta, per quoslibet testes idoneos, aut per publicũ instrumentũ probari posset §. si autẽ inuestitura. infrà, quid sit inuest. Similiter antiqua inuestitura, hoc est, quæ de veteri beneficio fit à domino successore, vel quæ fit vasallo successori, per extraneos, exceptis fœminis, probari poterit. d.c. vnico. in fi. infrà, qui test. sint neces. ad no.inuesti.prob. Porrò cùm pares curiæ inter dominũ & vasallum mota de feudo cõtrouersia, iudices esse debeant.c.vnico.in prin.infrà, de contro.feu. apud pares termi.& §.penul. infrà, de prohi.feu.alic.per Frede. dubitari poterit, quo pacto pares testimonium de facta inuestitura proferre possint, cùm neminem duplici officio & iudicis & testis fungi concedatur. argu. l. à quo §. tẽpestiuum.ff.ad senatuscon.Trebel. Iudicẽ quippe id sequi oportet,

quod ex fide eorum, quæ per alios probabuntur, eum sequi cõueniat. l. illicitas. §. veritas. ff. de offi. præsi. Sed ignorandũ non est, hæc esse accipienda, cùm tantus suppetit parium numerus, vt ex illis & gestæ rei testes, & cõtrouersię etiam iudices haberi possint. Quare si tam pauci essent pares, vt numerus, illos quos testes esse cõueniat, nõ egrediatur, necessario testimonio se integros reseruabũt, iudicis officium aliis relicturi: cùm facilior iudicũ, q̃ testium sit copia: nisi eiusmodi sit cõtrouersia, cuius probationẽ per extraneos testes coram paribus curiæ, vt iudicibus fieri posse euidenter constet. Si verò ambiguum sit, an per alios rei veritas probari possit, quanq̃ natura negotĳ extraneorũ probationẽ admittat, pares curiæ, quibus testibus res gesta fuit, iudicis officium non vsurpabunt: necessariò se testimoniorum vsui reseruantes, secundum mentem Iaco. de Bel. Nico. de Neapo. & Bal. hic.

2. Si inuestitura noua per curiæ pares probari non possit, & vasallus in possessione feudi existat, iureiurando vasalli, inuestituram factam esse probabitur, vt hic in tex. Quod intellige secũdum Aluaro. si per annum vnum, sciente domino, & non contradicẽte, in feudi possessione fuisset. Tum enim suo solo iuramento præfatam inuestituram probare posset, vt. §. vlti. in fi. si de inuesti. inter do. & vasall. lis oria. & ita intelligendum est primum dictum huius tex. Si autem vasallus annali spacio in feudi possessione non fuisset, cum xĳ. sacramẽtalibus possessionem suam tueri deberet. & ita intelligendnm est secundum dictum huius tex. De qua materia latius in. §. fi. infrà, de cõsue. recti feu. & in. §. vlti. infrà, si de inuesti. inter do. & vasal. lis oria. & in. §. cùm autem. suprà, si de inuesti. feu. contro. fue. Sacramẽtales aũt isti, sunt testes purgatores, quibus vasallus suspitionẽ cõtra se ortam purgabit. Iurabit siquidem primò, se possessionẽ feudi absq; inuestitura non occupasse. Deinde hi purgatores sacramentales iurabunt se credere, eum verum iurasse, secundum Docto. in d. §. vlt. infrà, si de inuesti. inter do. & vasal. lis oriatur. & secundum Andre. de Yser. hic. arg. c. quoties. & c. vlti. de purga. canoni. Iurabunt itaq; de credulitate. Nam iniquum est assertiuè & præcisè de alieno facto alium iurare. l. Marcellus. ff. de act. rer. amot. Ex præfatis liquet, propter probationis inopiam, iurisiurandi remedium adhiberi. Cùm enim inuestitura per curiæ pares probari nequit, res deciditur per iusiurandum possessoris. vt in hoc tex. & in. §. si aũt inuestitura. infrà, quid sit inuestitu. Ita & Imperator ait, in bonæ fidei cõtractibus, nec non etiam in aliis cæteris causis, inopia probationum per iudicem iureiurando causa cognita, res decidi oportet. l. in bonæ fidei. C. de reb. credi. & iureiuran. Canonicũ quoque est, ob probationis inopiam, & difficultatẽ, etiam eorum admitti testimonia, quæ alioqui iure essent respuenda, vt patet in l. penult. C. de hæreti. & Manichæ. in fi. Vbi ne probationis facultas angustetur, permittuntur testimonia hæreticorũ, super his, quæ in vltimis elogiis vel in contractibus consistunt, propter vtilitatem necessarĳ vsus. Similiter inopiâ probationis admittitur testimonium domesticorum & familiarium. secundum Panormita. in c. vlti. versi. sed quia suprà dixi, de his, quæ vi, metúsve cau. fi. argumen. l. consensu. versicu. seruis scilicet, vel ancillis. C. de repudi. Vbi si non alia adsint documenta, seruorum & ancillarum testimonia recipiuntur. Quoniam, vt ait text. non facilè quæ domi geruntur, per alienos poterint resciri. Prædictis etiam congruit c. veniens. ĳ. in fine. extra, de testi. Vbi canonici admittuntur ad testimonĳ fidem, super his, quæ acta sunt in conuentu capitulari: quia ea, quæ in capitulo aguntur, non facilè possunt, nisi per canonicos ipsos probari. vt ibi dicit tex. Præterea, quòd vasallo possidenti

denti sacramentum deferatur, vt hic. & in §. si verò fuerit. supra, si de inuesti. feu. contro. fuerit. multarum intuitu rationum fieri dinoscitur. Primò, fauore possessionis corporalis, quæ præsumptionē pro vasallo parit: cum alioqui iura dictent, meliorem esse cōditionem possidentis. l. i. ff. de Saluia. interdic. & l. si debitor. ff. de pigno. Secundò, quia fauorabiliores sunt rei quàm actores. l. fauorabiliores. ff. de regu. iur. Tertiò, quia procliuiores sumus ad absoluendum, quàm ad condemnandū. l. Arrianus. ff. de obli. & acti. Postremò, quia actore non probante, reus absoluitur. l. qui accusare, C. de æden. Est enim vasallus in subiecta specie reus, vtpote quia à domino impetatur, asserente feudum hoc, quod possidet, ad se pertinere.

3. Si inter dominum & vasallum contentio excitetur de inuestitura, quā sibi de feudo factam esse asserit vasallus, & dominus in petiti feudi possessione existat, per eius iusiurandum, cum xij. sacramentalibus lis dirimetur, vt hic in tex. Qui sacramentales per iuramētum credulitatis & conscientiæ confirmabunt, ita se rem habere, vt dominus iurauit, videlicet, de eo feudo inuestituram factam non esse. Et intellige hunc tex. subaudiendo, si iusta aliqua causa, aut præsumptio vasallum iuuet, & domini fidem suspectam reddat. Aliàs autem possidente domino, & vasallo in probatione deficiente, nullo præstito iureiurando, dominus absoluetur §. vlti. infra. de consue. recti feu. Verùm enimuerò, si hic vasallus sit castaldus, vel actor domini, qui inuestituram sibi de feudo factam contendit, solius domini sacramento, non adhibitis sacramentalibus, standum fuerit, nisi per curiæ pares castaldus probare posset, se feudi inuestituram accepisse, vt in hoc tex. Equidem, si huic castaldo, seu actori (cui res dominicæ defendendæ ac cōseruandæ tradūtur) etiam in possessione existenti, probatio intētionis suæ per iusiurandū permitteretur, fenestra maliciæ profectò aperiretur, dareturq; occasio, vt res inuasas, & re vera ad dominū pertinentes, periurio sibi constabilire posset, & confirmare. Quapropter optima ratione hoc hominū genus, legitimæ probationis onus constringit: omni sublata via, per quàm raptores impunè suā exerceant auaritiam: vt alio fine dixit tex. in §. quia tamē. Insti. vi bono. rap. De hac materia latius dictū est in c. vnico, supra. de feudo guardię, & castal.

De pignori dato feudo, quid iuris sit.
Titulus XI.

SIMILITER si quis voluerit dicere, de pignore sibi dato se inuestitum esse, non credatur suo iuramento, sed testibus idoneis, paribus domus vel curiæ.

Teste Aluaro, hic merito non fuerit nouus titulus. Nam materia huius c. dependet à præcedentibus. Tex. enim cōtinuando præcedentia in effectu ita dicit: Quemadmodum non statur sacramento castaldi, vel actoris, se de feudo, quod obtinet, inuestitū fuisse asseuerantis, etiam si in possessione eius fuerit, ita similiter non statur creditori possidenti pignus, & iureiurando asserenti, se de eo, tanquàm de feudo inuestituram accepisse. Sed necessarium erit, hoc testibus idoneis, videlicet domus, aut curiæ paribus cōprobare.

1. Creditor, qui à domino feudi pignus accepit, si de eo se esse inuestitum contendat, non iure iureiurando suo, sed curiæ paribus, hoc probare compellitur, etiam si in pignoratæ rei possessione per annum fuisset, vt in hoc tex. secundum Iacob. de Bel. Possessio enim quamuis annalis, ei non suffragibitur, cum non iure feudi, sed iure pignoris possidere inceperit, secundum Aluaro. hic. Nec repugnat huic c. §. similiter, supra, si de inuesti. feu.

E iiij contro,

controuer.fuc. Vbi domino onus probandi incumbit, se in pignus dedisse rem eam, de qua inuestituram factam asserit aduersarius. Nam ille tex. obtinet, quando planè incognitum est, an res ea, de quà agitur, vnquam à domino in pignus data fuerit. Hic autem §. intelligitur, cum in confesso quidē est, rem primò fuisse pignoris nomine traditam, sed postea eam, iure feudi acceptam esse contenditur. Hac enim specie probandi necessitas hoc asserentem constringit, vt hæc latius dicta sunt in dicto §. similirer. nisi pignus xxx. annos feudi nomine possedisset. c. vlt. infra. de vsu Medi.

§. *Insuper sciendum est, feudum guardiæ, & castaldiæ, quacunque hora vult, auferri posse à domino, scilicet post annum.*

Feudum guardiæ vel castaldiæ, anno finito, quacunque hora, per dominum poterit auferri.

1. Feudum datum cum præfinitione certi temporis, effluxo tempore, mox per dominum auferri poterit, vt hic in tex. Nam tempus limitatum & præfixum, sua extremitate & periodo finitur. l. quarta. ff. de condi. & de mon. & l. in illa stipulatione, si calendis. ff. de verbo. obliga. Porinde finito tempore, autoritate propria feudum vasallo adimi poterit. Et si vasallus domino, paranti arcem feudalem ingredi, fores siue ostia præcludat, dominus ea sua autoritate aperire poterit, secundū Bal. hic, allegantē Inno. in c. 1. de immunita. eccle. vbi inquit Innocen. si aliquis ecclesiam iniustè intraret, tunc habens iurisdictionem, aut ius in ecclesia, quasi prælatus, vel possessionem tantum, posset violenter rumpere domum ecclesiæ, & inde violentum expellere. c. olim. 1. de resti. spolia. Ea ratione, quia cuiq; licet possessionem suam defendere. d. c. olim. Hæc Bal. latius extendit, videlicet, vt etiam coloni, emphyteutæ, & alij. quorum iura temporis lapsu sunt finita, possint modò præfato expelli. Quod memoriæ commendandum dicit.

De contentione inter me & dominum, de portione Feudi fratris mei defuncti.

Titulus XII.

SI contentio fuerit inter me & dominum, de portione feudi fratris mei defuncti, dicendo paternūm esse, & sic me debere succedere: ille verò minimè, tanquàm habuerim partem meam, siue possideo, siue alienaui, dabitur iusiurandum, scilicet patrem meum iure inuestitum fuisse, licet non possideam portionem fratris mei. Si verò nullam partem habuero illius feudi, nec mihi, nec domino dabitur iusiurandum, nisi propter supradictam rationem domino: non vt ego propter hoc aliud meum feudum amittam. Si tamen vasallus poterit probare paternum fuisse, siuè possideat, siuè non, obtinebit. Alioqui nisi probet paternum fuisse, vel nisi possideat, dominus obtinebit.

Excitata controuersia inter dominum & vasallum de portione beneficij à fratre suo relicti, ita vt vasallus in eam, velut paternum feudum, se contendat succedere debere, dominus verò id neget, asserens eum minimè iure paterni feudi partem suam possidere, sed eam noua acquisiuisse inuestitura, sicq; non successurum in portionem à fratre relictam. Si vasallus possideat partem suam, siue per alienationem possidere desierit, iureiurando suo lis dirimetur. Iurabit enim, parrem suum, de eo feudo, iure inuestitum fuisse, quo facto, portionem fratris, licer eam non possideat, sed petat, consequetur. Si verò nec vasallus nec dominus partē aliquam illius feudi possideat, neutri iusiu-

Iusiurandum deferetur. At si hic possideat, praefata ratione, videlicet possessionis intuitu, ei sacramentum poterit deferri. Non tamen ob hoc vasallus in alio feudo, quod à domino accepit, praeiudicium sustinebit. Porrò vasallus probans feudum, quod petit, paternum esse, etiamsi non possideat, obtinebit. Alioqui, si nec possideat, nec id iure paterni feudi ad se pertinere probet, dominus vincet, vel simpliciter, vel iureiurando praestito, si hoc ei deferendum esse prospexerit iudex.

1. Fratri contendenti, se in portionem fratris, velut iure paterni feudi, succedere debere, defertur sacramentum, quo affirmabit, patrem vel maiores suos de hoc feudo fuisse inuestitos, idque si ipse in possessione partis feudi eius existat, vt hic in tex. & in §. cùm autem. suprà, si de inuest. feu. cōtro. fue. Et quanquam portionis nomen, sine aliqua adiectione positum, dimidiam partem significet. l. nomen filiarum §. portionis nomen. ff. de verbo. & rer. signi. tamen in subiecta specie, nomine portionis, quaelibet feudi pars comprehendi censetur, ita vt quacunque in parte vasallus possideat, talis ratione possessionis, iuramentum ei sit deferendum, per cuius praestationem reliquas etiam partes non possessas consequetur, vt est tex. in d. §. cùm autem. Ex praemissis claret, magnum esse commodum possessionis, quo fretus vasallus in parte aliqua, per iuramenti interpositionem, reliquis etiam partibus potitur. Ex particulari enim possessione, oritur praesumptio iuris vniuersalis, quod fratri in partes non possessas etiam competere iuris fictione censetur. Nec sanè absona iudicari debuerit haec feudorū consuetudo, vt ratione partis possessae, ad alias quoque partes non possessas, ius habere quis praesumatur: eaque suadente praesumptione, iusiurandū subeat, cuius praestatione, reliquas omnes partes adipiscatur: cùm & iura ciuilia statuant, ratione partis, nonnunquam vel acquiri, vel retineri totum. Ita enim si cui insulae vsusfructus legatus sit, quamdiu quaelibet portio eius insulae remanet, totius soli vsumfructum retinet. l. si cui insulae. ff. de vsufru. Et si quis vxori suae ita leget, videlicet: lego tibi domus eam partem, in qua morari consueuimus: responsum est, non ea tantummodo videri legasse cubicula, in quibus dormire consueuerat, sed eam omnē partem videri legasse, in qua morari cum familia sua consueuisset. l. vxori suae. ff. de lega. iij. Quanquam huius & aliam quandam, & fortè potiorem esse rationem, non eam inficias. Porrò, quae superius dicta sunt, obtinent, non solùm cùm partem feudi possidet frater, verùm etiam cùm alienatione eam possidere desiit. Nam sufficit, eum habere rei alienatae precium, cùm hoc in locum eius succedat. l. si & rem. ff. de peti. haeredi. Itaque siue partem possidenti, siue eius pretium habenti, dabitur sacramentum, ad consequendam residuam: etiamsi suam possessam, sine domini consensu alienasset. Nam eius solam iacturam feret. c. vnico. infrà, de vasal. qui con. constitu. Lotha. Non autem à petenda residua iam per fratris mortem sibi oblata arceretur: modò tamen probet, se partem alienatam iure paterni feudi, per anni spatium, possedisse. secundum Andre. de Yser. hic.

2. Si frater iure paterni feudi, portionem mortui fratris petat, nec sit in cuiuspiam partis possessione, nec aliàs ius suum probet, sed dominus possideat, ei sacramentum deferetur, non tamen ob id alio suo feudo, quod ab eodem domino obtinet, priuabitur vasallus. sed hoc euidentius est, quàm vt ambigi debeat, quia separatorum separata debet esse ratio. l. fi. ff. de calum. Et ex separatis de vno ad aliud non inferri, omnibus est in ore. l. neque natales. C. de proba.

De

De alienatione feudi. Titulus XIII.

SI CLIENTVLVS voluerit partem suam feudi alienare, id est, medium, sine domini voluntate, poterit hoc facere: vlterius progredi non potest, secundum iustum & verum vsum. Alioqui & feudum amittit, & non valebit quod factum est. Quod dictum est alienare, intelligas de libello. Huic consuetudini derogatum est per legem Loth. Mediolanenses verò irrationabiliter considerantes, dicunt clientulum etiam alienare posse in totum, & sine domini voluntate. Inde potest præsumi, si clientulus fecerit libellum in perpetuum de feudo suo alicui Ecclesiæ, non valet: ideo scilicet, quia nunquam reuersurum sit ad dominũ, cùm Ecclesia non desinat esse hæres. Quod obseruãdum est & in priuato, ex natura perpetui libelli. Sed diuersum obseruatur in Ecclesia, quàm in priuato: Ecclesia enim cultrix & auctrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alterum: Priuatus verò sæpe obuiat iustitiæ. & si Clientulus fecerit libellum, vel aliud de medietate feudi, sine domini voluntate, eo mortuo sine legitimo hærede masculo (quod verbum ita intelligendum est in feudo, id est, sine filio masculo) reuertitur feudum ad dominum.

Hoc capitulum vsque ad §. si verò, exigui est momenti, cùm per constitutiones recentiores, derogationem acceperit, videlicet Lotha. & Frederi. Quibus cautum est, nullam partem feudi vel alienari, vel impignorari posse, absque domini voluntate, & assensu. vt infrà, de probi. feu. alie. per Frederi. Superuacanea igitur hodie est distinctio, ecclesiæ ne an priuato partem feudi quis concedat per libellarium contractum. Nam prorsus interdictum est vasallis, omne feudalis alienationis commercium. vt infrà, de prohibi. feu. alie. per Lothar. Est tamen memoratu non indigna sententia, quam hic text. continet, dum ait: Ecclesia cultrix & auctrix iustitiæ, non patitur contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alterum: Priuatus verò sæpe obuiat iustitiæ. Cùm hac sententia cognatum quiddam habere videtur id, quod scribit Grego. in c. fraternitas. xij. q. ij. inquiens: Addis etiam, quo augmento, ea, quæ furtò de ecclesiis abstulerunt, reddere debeant. Sed absit, vt ecclesia cum augmento recipiat, quod de terrenis rebus videtur amittere, & lucra damnis quærere. Cui etiam congruit tex. in c. per tuas. de donatio. dum ait: Ecclesia in actibus suis fraudem non debet aliquam adhibere. Et quoniam hic dicit text. Ecclesiam non pati in se, vel in alium contra iustitiam aliquid fieri, bene congruit id, quod habetur in c. nouit. de iudi. Vbi ad ecclesiam, ipsiúsque Præsidem, videlicet summum Pontificem, spectat, de quocunque mortali peccato corripere quemlibet Christianum: & si correptionem contempserit, per districtionem ecclesiasticam coercere. Deinde ibi dicit tex. sed forsan dicetur, quòd aliter cum Regibus, & aliter cum aliis est agendum. Cæterùm scriptum nouimus in lege diuina: Ita magnum iudicabis, vt paruum. Nec erit apud te acceptio personarum. Licet autem hoc modo procedere valeamus super quolibet criminali peccato, vt peccatorem reuocemus à vitio ad virtutem, ab errore ad veritatem; præcipuè tamen cùm contra pacem peccatur, quæ est vinculum charitatis. Hæc ibi. Quorum nimirum ea est ratio, quòd ecclesia cultrix & auctrix iustitiæ, contra iustitiam aliquid fieri in se, vel in alium non patitur, vt hic inquit textus.

§. Si

§. Si verò cum domini voluntate totum vel medium alienauerit, stabilis per maneat alienatio. fratri verò, vel nepoti per libellum facta alienatio, etiam sine voluntate domini.

Si vasallus feudum totum, vel dimidiam eius partem, domini accedente licentia alienauerit, quòd factũ est, stabile permanebit. Similiter si in proximum agnatum absq; dñi assensu feudum transtulerit, translatio subsistet.

1. Cum vasallus, domini accedente consensu, feudum alienat, stabilis per manet alienatio. Domini enim consensus efficit, vt ille, cui feudum per eam alienarionem acquisitum est, eo habeatur loco, ac si principaliter pro se liberisq; suis, feudi inuestiturã accepisset, secundum Aluaro. hic. Facit id quod habetur supra de his, qui feu. da. pos. in §. cum verò. Hæc intellige, si nulli sint agnari, ad quos iure paterni feudi successio pertineat: aut si fuerint, vt eorum adhibito consensu, prælibata alienatio fiat. Alioqui etiamsi domini volunrate sit facta, corruet. c. i. in princi. de alienatione pater. feudi.

2. In proximum agnatum vasallus libellario contractu, feudum suum, sine domini volũtate, traducere poterit, vt hic. Cuius est ratio, quòd non intelligatur tunc alienationem, seu libellationem propriè fieri, sed quandam potius quasi refutationem, vt inquit rex. in d. c. i. in prin. de alie. pa. feu.

§. Item in feudo Comitatus vel Marchiæ, vel aliarum dignitatum non est successio secundum rationabilem vsum, sed hodie hoc est vsurpatum.

Quanquàm in feudis Comitatus, Marchiæ, vel aliarum dignitatũ, antiquitùs secundum rationabilem vsum non fuerit locus successioni, tamen contraria consuetudine aliud vsurpatum esse dinoscitur. Ex hoc tex. colligi potest, iure feudorum, contra vsum rationabilem, alium vsum validè introduci posse. Quemadmodum hic introductum est, vt in feudis dignitatum locum habeat successio: Cui vsurpationi & consuetudini inconuulsè standum fuerit, secundum Iaco. de Bel. & Bal. vtpotè quæ à Romanis Imperatoribus scientibus & prudenribus, longo iam seculo fuerit tolerata. Inueterata igitur consuetudo pro lege non immerito custoditur. l. de quibus. ff. de legibus. Quæ & approbari videtur per Imperatorem in §. præterea ducatus. inf. de prohi. feu. alie. per Frede.

De Feudo Marchiæ, vel Ducatus, vel Comitatus.

Titulus XIIII.

DE Marchia, vel Ducatu, vel Comitatu, vel aliqua regali dignitate, si quis inuestitus fuerit, per beneficium ab imperatore, ille tantũ debet habere. Hæres enim non succedit vllo modo, nisi ab Imperatore per inuestituram acquisierit.

Hoc iure in regali dignitate, ducatu, marchia, vel comitatu ab Imperatore, feudi nomine acquisito, filius non succedit, nisi Imperator per inuestituram id concesserit. Hic tex. contrariis moribus & obseruatione iam olim abrogarus est. vt in §. vlti. præcedentis titu. Qui probat, secundum Bal. quantum ad successiones attinet eiusmodi dignitatum, seruandam esse vsurpatam consuetudinem. Quod dicit, fixè menti imprimendum, cum frequentissima sit mors Regum & Magnatum.

1. Ex hoc tex. colligitur, non solum ducatus, marchionatus, & comitatus, verùmeriam ipsas regales dignitates, velut riuulos quosdam à perenni fontè Imperialis profluere maiestatis. Romanorum siquidem Imperator omnium regum, principum omnium rex & princeps est summus, cuius Imperio totus

totus vbiq; terrarum orbis parere debet. Ipse enim est mundi dominus. l. de precatio. ff. ad l. Rhodi. de iactu. Ipse præcipit omnibus prouinciis, in vniuersa ditione, & quæ ascendentem videt, & quæ descendentem solem, & quæ ex vtroque latere est, scilicet in meridie & septentrione. in Auten. vt omnes obediant iudicibus prouinciarum §. hæc considerantes. colla. v. Ipsius legem agnoscere debent omnes terræ, omnesq; insulæ orientis, totiusq; occidentis, quæ vsq; ad ipsos Oceani recessus extenduntur. in Auten. vt eccle. Ro. centum annor. gau. præscrip. §. fi. His etiam congruit, quod Modestinus Iureconsultus Antonini Imperatoris epistolam Comiti Asiæ scriptam, vniuerso orbi conuenientem dixit. Quòd vtiq; non dixisset, si orbis vniuersus scribentis imperium agnoscere non debuisset. l. si duas §. grammatici. ff. de excu. tuto. Cæterùm orbis monarchiam ex ipsis beatorũ patrum sententiis imperatori facilius fuerit astruere. Sacer enim Hiero. In apibus, inquit, princeps vnus est, & grues vnam sequuntur ordine literato. Imperator vnus, iudex vnus prouinciæ, Roma autem condita duos fratres simul reges habere non potuit. c. In apibus. vij. q. i. Tex. etiam in c. futuram. xij. q. i. testatur, Ro. principes totius orbis monarchiam habuisse. Ecclesiastica quoque refert historia, archiepiscopos & episcopos per singulas prouincias ab Imperarore inuestituram accepisse. c. Adrianus. lxiij. distinc. Et Augustinus Imperatoris monarchiæ adstipulatur. inquiens: Deum per Imperatores iura humano generi distribuisse, c. quo iure. viij. distinc. vbi etiam ait: Tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere, hæc villa est mea, meus est iste seruus, mea est hæc domus. Profectò qui leges omnibus præscribit, orbis vniuersi iurisdictionem habeat necesse est. Et secundum Io. Papam: Imperator habet priuilegia suæ potestatis, quę administrandis legibus publicis diuinitùs consecutus est. c. si Imperator. xcvi. distinc. Ambrosius etiam, in potestate Imperatoris omnia esse, diuinis exceptis, profitetur. c. conuenior. xxiij. q. viij. præterea ex c. omnes ita q; causæ. versi. volumus atq; præcipimus, satis apparet, quàm in immensum pateat Rom. ditio Imperatoris. Non iam refragatur prædictis l. mercatores. C. de commer. & merca. Vbi imperator mentionem facit subiectorum Regis Persarum, Nec refragatur l. vlti. in versic. extra loca nostro imperio subiecta. C. de eunuch. Nec deniq; illud, quòd imperator habeat fœderatos, habeat quoq; hostes, sicq; subiici non videantur omnes Imperatori, l. non dubito. & l. hostes. ff. de capti. & postli. reuer. Nam vnica hæc diluuntur responsione, videlicet temeritate quadam facti, gentes nonnullas ditionem Imperatoris non agnouisse (sicut & hodie nonnulli agnoscere recusant) de iure tamen, dubio procul, agnoscere debere, secundum Iaso. in l. cunctos populos. C. de sum. trini. & fide Catho. per glos. in verbo, minimè recognoscat. in c. per venerabilem. qui filij sunt legi. Alij verò aiunt, Imperatoris monarchiæ nihil decedere, tametsi non nulli se ab imperio eximãt. Non enim ipsi particulares impedient; quo minus vniuersarum gentium sit, & habeatur Imperator, argu. l. i. ff. de rei vendi. in fi. versi. sed & gregem sufficit ipsum nostrum esse, licet singula capita nostra non sint. Verùm enimuerò ipse cœlestis Imperator hunc terrenum Imperatorem pluris fecisse videtur, quàm homines quidam terreni nunc Romanum imperatorem. An non manifesto argumento hoc ipse declarat Christus, materno etiamnum thalamo abditus? qui promulgato Cæsaris edicto, vt vniuersus censeretur orbis, in Bethleem ciuitatem, matris vtero clausus properauit: & vnà cũ virgine matre Cæsaris parere imperio voluit:

Cæsaris

Cæsaris edictum agnouit: Cæsari potestatē esse censendi orbis vniuersi, suo exemplo declarauit? Quid, quòd sacratissimus eius ortus, toties desideratus, non alio mortalibus tempore cōtingere potuit, quàm quo omnes ferè orbis nationes sub Cæsaris essent ditionē redactæ: atque pace terra marique parta, Cæsaris monarchia in immēsum pateret? Tot seculis itaque expectatus, tandem prodit, virgineúmque egreditur vterū vnicus Dei filius, velut vnius monarchiæ, vnus aspirans Deus: idque dum Cæsaris edicto census agitur orbe vniuerso. Quis, obsecro, tot mysteria digna cogitatione cōplecti queat? Iam verò salutifero Euangelicæ professionis munere fungens, ac patris doctrinam proferens, quid de censu Cæsari dando protulerit, neminem esse arbitror, qui ignoret. Quare & Augustinus repetēs illa verba Domini, videlicet: Reddite quæ sunt Dei, Deo: & quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Igitur, inquit, quod Cæsar præcipit, ferendum est, quod imperat, tolerandum est. c. militare. xxiij. q. ij. Huius Capitis exemplum secuta sunt membra. Et quòd dominus fecit, ministri quoque eius & Apostoli ipsi sunt imitati. Ita Paulus, supremum Cæsaris tribunal appellat. Ita Petrus, Principi obediendum prædicat, Ita sequens patrum cohors Cæsaris imperium à Christo constitutū profitetur, legésque Imperatorum, autore Deo, asserit promulgatas, vt in c. quæsitum. xxiij. q. iiij. & c. si Imperator. xcvi. dist. Quis vnquam talia legit prodita de alio gentis Principe, quàm de Ro. Imperatore? Quæ cùm ita se habeant, nemo, vt arbitror, mirabitur, quòd præclara illa iuris ciuilis lumina, monarchiam Imperatori, non humano solùm, sed diuino etiam iure cōtributā esse protulerunt, nempe Cynus, Bar. Bal. Salyce. Iason, & cæteri ferè omnes. in l. cunctos populos. C. de sum. trini. & fide catho. Quanquā Oldradus de Ponte in consilio lxix. contrarium astruere conetur. Sed quàm probabiliter is ratiocinetur, quàm colligat acutè, quàm efficaciter cōuincat, aliorū esto iudicium. Porrò ignorandum non est hoc, quod defendit Panor. In c. cùm non liceat mihi, in penul. colum. de præscrip. videlicet. contra Roma. Imperium, nullum Principem, nullámque rempublicam posse præscribere, vt ab illa iurisdictione vniuersali eximatur, aut in suo territorio sit loco Imperatoris, nullum recognoscendo superiorem. per tex. in d. c. cùm non liceat. Cuius opinionis ante eum fuit eximius ille Hostien. in c. venerabilem. §. videbatur. super verbo, recognoscat. Qui filij sunt legi. dum ait, cautè locutum Pontificem de rege Franciæ, narrantem quòd Imperatorē non recognoscat, & sic factum notauit. Non enim dixit, quòd recognoscere non debeat. Nam de iure proculdubio, inquit, eum recognoscere debet. citat d. c. in apibus. vij. q. 1. & d. c. Adrianus. Et adeò quidem imperio subiecti esse debēt omnes, vt ne ipse quidem Imperator possit alicui concedere priuilegium omnimodæ exemptionis: quia hoc esset lacerare imperium, & abdicare à se iurisdictionem, quod non est possibile. argu. l. legatus. ff. de offi. præsi. Et hoc tenet Bal. in proœmio super lib. feudorum. Hæc sunt ipse verba Panor. loco superius allegato. Felin. autem in d. c. cùm non liceat, cùm retulisset in vtranque partem farraginē opinionum, an scilicet quis possit præscribere, vt non subsit Ro. Imperatori, sententiam suppressit: maluitque dubius, quàm audax diffinitor videri: quum (vt inquit) plærique etiam decidere non audeant. Sed ad memoriam reuocare debuisset illud Augustini, videlicet: quisquis metu cuiuslibet potestatis veritatem occultat, iram Dei super se prouocat: quia magis timet hominem, quàm Deum. Vterque reus est, & qui veritatem occultat, & qui mendacium dicit, quia & ille prodesse non vult, & iste nocere desiderat. vt hæc habentur trassumptiuè. xi. q. iij. c. quisquis.

Optimo igitur meritiſſimóq; iure (vt regrediamur vndè digreſſi ſumus) nō ſolùm Ducatus, Marchiæ, & Comitatus, ſed etiam ipſę dignitates regales ab Imperatoria maieſtate, ceu fonte quodā perenni, profluere cenſentur. Quas ab imperiali munificētia petēdas eſſe, hic tex. indicat. Contrarium aſſerentibus obiici poterit, ſacrilegij inſtar eſſe, diuinis ſuper quibuſcūq; adminiſtrationibus, vel dignitatibus promulgādis, obuiare beneficiis. l. ſacrilegij. C. de diuer. reſcrip. Obuiant autem, qui iuri Imperatoris detrahētes, dignitates & adminiſtrationes non Cæſaris promulgatione ſuſcipiunt, ſed vel propria temeritate inuadunt, vel à maioribus maiori temeritate occupāt inuaſas. Cæterùm tametſi hic tex. ſucceſſionē in feudorū dignitatibus non permittat, niſi id inueſtitura conceſſerit Princeps, contraria tamē conſuetudine, ſciente & patiente Principe, aliud vſurpatum exiſtit, quæ vſurpatio inſtar legis tuenda fuerit, vt ſuperius dictum eſt. Qua vigente vſurpatione, haud improbabiliter dubitatur, cùm Regna, Ducatus, Marchionatus, Comitatus diuidi non poſſint. §. præterea. infrà, de prohi. feu. aliena. Et lex Regni, aut cōſuetudo habeat, primogenitum ſuccedere debere: Quid iuris ſit, ſi primogenitus, relicto filio, patre viuente moriatur, an tranſmittat ius ſuum in filium, ita, vt filius eius præferatur patruo, hoc eſt, fratri primogeniti defuncti? Et quidem Iohan. And. in additionibus Speculi, ſuper rubrica, de feu. verſi. redeundo ad indiuiduum, prolixè hanc quæſtionem diſcutit: tandem in eam opinionem inclinat, vt nepos in ſucceſſione aui præferri debeat ſuo patruo. Idem Bal. in l. liberti. C. de ope. liber. & Panor. in c. licet. verſi. nota ibi ſi dictus Rex. de voto. Et Oldradus conſilio ccxxiij. incipien. Iſtæ ſunt allegationes, hanc opinionem optimè per Iureconſultos in facti ſpecie defenſam inſeruit. Contrariam tamen opinionem, ius patrui potius eſſe, poſt varios Doctores, tenuit Alexan. in conſilio liiij. in tertio volumine, incipien. Ponderatis verbis teſtamenti. dicens, ſe ſemper ſecutum eſſe iſtam opinionem pro patruo, melioribus rationibus probatam, & magis communem, vt hæc diffuſius refert Iaſon, in l. maximum vitium. verſicu. tertio nota. C. de libe. præteri. vel exhæreda. Vbi etiam dicit, hanc quæſtionem ſemper ſe putaſſe dubiam: nec illam alio modo reſoluit: Ego (vt nunc delibero) arbitror nepotis cauſam, iure, & æquitate eſſe potiorē: cùm natura pater & filius, eadem eſſe perſona penè intelligantur. l. vlti. C. de impube. & aliis ſubſti. Imò, vt Canon dicit, vna caro probetur eſſe pater & filius. c. contradicimus. §. hac autoritate. xxxv. q. iij. Et vna perſona reputantur, ſecundum gloſ. primam. in c. ſuper eo. de teſti. & Feli. in c. i. in ij. colum. de magiſtris. Vbi citat Ludo. Roma. in l. i. ff. in ius voca. vt eant. dicentem, quòd pater, cui commiſſa eſt legatio, poterit ſubſtituere filium. l. ſciendum. §. legati. ff. de legatio. quaſi perſona filij ſit perſona patris: & vox patris, tanquàm vox filij eſt. §. ei qui. Inſti. de inuti. ſtipu. & filius perſonam patris repræſentat. l. i. §. aut ſi vnum. verſicu. ſi ſit filius. ff. de coniun. cum eman. libe. Et nepos ſuccedit in locum filij. l. ſi nepotes. ff. de colla. bono. Quare filius primogeniti mortui, vna quodāmodo perſona cum patre exiſtens, ius primogenituræ, quod legis & conſuetudinis beneficio, pater eius, ſi non actu, at habitu, & potētia conſecutus fuerat, obtinebit. Quemadmodum querelam inofficioſi teſtamenti, licet non præparatam, ſed ſpe habitam à moriente patre in filium conſtat tranſmitti. l. ſi quis filium. C. de inoffici. teſta. Vbi tex. ſed nos, qui omnes ſubiectos noſtros, & filios, & nepotes habere exiſtimamus, affectione paterna, & imitatione, ſecundum quod eſt poſſibile, omnium commodis proſpicientes, iubemus in tali ſpecie ea-

dem

dem iura nepoti dari, quæ filius habebat: Et si præparatio facta non est ad inofficiosi querelam instituendam, tamen posse nepotem eandem causam proponere. Qui textus si bene perpendatur, meo iudicio, non parum congruit præsenti quæstioni. Cui adstipulatur ius diuinum & canonicum, permittens primogenito, vt etiam viuente adhuc patre, ius primogenituræ, & vendere, & cedere possit. Gene.xxv. & xxvij. & c.quàm periculosum.vij. q.i.& in c.vlti. §. item opponitur.xxij.q.i. Si itaq; ius primogenituræ cedi poterit, viuẽte patre, etiam ad hæredem transmitti poterit. Quod enim (vt nostri aiunt) est cessibile, est quoq; ad hæredes transmissibile.argu.l.ex pluribus. ff.de administra.tuto.cum similib. Sed ante diem clauso vesper componet olympo, quàm omnes rationes huc tendentes in medium proferre possim. Quare hæc res suo tempore prolixiorẽ habuerit indaginem. Quanquàm non me lateat, quo distinctionis fœdere diffidentes opiniones circa hanc quæstionem conciliare conentur Alex.& Iason. in l.is potest. ff. de acquir.hæredita. Porrò si vxor regia vno partu gemellos ædat, primus maternum egrediens vterum, patri in regno succedet. Ita siquidem Esau ius habuit primogenituræ, cuius primo egressi plantam pedis tenens manu, subsecutus fuit Iacob, vt Gene.xxvij. At si constare non possit, vter prius in lucem prodierit, Ioan.Andre.in additionib.Specu.super rubrica de feudis, versic.hic interpono, quod historia dicit in subiecta specie, si feudum diuisionem non patiatur, domini officium fore, vt magis aptum & idoneum præferat. Quòd si pares sint dotes vtriusq;, gratificationi locum fore, vt cui magis collibitum fuerit, feudum concedat, idq; multorum allegatione iurium confirmat. Bal.verò in l.in quibus.circa fi. C. de secun.nup.voluit, quòd si Regi alicui eodem partu nati sint gemelli, nec constet vter sit prior, vel posterior, patris electionem fore, huic, an illi successionem in regno permittat. argu. illius. l. in fi. Quod dictum obtinere poterit in eo regno, quod iure feudi non obtinetur. Alioqui enim non patri, sed domino, huius rei arbitrium competere dixerim, iuxta superiorẽ Ioan.Andre.sententiam. Postremò, cùm dictet consuetudo, primogenitum Regis in paternum regnum succedere debere, & quispiam habens filios, regnum aliquod consequatur, ille primogenitus, qui patre iam facto Rege, natus est, ad successionem regni vocabitur. Non autem ille, quem ante regnum susceptum genuit, secundum Bal. in l.imperialis §. his illud.versicu.& ideo. C. de nup. idq; probari videtur per l.senator.C.de digni.lib.xij. Quanquàm l.senatoris filium.ff.de senato.contrarium indicare videatur. Sed præfatæ l. senator.C.de digni. vt recentiori standum esse, probabiliter dici poterit.

§. Si capitanei, vel valuasores maiores, vel minores inuestiti fuerint de beneficio, filij, vel nepotes ex parte filiorum succedunt. Si verò vnus ex his filiis, vel nepotibus, sine descendentibus masculini sexus hæredibus mortuus fuerit, prædicti fratres, vel nepotes per inuestituram patris, & aui in beneficium succedunt. Et similiter intelligendum est in consobrinis.

In aliis feudis, quæ non sunt illarum dignitatum, de quibus in superiori §. habetur, succedunt filij, vel nepotes ex eis. Quorũ si aliquis sine masculo descendente hærede obierit, transuersales & collaterales, si tamen ab eo, qui feudum primus acquisiuit, originem ceperint, ad successionẽ admittuntur.

1. Dum hic tex. mentionem facit capitanei, non de eo accipi debet, qui feudum dignitatis à Principe obtinet: veluti Dux, Marcio, vel Comes, qui propriè capitanei regni dicũtur. Nam si de his intelligeretur, hic §. pugnaret

cum præcedente, nisi quis de eo capitaneo dictum esse existimet, qui à Principe quidem de plebe, vel aliqua plebis parte inuestitus, dignitatis tamẽ feudum nullum sit cõsecutus. De quo in c. vnico. versi. qui verò à Principe. infrà, quis dica. Dux, March. Comes. Poterit itaq; hic tex. de eo capitaneo intelligi, qui à Duce, Marchione, vel Comite feudum consecutus, propriè appellatur maior valuasor. Nonnunquàm etiam capitaneus dicitur.

2. Ad successionem feudi paterni, primo loco admittuntur descendentes in infinitum. Quorum aliquo sine filiis vita functo, feudi portio, quam possidebat, ad collaterales transfertur, idq; beneficio illius, qui primus feudum assecutus est, à quo originem & genus duxerũt, vt hic, & infrà, de succ. fra. vel gradi. succeden. in feu §. i. Successio autem horum collateralium porrigetur in infinitum, quando scilicet ille, qui feudum primus adeptus fuit, hoc in descendentes suos posteros transmisit. At si non in descendentes, sed in collaterales suos (quod ex pacto, alióq; modo fieri poterit, vt infrà, de fra. de no. benefi. inuesti. c. I.) transmisisset, successio septimo gradu circumscribenda foret, vt latius dictum est, in §. hoc quoq;. suprà, de his, qui feu. da. poss. Et hæc, secundum Bal. sunt memoriæ commendanda, cùm possint quotidie accidere in successionibus Comitum & Principum, quorum maiores, elapsis aliquot seculis, feuda à Principe sunt consecuti. Nam hæc, deficiente Comite aut Principe in linea directa, deferentur ad agnatum collateralem, etiam centesimo gradu distantem, modò genus & originem duxerit à primordiali inuestito.

§. *Si duo fratres simul inuestiti fuerit de beneficio nouo, & non de paterno, si vnus eorum sine descendentibus masculini sexus mortuus fuerit, dominus succedit, & non frater nisi pactum fuerit in inuestitura, quòd frater fratri succedat. Per pactum enim frater succedit, non dominus. Et quod diximus de fratribus, vt vnus alij succedat per pactum, idem dicendum est de filiabus, si hoc pactum conciliet: & sic per pactum filiæ succedunt.*

In feudo nouo frater non succedet fratri, sed ad dominum decedentis relabitur portio, nisi aliud pactum inuestituræ permittat. Similiter in feudo non succedunt filiæ, nisi pacto hoc conuentum fuerit.

1. Pactum eius est efficacię, vt id, quod lex nõ dictat, fieri permittat, vt hic. Cõtractus enim legẽ ex cõuentione accipiunt. l. i §. si cõueniat. ff. deposi. Et nihil tam fidei cõgruit humanæ, q̃ pacta seruare. l. i. ff. de pac. Quod intellige, nisi tale sit pactum, quod iure meritò improbetur. l. iure gentium §. prætor ait. ff. de pact. cùm nec cõuentio contra bonam fidem, cõtráq; bonos mores sit sequenda. d. l. i §. illud non probandum est. ff. deposi.

An maritus succedat vxori in beneficio.

Titulus XV.

SI FOEMINA, habens beneficium & maritum, moriatur, nullo modo succedit in beneficium maritus, nisi specialiter inuestitus fuerit. Et si ipsa fœmina filios dimiserit, dicũt quidam, filios non debere succedere in beneficium matris, nisi specialiter sit dictum, vel inuestiti fuerint: quia secundum vsum regni, ad beneficium vocantur paternum, & non maternum. Sed secundum æquitatem dicamus, filios debere succedere. Hoc dicimus de capitaneis, & de maioribus valuasoribus, & de minoribus. De minimis autem, & de iis, qui beneficium tenent, à maioribus valuasoribus sic seruetur, sicut inferius dicemus.

Vxori

Vxori maritus in feudo non succedit, nisi de eo specialem obtinuerit inuestituram, sed filius ad materni feudi successionē ex æquitate admittitur. idq; obtinet etiam in successione feudi capitanei, vel maioris valuasoris, vt suprà tit. proxi §. Capitanei, imò & minimi, vt infrà patebit num. iij.

1. Quanquam deficiente parentum, liberorum, & propinquorum coniunctione, vxori succedat maritus. l. i. C. vndè vir, & vxor. Tamen in bonis feudalibus ab vxore relictis, ei successio non datur: nisi de illis, viuente vxore, tanquam de feudo proprio & recto sit inuestitus. Tum enim inuestituræ eiusmodi virtute, succedet. Diuersum igitur, si tanquam de feudo dotali, inuestituram accepisset. Nam ea, soluto matrimonio careret nomine, & effectu, vtpote dote ad hæredes mulieris, si qui essent, redeunte, secundum Nicolaum de Neapo. & Bal.

2. In beneficium materni feudi, filij masculi succedunt, modò tamen sint legitimi. Naturales enim, licet aliis in rebus matri succedere videantur. l. si qua illustris. C. ad sena. Orphicia. A feudi tamen successione penitus arcentur §. naturales filij. infrà, si de feu. defun. conten. sit inter domi. & agnatos vasalli.

3. Licet ex fine huius textus indicetur, diuersum esse in filiis minimorū vasallorū, vt scilicet in feudo non succedant, tamē quum recentioribus feudorū placitis, successionis adæquata sit ratio §. & quia. suprà, de iis qui feu. da. possunt. & c. i. de succes. feu. iuxtáq; feudum à minimis ac maioribus valuasoribus, sine culpa auferri prohibeatur, vt suprà, de natu. feu. c. i. pariformiter succedendi beneficio vasalli quoq; minimi fruentur.

De feudis datis à minoribus valuasoribus, quid iuris sit.

Titulus XVI.

SI MINORES valuasores beneficium tollere voluerint minoribus valuasoribus, licet eis facere: excepto, si beneficium vendiderint eis. Si verò precium de beneficio acceperit, tunc aut precium reddant, aut beneficium dimittant.

Hic titulus prorsus est antiquatus. Nam eo iure quo iam vtimur, feuda minimorum valuasorum, sicut & alia quælibet, adimi non possunt, nisi & cognita causa, & culpa conuicta. per tex. in c. vnico. suprà, de natu. feu. & c. i. in princi. infrà, de feu. sine cul. non amitten. Itaq; & in eiusmodi feudis successioni locum esse, nemo dubitârit. suprà, de success. feu. c. primo. suprà, qui feu. da. poss. in §. & quia.

Quibus modis feudum amittatur.

Titulus XVII.

SI CAPITANEI, vel maiores valuasores, qui hodie vocantur Capitanei, (licet impropriè dicantur minores) seniores in bello dimiserint: vel si credentiam ad eorum damnum scienter manifestauerint, si valuasores seniorum vxores adulterauerint, si scienter seniores assalierint, vel similes culpas commiserint, beneficio carere debent.

Vasallus dominum suum in bello deserens, vel secretum sibi commissum, scienter in detrimentum domini manifestans, vel cum vxore domini adulterium committens, aut scienter dominum assiliens, vel similes culpas patrans, feudi beneficium amittit.

1. De vasallo dominũ in prælio deserẽte, & assiliente, vxoréq; eius corrumpente, satis dictum est suprà in c. i. quib. mo. feu. amit. Quare hic iam de reuelãte secretũ domini nõnihil attingendũ est. Et quidẽ glos. secũda hic adstruit, ob solam secreti dominici manifestationẽ, vasallũ feudo priuandũ nõ esse. Sed ita demùm, si ea manifestatio facta sit animo frauduleto, eáq; in domini vergat detrimentũ. Quam glos. hic approbat Aluar. Proinde, si ex ea reuelatione præiudicium dño non concilietur, aut si non animo nocẽdi vasallus domini secretũ effutiat, etiamsi damnũ subsequatur, huic pœnæ locũ non esse, Aluar. indicat, velut si laudes domini celebrans, per imprudentiam concreditũ secretũ rei alicuius à domino strenuè gerẽdæ, aut alio pacto absque dolo sibi effluere permittat. Quanquã enim manifestando peccet, dominúmq; lædat, tamen animo nocendi id non faciens, feudi iacturam minimè sustinebit, secundum eundem. Maleficia enim voluntas & propositum delinquentis distinguunt. l. qui iniuriæ. ff. de fur. Et crimen tunc cõtrahitur, si & voluntas nocẽdi intercedat. l. i. C. ad l. Cor. de sic. Et non nisi dolo malo falsum committentes, crimini subiugantur. l. nec exemplum. C. ad l. Corne. de fal. Præterea fraudis interpretatio semper in iure ciuili, non ex euentu duntaxat, sed ex consilio quoq; consideratur. l. fraudis. ff. de regu. iur. Sed quo pacto per imprudentiam delinquens sit puniendus, vide in VIRIDARIO Conclusionum iuridicarum, Tomo i. Conclu. xxi. Præfata tamen interpretationem recipiunt, vt ita demum obtineant, si non ex tam stolida crassáq; imprudentia effutiantur, vt ad dolum ac fraudem quàmproximè accedere videantur, secundum Iacob. de Bel. & Aluaro. Illud autem constat, reuelantem secretum hic non puniri, si damnum ex ea reuelatione domino non irrogetur. vt hic, & in c. vnico. infrà, qualiter iura. de vasal. do. fide. Quod Bal. notandum dicit. Qui etiam inquit, hoc secretum appellari, quod dominus non vult sciri.

2. Tum demum vasallus, in dominũ delinquens, pœna affici debet, cùm scienter deliquerit. Diuersum igitur, si ignoranter, nisi vt Bal. hic, inquit, ignorantia esset crassa, & supina, quæ appellatur, scire vel intelligere debere. l. quòd te mihi. ff. de reb. credi. & si certum peta. Neq; enim supina ignorantia ferenda est, factum ignorantis. l. nec supina. ff. de iur. & fac. igno. Porrò, si vasallus ignoranter, cum domini vxore rem habeat, si ignorantia crassa & supina non sit, feudo haud fuerit priuandus, quia adulterium sine dolo malo haud committitur. l. penul. ff. ad l. Iuli. de adul. Et si dubitetur, prudens, an sciens hoc commiserit vasallus, cùm testes haberi nequeant, per iuramentum ignorantiam suam probabit. c. si lectum mariti. & ibi glos. in verbo, per securitatem. xxxiiij. q. ij. Item horum similitudine infert Bal. rem habentem ignoranter, cum sacra moniali, non puniri de stupro tanquam cum moniali perpetrato. Non enim contempsit disciplinam, qui ignorauit monialem. l. si ignorans. ff. loca. & conduc.

3. Vasallus similes culpas his, in tex. expressis, cõmittens, feudo priuabitur. Nam similes culpę similem exigunt pœnam, secundũ Bal. Ad hanc similitudinẽ diiudicandã, mente fuerit cõplectendus tex. in §. sed quia. infrà, quæ fuit pri. cau. bene. amit. Qui sic habet. Sed quia natura nouas deproperat ædere formas, potest multis modis contingere, vt aliæ emergant causæ, quibus videatur iustè adimi posse feudum: Ideóq; iudex solers, & discretus, & æquitati obsecundare sollicitus, cuncta subtiliter dispensans prouideat, si qua fuerit antiquioribus causis similis, seu maior, vt proinde sciat, vtrùm beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum.

Apud

Apud quem, vel quos controuersia feudi definiatur.
Titulus XVIII.

SI CONTENTIO fuerit de beneficio inter capitaneos, coram Imperatore definiri debet. Si verò fuerit contentio inter minores valuasores & maiores de beneficio, in iudicio parium definiatur, vel per iudicem curtis.

Cõtrouersia feudalis inter capitaneos, Imperatoris iudicio dirimetur: Inter minores aũt vasallos exorta, per curiæ pares, seu iudicẽ curris definietur.

Si de feudo inrer capitaneos, hoc est, Duces, Marchiones, Comites, aliósq; ab Imperatore feudum obtinentes, contentio exoriatur, solius Imperatoris erir cognitio, vt hic. & infrà, de l. Conra. in prin. Si verò alij vasalli de feudo inter se cõtrouertant, domini iudicio cõtrouersia finietur. Sed lis inter dominum & vasallum orta, per curiæ pares, à domino sub fidelitatis debito adiuratos, terminabirur. Ita dictat ius nouissimum in §. penul. infrà, de prohi. feu. alie. per Frede. Verùm enimuerò per quos iudices, feudales cõtentiones cognosci, & iudicari debeant, diuersa & penè repugnantia inueniuntur feudorum iura, quæ hic sectionibus quibusdam conglomerat Aluarotus. At cùm factu non sit facilè, tam diuersas scatebras in angustum alueolum conrrahere, multáq; hic in medium proferat, quæ genuino sensui textuum vsquequaq; non congruunt, vtilius videor mihi facturus, si hæc suo, vt inciderint, loco tractârim.

§. Si aliquis de capitaneis, vel de maioribus valuasoribus, vel de minoribus suum beneficium, siue totum, siue partẽ alienauerit: & ipse vel hæres eius sine hærede decesserit: quia senioribus beneficium aperitur, totum quod fecit, reuocari debet.

Hic §. per noua iura abrogationem accepit: cùm nullam feudi partem sine domini cõsensu iam alienet vasallus. infrà, de prohi. feu. alie. per Lotha. & infrà, de prohi. feu alie. per Frede. Etsi fortè alienet, non expectata morte alienantis, sed protinus ad dominum reuertirur: siue is, in quem facta est alienatio, bonæ fidei, siue malæ fidei fuerit §. callidus. infrà, de proh. feu. alie. per Frede. Nisi agnati aliqui vasalli alienantis superessent. Nam ad hos, si paternum fuerir, excluso domino, deuoluetur, vt de hoc latius dictum fuit in §. hoc quoq;, suprà, de succes. feudi.

CONSTITVTIONES FEVDALES DOMINI LOTHARII IMPERATORIS,

quas ante ianuam Beati Petri in ciuitate Romana condidit obseruandas.

Titulus XIX.

Ex hac rubrica colligitur secundum Baldum, Imperatorem Romæ existentem, legem posse promulgare generalem, vrbi & orbi. Nec immeritò, cùm mundi dominus existat. l. deprecatio. ff. ad l. Rhodi. de iactu. Legem enim ipsius omnes agnóscere debent, in vniuersa ditione, & quæ ascendentem vider, & quæ descendentem solem, & quæ ex vtroq; est latere. vr in Auten. vt omnes obediant iudicibus prouin. §. hæc considerantes, vt hæc prolixius à nobis tractata sunt suprà, de feu. March. vel Duca. vel Comita. Verùm Baldo refragatur, iuramentum Imperatoris, de quo in c. Tibi domino. lxiij. distinct. vbi dicitur: Et in Roma nullum placitum aut ordinarionẽ

 faciam,

faciam, de omnibus quæ ad te, aut ad Romanos pertinent, sine tuo (scilicet Pontificis Romani) consilio.

SI QVIS ex militum ordine decesserit, qui de feudo inuestitus fuerit, vt constitutum habemus, obseruetur de beneficio, & successione, & culpis. Si vnus inculpatus fuerit vna de his nominatis culpis, vt habemus insertum, obseruetur per constitutionem domini Lotharij Imperatoris, quæ est constituta tempore Eugenij Papæ, ante ianuam Beatissimi Petri apostoli, in ciuitate Romana, per laudamentum Sapientum Papiæ, atque Mediolani, Mantuæ, Veronæ, quæ Brenus (aliàs Hybernus) vocatur, & Parmæ, Lucæ, & Pisæ, & Syponti, & Marchionū, atq; Ducum, vel Capitaneorum, atq; Valuasorum maiorum.

Imperatoris Lotharij ædita constitutio, de consilio sapientum, tractans de successionibus, & culpis, ob quas feuda vasalli amittunt, ab omnibus debet obseruari.

§. *Si quis miles mortuus fuerit sine filio masculo, & nepotem reliquerit, in beneficium aui, in patris vicem succedit. Et si hæredem & fratrem reliquerit, in beneficium patris ipse succedit: & si filius fratris mortuus fuerit, frater patris in beneficium aui defuncti succedat.*

Vasallo decedenti succedit filius, aut si non extet, ex eo nepos. Frater autem vasalli, habenti filium non succedit, donec is filius in humanis agat: Tametsi eo mortuo, ad feudi successionem vocetur.

1. Hic textus de feudo antiquo & paterno accipi debet, quod inter fratres diuisione facta, partitum fuit. Nam in portionem fratris non succedit frater, donec supersint descendentes. Sed illis sublatis, frater, aliive admittuntur transuersales. vt hic in fi. & infrà, de success. fra. vel gradi. succeden. in feu. §. 1.

De beneficio fratris, & qualiter frater in beneficium fratris succedat.

Titulus XX.

SI QVIS acquisierit beneficium, & sine filio masculo mortuus fuerit, & fratrem reliquerit, frater non succedat fratri, sed dominus habeat, nisi per inuestituram à domino ordinatum fuerit, vt frater succedat fratri, si mortuus fuerit sine hærede masculo: vel nisi beneficium de communibus bonis fuerit emptum: vel vtriusq; noīe, domino sciente, si insimul steterint, vel in hostem regis acquisierint.

Frater in feudo nouo non succedit fratri, nisi per inuestituram à domino hoc sit permissum: aut nisi feudum de cōmunibus bonis, sciente domino, sit acquisitum: aut nisi fratribus simul cohabitantibus, vtriusq; nomine, & domino sciente sit obtentum: aut nisi in prælio aduersus hostem pro domino pugnantibus, communi impensa & periculo sit partum.

1. Tametsi in feudo antiquo fratrem succedere fratri, dubium non sit, vt infra, de success. fra. vel gradi. succeden. in feu. §. his verò. Tamen id non obtinet in feudo nouo, vt hic in textu, nisi in quatuor casibus hic memoratis. Necessarium autem est, vt prælibatis casibus, domini scientia intercedat, idq; ne inuitus alium, quàm quem voluerit, vasallum habere cogatur. Quare, si domino ignorante, equis & armis cōmunibus, aut cōmuni fratrum pecunia feudum obtineatur, commune non fiet, sed ad vnum duntaxat, non etiam ad alterum pertinebit. c. vnico. infrà, de fra. de no. benefi. inuesti.

De Feudo sine culpa non amittendo.

Titulus XXI.

SANCIMVS, ut nemo miles sine cognita culpa beneficium suum amittat, si ex culpis iis, vel causis conuictus non fuerit, quas milites usi sunt nominare, quando fidelitatem faciunt dominis suis, vel per laudamentum parium suorum, vel si dominis suis deseruire noluerint: Tunc condictio, causa data proponitur ad repetendum feudũ, ex quo non seruit domino. nam si steterit viginti annis, & ultra quòd non seruierit domino, nisi necesse fuerit domino, feudum non amittit

Vasallus sine legitima causa cognita, & culpa conuicta, feudo suo priuari non debet. A nolente autem præstare seruitia debita, feudum condictione causa data repetitur. De quo in .§. vlti. infra, si quib. cau. feu. amit. & in c. licet vasallus. infra, si de feu. defunc. con. sit inter do. & agna. vasal.

1. Feudum adimi non debet vasallo, nisi legitima subsistente causa. Non enim ex omni causa, ex qua opinio vasalli grauatur, beneficium amittit. Nam & sæpe deierat, & beneficium nihilo minus retinet, vt inquit tex. in .§. illud enim. infra, quæ fuit prima cau. bene. amit. Talis itaq; causa sit, necesse est, quæ iudicio parium, legitima fuerit comprobata: ob quàm merito tanquàm indignus & igratus, feudo sit exuendus. vt infra, de contro. feu. apud pa. termi. c. i. & infra. de prohi. feu. alie. per Frede. §. penul. Porrò si post culpam commissam, vasallus domino fuerit reconciliatus, postea feudo, ea de causa priuari nequiuerit, argu. l. si vxor .§. vlti. in fi. ff. ad l. Iul. de adul. Faciunt ea, quæ notantur per glos. vlti .§. fi. Insti. de iniu. Ad conuincendam autem vasalli culpam, ob quàm feudo sit priuãdus, quinq; testium summæ atq; integræ opinionis opus est probatione. c. vnico. infra, quot testes sint necess. ad proban. feu. ingratitudi.

.§. Si quis miles beneficium suum vendiderit totum sine voluntate vel iussu domini sui, ut proprium beneficium amittat, decernimus, dominus verò habeat: vel si concubuerit cum uxore domini sui, domino viuente, vel si in pugna suum dominum dimiserit, & cum eo non laborauerit si potuerit.

Vasallus feudum suum alienãs, aut domini vxorem adulterans, vel eum in pugna deserens, & cum eo, si potuerit, non laborans, feudum amittit.

1. Si vasallus feudum sine domini consensu alienet, eo priuatur, ad dominum deuoluendo, vt hic in tex. Quod intellige, si feudum sit nouum. Nam antiquum, & paternum feudum alienatum ad proximos agnatos relabitur .§. hoc quoq;. supra de success. feu.

2. Si cum vxore domini rem habeat vasallus, feudum amittere meretur. Et licet hic tex. disponat de concumbente cum vxore domini, eo superstite: tamen Aluaro. hic post And. de Iser. & Nico. de Nea. idem obtinere contendit, si hoc fiat domino mortuo. argu. l. apud Celsum .§. aduersus. ff. de doli ma. & me. excep. Vbi patrono semper est rèuerentia exhibenda tam viuo, quàm mortuo. De hoc, aliisq; ad hanc materiam tendẽtibus, dictum est supra, quib. mo. feu. amit. in .§. item si fidelis.

Quo tempore miles inuestituram petere debeat.

Titulus XXII.

SANCIMVS, ut nemo miles ultra annum & mensem vadat, ut inuestituram beneficij sui à filio, vel successore domini sui petat, vel post mortẽ domini sui,

sui, vel patris sui, vel alterius cui succedere debet: nisi iusta causa interuenerit, qua re non petierit, veluti mortis, vel capitalis inimicitiæ, vel infantia, vel infamia, vel iusta absentia: & si (vt supra dictum est) non petierit, damnetur.

Si vasallus miles infra annum & mensem renouationem inuestituræ ab hærede domini defuncti non petierit, aut si vasalli militis successor infra tempus prælibatum præfatam renouationem à domino non postulârit, feudo priuabitur, nisi iusta aliqua causa eum merito debeat excusare.

1. Iusta autem causa (vt hic in tex.) esse poterit mors domini aut vasalli: item capitales inimicitiæ inter dominum & vasallum, sine culpa tamen sua exortæ. clemen. pastoralis. de re iudi. in Clemen. Idem obtinebit, si inimicitias cum alio quopiam gesserit vasallus: cuius metu & periculo, tutus ei ad dominum accessus patère non potest: vtputa, quia fortè per ditionem inimici sui iter sit ei conficiendum. argu. l. iij. ff. ex quib. cau. maio. & l. de æta te. ff. ad sena. Trebel. secundum Alua. Sed melius probatur in c. accedens. ij. vt lite non contest. Item vasallum excusat infantia, vsque ad ætatem doli capacem. §. si minori. infra, si de feu. defunc. conten. sit inter do. & agna. vasal. Sed maior quatuordecim annis feudū amittit, nisi infra annum & diem feudi inuestituram à proprio domino petierit. §. præterea. infra, de prohi. feu. alie. per Frederi. Item ipsius domini infamia: veluti si à principe sit relegatus, aut (vt nostri aiunt) diffidatus, seu bannitus, quem proscriptum rectè dixeris, cum quo nulli licita sit communicatio. Idem iuris fuerit, si excommunicationis spiculo sit notatus. Ea enim specie, & obsequia fidelitatis denegare ei poterit vasallus, nam fidelitas cum fama domini finitur, & pariter cum fama domini restituitur. c. domino guerram. infra, hic finitur lex. ita inquit glos. vlti in fi. in §. vlti. infra, per quos fiat inuestitu. vbi Bal. eius rationem allegans, quod contumacia, inquit, abstulit, obedientia restituit. cui adstipulatur præclarus tex. in c. ex literis, extra, de constitu. & est casus in c. vlti. in fi. versi. quàmdiu in excommunicatione perstiterit. extra. de pœnis. Item excusatur vasallus iusta absentia, veluti si absit causa reipub. absentia quippe eius, qui reipub. causa abest, nec ei, nec alij damnosa esse debet. l. absentia. ff. de regu. iur. Læsum namque ius per id tempus, quo quis reipub. operam dedit, corrigitur. l. i. ff. ex quib. cau. maio. in inre. resti. idque ne cui officium publicum damno sit. l. videlicet. ff. eo. Abesse autem reipub. causa eos solos intelligimus, qui non sui commodi causa, sed coacti absunt. l. reip. cau. ff. eo Vltra causas hic in tex. expressas, etiam aliæ, simili aut maiore nitentes ratione, fuerint admittendæ. argu. §. sed quia natura. infra, quæ fuit pri. cau, bene. amitten. Proinde si vasallus non dolosè per annum & diem steterit, quod à domino sui beneficij inuestituram non petierit, feudum ob hoc non amittet. Dolus enim abesse videtur, si iusta causa impediente steterit. Hæc sunt verba tex. in l. vlti. infra, de prohi. feu. alie. per Lotha. Denique ignorandum non est, vasallum non militem, sed priuatum, infra annum & diem prælibatam inuestituræ renouationem petere debere. infra. de capitu. Conra. in principio, secundum Bal. in §. nulla, infra. per quos fiat inuestitu.

§. Si quis fecerit inuestituram, vel cambium de beneficio sui militis, sine illius consensu, cuius est beneficium, pro non facto habeatur.

Dominus feudum vasalli sui, sine eius consensu alij conferre nequit.

1. Hic tex. intelligendus fuerit, cum dominus feudum à vasallo possessū, pure alicui per inuestituram concedere velit. Hoc enim fieri non poterit,

nisi

nisi accedente consensu possessoris, vt hic, & in §. præterea. suprà, quib. mo. feu. amit. Diuersum si in diem mortis vasalli, eáque conditione, si decedat sine legitimis successoribus, feudi præfati inuestituram alicui concedat. Id enim licitum erit. c. vnico. suprà, qui succes. feu. da. tene. De qua materia latius ibi. in d. §. præterea. suprà, quib. mo. feu. amit.

§. Sancimus, vt nemo miles adimatur de possessione sui beneficij, nisi conuicta culpa, quæ sit laudanda per iudicium parium suorum, sicut suprà diximus.

Si autem dixerit miles, quòd sui pares iniquè iudicassent: miles in possessione maneat per sex hebdomadas, & ad nostram veniat præsentiam, cum illis, qui laudamentum atq; iudicium fecerint: & ante nos definiemus.

Nulli vasallo feudi sui possessio adimi poterit, nisi per sententiam parium de culpa priuatione digna, legitimè conuicto. A qua sententia poterit ad Imperatorem appellare. In possessione tamen & ædibus suis liberè permanebit vsque ad spatium sex hebdomadarum, quibus elapsis, vnà cum iudicibus Imperatorem accedet, de hoc negotio legitimè cogniturum.

1. Cùm à sententia, super controuersia feudali lata, ad Imperatorem appellatur, iudices, qui sententiam pronunciarunt, se coram Imperatore sistere debent, de lata sententia rationem reddituri. Sed hoc intelligendum fuerit, specialiter obtinere in feudis magnis, quæ tamen ab aliis, quàm ab Imperatore obtinentur. Nam in aliis Apostolos ad Imperatorem destinare suffecerit. l. i. ff. de libel. dimis. secundum And. de Yser. Bal. & Aluar. hic. Intelligetur quoque hic tex. cùm ad Imperatorē immediatè fuerit appellandum. Alioqui enim gradatim ad iudices superiores appellandū esse constat. l. imperatores. in prin. ff. de appel. Nam post glos. & Aluaro. hic notat, etiam in causa feudali, appellationem, omisso medio, ad Imperatorem deuolui non posse. Porrò, dum hic textus ait, In possessione maneat per sex hebdomadas, intelligendus est, vt ante sex septimanas non cogatur à possessione & domo sua, versus Imperatorem iter arripere, causa appellationis suæ prosequendæ, non autem sic accipitur, quasi sex hebdomadæ possessioni eius conseruandæ sint præfinitæ, quandoquidem toto tempore appellationis pendente, in possessione tuendus est appellator. vt no. in c. non solùm. de appel. lib. vi. secundum Bal. hic.

De contentione inter dominum & vasallum de inuestitura feudi.

Titulus XXIII.

SI QVIS miles in possessione sui beneficij fuerit, & dominus inuestituram negauerit, miles affirmet per iusiurandum, si potuerit, quòd suum sit beneficium per inuestituram domini sui. Et si dominus possederit, & miles sic dixerit, quòd inuestitus fuerit à domino suo, & dominus negauerit, adhibeantur pares illius, & per ipsos inueniatur veritas. Et si pares non fuerint, veritas inueniatur per dominum: quia non est bonum, vt veritas denegetur.

Si dominus agat contra vasallum feudi possessorem, petens hoc sibi, de quo inuestitus non est, restitui, vasallus autem econtra, se de eo inuestitū esse contendat, sacramento possidentis controuersia dirimetur. At si de eo feudo se inuestitum esse asseueret, quod dominus possidet: eáque de causa, vt feudum sibi tradatur, contra dominum agat: hic verò se illum inuestiuisse neget, ille per curiæ pares intentionē suam, si obtinere velit, probare debet. Quo non probante, domini sacramento possessoris, contentio sopietur.

1. Posses-

1. Possessio corporalis eam obtinet virtutem, vt ratione iuris præsumpti, aliarum probationum defectu, sacramento stetur possessoris. De quo plenius in c. vnico. suprà, de conten. inter do. & fi. de inuesti. feu.

Quemadmodum feudum ad filiam pertineat.

Titulus XXIIII.

SI QVIS sine filio masculo mortuus fuerit, & reliquerit filiam, filia non habeat beneficium patris, nisi à domino redemerit. Si autem dominus ei dare voluerit, propter seruitium & amorem patris: non reuocetur ab vllo ex parentibus suis, neque damnetur.

Patri sine filio morienti, filia non succedit in feudo, nisi hoc à domino redemerit, nisive dñs ob amorem & seruitium patris defuncti ei dederit.

1. Hunc tex. de feudo nouo intelligẽdum esse dicit Aluaro. vel etiam de antiquo, quòd liberè scilicet ad dominum sit reuersum.

2. Quanquã dominus filiam vasalli mortui inuestire nequeat de feudo, In præiudicium agnatorũ, cùm scilicet feudum est antiquum §. hoc quoq;. suprà, de succes. feu. Tamen si feudum antiquum liberè ad dominum redierit, aut si nouum sit, quod per mortem vasalli sine hærede decedentis, domino aperitur, filia de eo poterit inuestiri, vt hic. De qua materia latius in §. & quia. suprà, de his, qui feu. da. possunt.

Quibus modis feudum constitui potest.

Titulus XXV.

SCIENDVM est, feudum sine inuestitura nullo modo constitui posse, etiam si domino iubente, quis alicuius rei, nomine feudi, possessionem nanciscatur, & teneat: licet tamen possessionem taliter adeptam, dum vixerit, quasi feudi nomine retinere: hærede eius in hoc iure nullo modo ei succedente.

Feudum sine inuestitura constitui non potest, etiamsi domini voluntate, rei alicuius, nomine feudi, obtinendæ possessio alicui tradatur: Quam, vita quidem comite, is ceu feudalem obtinebit: sed ad hæredem eo iure neutiquam transmittet.

1. Regulare est, feudum sine inuestitura constitui non posse, vt scilicet propria feudi natura potiatur, ac ad hæredes trãsmitti queat: nisi talis quispiam actus intercedat, qui inuestituræ fungatur officio, velut si dñs alicui coram paribus curiæ dixerit, vade in possessionẽ illius fundi, & teneas illum pro feudo. Licet enim nõ intercesserit inuestitura, tamẽ perindè est, ac si intercessisset: quia ille domini voluntate possessionem feudi nactus est, feudi nomine, vt inquit tex. in c. 1. in prin. infrà, de cõsue. recti feu. Cæterùm, si non coram curia parium, huiusmodi verba dominus protulisset: quãquam per ea vasallus feudi possessionẽ nactus esset, tamẽ hoc iure feudi obtinere non censeretur, ideóq; nec ad posteros suos transmittere posset, vt hic in fi. Quod tamen interpretationẽ recipit: Nisi feudum præfato modo acquisitũ, vasallus annali spatio possedisset, tanquã vasallus verus, seruitia & obsequia domino præstans accipienti. Tali enim actu inuestituram repræsentante, feudum constitui posse videtur, secundum Aluaro. hic, & DD. in d. c. 1. ver. Inde etiam dicitur, qui textum illum ita interpretantur. Porrò si dominus, cui

cui nulla sit parium curia, verba prælibata coram aliis fidedignis proferat, non secus, atque vera intercedente inuestitura, feudum constitui, æquior est opinio: quanquã Bal. probari non videatur. Cuius opinioni hic standũ non videtur. argu. §. si verò inuestitura. infrà, quid sit inuesti. & in c. i. versi. qui si tempore inuestitionis. infrà, tit. proximo. & in c. vni. versi. quòd autem pares. de notis feu. Vbi tex. quod autem pares tantùm debeant interesse inuestituræ feudi, & non alij: hoc tunc verum est, cùm dominus vasallos alios habuerit. Alioqui adhibeat dominus, quos meliores poterit. Cui etiam congruit tex. in §. quod autem. infrà, de consue. recti feu. Illud autem certum est, si Imperator aut Rex, ea, quæ superius memorata sunt, verba protulerit, feudum, tanquàm per inuestituram, plenissimo robore constitui: vtpote Imperiali actu, & contractu legis vicem obtinente, minimèque opitulatione quadam extrinsecus egente. l. penul. C. de dona. inter vir. & vxo. & argu. l. omnium. C. de testa. Quod enim ab Imperatore datur, decet esse mansurum, & ab omni malitia ac diminutione alienum, vt in constitutione, quæ de dignitatibus & episcopatu filium liberat à pa. potestate. non procul à fi. colla. vi. secundum And. de Yser. hic.

§. *Si dominus, qui inuestiuit, fortè sit clericus, & contigerit, vt antè moriatur, quàm vasallus possessionem feudi nancisceretur, exinanitur feudum, quod generaliter in omnibus clericis, qui feudum dant, obseruatur.*

Si clericus feudi per alium possesi inuestituram alicui concedat, & priusquàm is possessionem acquirat, inuestiens moriatur, concessa feudi inuestitura euanescit.

1. Ex hoc textu infertur, successorem clerici inuestituram prædecessoris ratam habere non cogi, si eo viuente, per assecutionem corporalis possessionis, suum non fuerit effectum sortita. Diuersum, si iam effectui fuisset mancipata: quam per obitum concedentis non expirare, ideóque per successorem ratificandam esse constat. argu. c. si super gratia. de offi. delega. lib. vi. Intelligendus quoque est hic textus, de clerico inuestituram faciente de rebus ecclesiasticis. Nam de eius bonis patrimonialibus, aut propriis concessam, successor omnifariàm adimplere cogeretur. c. vnico. in princi. infrà, de cleri. qui inuestitu. facit. De hac materia latius traditum est in c. vnico. suprà, qui succes. feu. dare teneantur.

Si de Inuestitura inter dominum & vasallum lis oriatur.

Titulus XXVI.

SI INTER *dominum & vasallum lis oriatur de inuestitura feudi, domino scilicet inuestituram se fecisse negante: si testibus res probari non poterit, possessoris sacramento res decidatur. Idem in eorum successoribus obseruatur: Si verò testes interfuerint, & eos vasallus ad testimonium vocauerit, eorum testimonio cum sacramento credatur: testes verò sint pares eius, & qui ab eodem domino feudum teneant. Qui si tempore inuestitionis abfuerint, etiam extranei sunt recipiendi: qui etiamsi veritatem celare voluerint, fortè amore, vel pretio, vel alia qualibet ex causa, à Comite, vel à populo iurare compellantur, quòd ex ea causa falsitatem non dicant, nec vera scientes tacebunt. His enim non cogentibus eos, vasallus cum ipso domino ad Imperatorem ire festinet, eique causam intimet: & quod Imperator inter eos iudicauerit, obseruetur. Si autem se venturum, vel nuncium missurum vasallus promittat: ex quo promiserit, vsque ad annum quietè pos-*

sideat. Si verò ad Regem non venerit, vel non miserit intra annum, domini sacramento causa finiatur. Et si testes sacramento iam dicto præstito se non interfuisse dixerint, domini sacraméto quæstio terminetur. Hæc omnia etiam in Clericorũ personis locum habet, præterquã quod de personis testium dictum est. In clericorũ feudo pariter accipiuntur pares & extranei. Hoc ideo, quia cùm clerici quosdã de feudo inuestiunt, sæpe absconsè & sine præsentia suorũ confratrũ hoc facere student.

Excitata controuersia inter vasallum & dominum, se inuestituram fecisse negantem, sicque feudum à possidente vendicantem: si per testes inuestituram suam probare nequeat possessor, sacramento eius lis dirimetur. Idem iuris obtinet, si vel dominus agat contra successorem vasalli, vel si domini successor contra vasallum hæredémve eius experiatur. Si verò testes habuerit vasallus, qui inuestituræ interfuerunt, mediante iuramento testimonium proferentes, plenam fidem obtinebunt: modò tamen sint pares, & ab eodem domino feudum obtinentes: nisi dominus pares curiæ non haberet: Hac enim specie etiam extranei testes fuerint legitimi: qui si testimonium perhibere veritati recusent, aut tergiuersentur, vasallus per iudicem ordinarium eos ad testimonium proferendum compelli curabit. Quo requisito, & testes ad proferendum testimonium tergiuersantes non compellente, ad Imperatorem vnà cum ipso domino se conferet, causam præfatam inter pares definiturum. Porrò, si hoc casu se iturum, vel missurum ad Imperatorem recipiat, vigore talis promissionis in quieta possessione vsque ad annum permanebit. Et si interea temporis Imperatorem, aut Regem non accesserit, in contumaciam absentis, domini sacramento lis dirimetur. Pari modo, si præfati testes, qui requisiti antea fuerant, iam comparuerint, iuratíque deposuerint, se inuestituræ prælibatæ non adfuisse, iureiurando domini negotium decidetur. Præfata etiam in clericis feuda concedentibus obtinebunt, præterquàm quod de testibus est memoratum. Inuestituræ siquidem à clericis concessæ, cùm sæpe non ita in propatulo, nec ambitioso spectaculo fiant, per quoslibet testes idoneos, tam per curiæ pares, quàm extraneos probari poterint.

1. Cùm aliarum probationum non suppetit copia, iureiurando vasalli possessoris, inuestituræ controuersia definitur: modò vasallus annali spatio, quietam feudi obtinuerit possessionẽ, idque domino sciente, vt infrà, eodem. c. proximo. in fi. Hæcque facultas per iusiurandum obtinendi etiam ad successores transit, vt hic. & in §. cùm datur. infrà, de no. feu.

2. Deficientibus testibus ordinariis, extraordinarij ad probandam inuestiturã recipiuntur. de quo infrà, qui test. sunt neces. ad no. inuesti. proban. c. i. Porrò, cùm hic tex. innuere videatur, si tempore inuestituræ pares abfuerint, alios testes extraneos, de facta inuestitura posse deponere, intelligi debet, non ita, vt pares fuerint absentes, sed quod dominus pares nullos habuerit. hac enim specie, & constitui & probari per extraneos testes, noua poterit inuestitura. Nam alioqui si dominus pares curiæ habuisset, sed absentes expectandi fuissent, dicẽte tex. nec dicatur inuestituram, vbi sine paribus facta est, valere: quoniam tunc temporis aberant pares. quia etiamsi absint, tamen expectandi sunt. §. quod autem. infrà, de consuetu. rect. feu.

3. Propter contumaciam vasalli, aduersario sacramentum defertur, vt hic. Et in causa feudali per appellationem deuoluta, non facta litis contestatione, etiam ad definitiuam sententiam procedi poterit, parte per contumaciam absente, vt hic in tex.

§. Si quis

§. Si quis se, vel patrem suum ab aliquo defuncto, vel patre eius de feudis inuestitum esse contenderit: nisi per duos pares de domo ipsius domini probauerit quod intendit: vel etiam cùm pares absunt, per alios idoneos duos testes, tunc in electione domini est, vtrùm velit iurare cum duodecim sacramentalibus, illum, qui feudum quærit, per se, vel patrem eius, si de hoc quæratur, de ipso feudo inuestitum non fuisse. Quòd si iurare noluerit, actor iuret cum duodecim sacramentalibus, se, vel patrem suum inuestitum fuisse: quòd si iurare noluerit, qui conuenitur est absoluendus. Secundum enim morem Mediolanensium, hæc sacramenta præstanda sunt tam à filiis actoris, vel rei, quàm ab ipsis principalibus personis. Si autem aliquis in possessione feudi sit, de quo dominus dicit, eum inuestitum non fuisse, tunc sine probatione vlla testium, debet solus iurare, se, vel patrem suum fuisse inuestitum. Hæc autem sunt ita tenenda, si per vnum annum, sciente domino, & non contradicente, in possessione permansit. Alioqui iusta ignorantia, vel parui temporis negligentia, cum iniquæ possessionis periurio, quandoque domino in possessione damnum adfert.

Vasallo se, vel patrem suum de feudo inuestitum fuisse asserenti, & ea de causa feudum à domino vendicanti per duos pares, aut eorum defectu, per alios duos idoneos testes eius rei probatio incumbit. Quo præfata ratione non probante, dominus cum duodecim sacramentalibus iureiurando affirmabit, se, vel patrem suum, vasallo inuestituram non concessisse. Verùm, si is hoc sacramentum subire recuset, ipsi vasallo actori sacramentum cum duodecim sacramentalibus deferetur, iuraturo se suúmve patrem à domino inuestitum fuisse. Vtroque autem hoc iuramentum recusante, dominus possessor absoluetur. E diuerso, si in possessione feudi, per annũ vnum, sciente, & non contradicente domino, fuerit clientulus, & à domino impetatur, soli iuriiurando possessoris stabitur, affirmaturi, se, aut patrem suum eius feudi, quod possidet, inuestituram accepisse.

1. Vasallo asserente sibi factam esse inuestituram, nec eam probante, nec feudum possidente, lis dirimetur sacramento domini cum duodecim sacramentalibus, asserturi, nec à se, nec à patre suo inuestituram eius feudi esse concessam, vt hic. Sacramentales autem isti testes deponent per sacramentum credulitatis, videlicet, se credere ita esse, quemadmodum dominus iurauit. c. quotiens. &. c. fi. de purga. canoni. Si autem dominus hoc iuramentum præstare noluerit, defertur vasallo, vt hic in tex. Quem intellige, si aliqua subsit legitima causa, quæ ad hoc iudicem merito debeat commouere. Alioqui enim dominus sine vllo iuramento absoluendus foret. Ait enim tex. si inter dominum & vasallum controuersia sit de beneficio, possidente domino, & vasallo in probatione deficiente, qui conuenitur, nullo præstito sacramento absoluatur §. vlti. infrà, de consue. recti feu.

2. Regula est in materia feudali, præsumi pro vasallo, annali possessore: cùm scilicet tanquam inuestitus, domino sciente, & non contradicente, per anni spacium pacificam & quietam habuerit feudi possessionem, vt hic. Sicque hic casum esse specialem, ex sola annali patientia domini scientis, & patientis vasallum possidere, & inuestituram, & titulum præsumi: His etiam congruit textus in c. Titius filios. in fi. si de feu. defunct. conten. sit inter do. & agna. vasal.

De Feudo dato in vicem legis commissoriæ reprobando.

Titulus XXVII.

SI QVIS obligauerit aliquam rem pignori, eo pacto, vt si statuto tempore pecunia soluta non fuisset, res esset creditoris, & eam pro feudo habeat: potest debitor quandocunque pecuniam soluendo, pacto non obstante, pignus recuperare. Feudum enim non sub prætextu pecuniæ, sed amore & honore domini, acquirendum est.

Non obstante pacto, vt si statuto tempore pecunia mutuata non soluatur, rem aliquam pignori traditam, feudi nomine, mutuans habeat: poterit debitor quandocunque mutuum soluẽdo, rem impignoratam recuperare.

1. Cum pactum legis commissoriæ in pignoribus iura reprobent, l. vlti. C. de pact. pig. creditor, vt pignoris dominium directum, vigore pacti à iure damnati, consequi non poterit, ita nec dominium vtile, & per consequens nec feudum. Pactum enim legis commissoriæ in feudi acquisitione est damnatum, vt hic. Et quanquàm hic tex. in fi. dicat, feudum sub prætextu pecuniæ non esse acquirendum, sicque videatur feudum emi non posse, tamen hoc intelligendum est in specie subiecta, videlicet, cum modus ipse comparandi feudi reprobatur. Tunc enim pecunia interueniente, feudum nequit comparari. Quare si non per modum illicitum agatur, feudum pecunia redimi poterit. c. i. supra, quemad. feu. ad fili. perti. & c. i. in princi. infra, de inuesti. in mari. fac. & supra, de natu. feu. c. i. in fi. Porrò cum hic dicat tex. non obstante pacto legis commissoriæ, rem pignoratam quandocunque, soluta pecunia, recuperari posse, consequens est. vt etiam lapsus triginta annorum non obsit. Ait enim hic Bal. cum in pignoribus interuenerit pactum legis commissoriæ, iuri obferendi nullo tempore non præscribi, idque odio creditoris. Varia hic consarcinari possent ex nostrorum latifundiis, sed nobis animus non est, alienum solum nostra macerie circumsepire, verùm textus feudales sine vlla ambitione perspicuos reddere. Licebit & quædam non pœnitenda ex Zasij compendio ad hanc materiam accommodare.

SI quis inuestierit aliquem de feudo sui militis, viri Placentini prorsus asserunt, hanc inuestituram non aliter valere, nisi eo consentiente, cuius erat feudum. Mediolanenses & Cremonenses nihil distare asseuerant, vtrum eo sciente, vel ignorante: dummodo eo viuente nullum detrimentum de feudo suo sibi contingat, hoc autem dicendum est de eo milite, qui feudi successores non habet.

Dominus aliquem de feudo sui vasalli inuestire non potest sine possessoris consensu: Alij vero, etiam sine eius consensu, hoc dominum posse affirmant, dummodo viuenti vasallo nullum ex hoc periculum generetur. Hæc de eo feudo sunt accipienda, cuius possessorem nullos post se hæredes constat relicturum.

1. Inuestitura feudi per alium possessi, sub conditione, vel in diem mortis vasalli possessoris, sine succedentibus decessuri, concedi poterit: nullum tamen effectum, nisi feudo ad dominum reuerso, habitura, sicque nullum factura detrimentum, vel possidenti, vel hæredibus eius. vt hic in tex. & in c. vnico, supra, qui succes. feu. da. tene. vbi latius de hac materia tractatur.

De Vsu Mediolanensium secundum quosdam. Titulus XXVIII.

QVIDAM obligauerat terram quandam suo militi: deindè cùm filius sui domini longum post tempus pecuniam offerendo, pignus liberare voluisset, filius militis contendebat, patrem suum à domino suo defuncto de prædicto pignore inuestitionem feudi accepisse. Vndè viri prudentes Mediolanenses interrogati laudauerunt, in electione filij militis esse, cum duodecim sacramentalibus iurare, patrem suum, vel se, à domino suo per inuestituram prædictam terram tenuisse: ita vt per triginta annos contestatio pignoris à parte domini, aduersus ipsum, vel patrem suum facta non fuisset. Si autem ipse iurare noluerit, filius defuncti domini necesse habet iurare cum duodecim sacramentalibus, defunctum militem indè per feudum inuestitum non fuisse. Quod si ita iurare recuset, inuestire ipsum filium militis, domini filius de iam dicta terra per feudum debet.

Si controuertatur super terra quapiam pignori data, inter hæredem creditoris, & debitoris, hoc, pecunia oblata, pignus luere cupiente, illo verò patrem suum, ab eius patre, de pignore, feudi nomine inuestitum fuisse contendente: sacramento contendentis, cum duodecim sacramentalibus lis dirimetur, iuraturi patrem suum, vel se, terram præfatam, tanquam feudum per inuestituram obtinuisse, nulla pignoris per triginta annos cõtestatione facta. Si hoc iuramentum subire recuset, stabitur sacramento hæredis debitoris, cum duodecim sacramentalibus contrarium asserturi. Vtroque autem sacramentum recusante, qui feudum posſidet, per hæredem debitoris de eo fuerit inuestiendus.

1. Si quis rem aliquam feudi nomine, triginta annis possederit quietè & pacificè, seruitiáq́, & obsequia, eius nomine, tanquam vasallus domino præstiterit, eam ceu feudalem sibi defendere poterit, vt hic, & in c. si quis per triginta. infrà, si de feu defun. con. sit inter do. & agna. vasal. Et si hoc pacto per triginta annos in feudi possessione existenti, solitisq́ vasalli muneribus & obsequiis functo, cõtrouersia moueatur, nec eum constet alio titulo, quàm per inuestituram, feudum obtinuisse, etiam nullo præstito sacramento, absoluetur. Nam præscriptione triginta annorum se tueri poterit. d. c. si quis per triginta. Si verò alio, quàm feudi nomine, res, de qua controuersia est, ad eum quidem peruenerit, veluti titulo pignoris, postea tamen, iure feudi, se eandem à domino recognouisse contenderit, continuisq́ triginta annis seruitia & obsequia vasalli exhibens domino, possederit, cum duodecim sacramẽtalibus, (iuxta formam huius capituli) iureiurando sibi confirmabit. De aliis huc pertinentibus, dicetur in d. c. si quis per triginta.

FINIS LIBRI PRIORIS Vsuum Feudorum.

CLARISSIMO PRINCIPI,

AC HEROI MODIS OMNIBVS ILLVstri, Georgio, Saxoniæ Duci, Lantgrauio Thuringiæ, Marchioni Mysnensi, Patrono suo incomparabili, Fridericus Schenck, ex Baronibus à Tautenberg.

S. D.



ER QVAM scitum mihi responsum Charilli regis videri solet, qui cur leges tam paucas Lycurgus tulisset, interrogatus, eos qui paucis vtantur verbis, haud quaquã multis legibus indigere pronunciauit. Princeps clariss. animiq; dotibus illustriss. Etenim quibus veritas arridet, morum cõstantia placet, vitæq; probatur integritas, his multiloquium ferè non vsq; adeò placere solet, ne in ipsis quidem rebus seriis, proindè leges tum paucæ, tum breuiloquæ, pro ingenij instituto, naturæq; ductu, faciunt satis. Vmbraticarum, contra, fucatarumq; rerum speciebus irretiti, garrulitatis videlicet mancipia, versurarum textores, natura Protei, ac Vertumni, (ne non similes habeant labra lactucas) prolixis nugis, eisq; Persolis, Siculis gerris, næniis deniq; Hiberis magis delectantur, vmbramq; corpore potiorẽ ducũt, Hippocratis meritò vinculis alligandi. Quo fit, vt non tam leges, quàm constitutinum cumulos, aceruos interpretationum, & commẽtariorum quærant meandros, nullo vel tempore vel modo finiendos: quibus videlicet, & imponere impuniùs, & pro suo cõmodo, in omnem ordinem, sexum, ætatem, grassari queant licentiùs. Veritatis quippè non simplex modò & aperta, sed breuis etiam ac compendiosa facilè narratio est: rerum verò adumbratarũ figuræ longos, vt ille inquit, logos, verborumq; perplexitates, scrupos, ambages postulant: vt cùm re vera quod pollicentur, præstare vel nequeant, vel non sustineant, saltem imagine quadam ludificante, ceu præstigiis, imprudentum oculos perstringant. Hæc ita se habere in iuris nostri disciplina, nec lippis, nec tonsoribus ignoratur. Equidem cùm ad quæstum, sordes, affectus, concertationes, inanem gloriam, ostentationem, atq; etiam tyrannidem, venerãdis legibus ex ipso iustitiæ fonte deriuatis, abuti mortales occepissent, tum lux omnis, eiusq; comes breuitas exulare cœpit, aufugere simplicitas, migrare germanitas, irrepere fucus, irruere verborum ampullæ, irrumpere dispuationum tricæ, figmentorum portenta, & nodi argumentorum, obtorto veluti collo, legibus extorti, quibus vniuersam propè iuris frugem, ceu procella quadam prostrauerunt: prophanâruntq; sanctuarium illud Iustiniani Principis, in quod miro compendij artificio, sacras leges ex omni vetustate delibatas conglomerauit. Has enim tantis glossematum vndis obruerunt, tot inuolucris obtexerunt, tot labyrinthosis quæstionibus intricârunt, fœdârunt, perturbârunt, vt pro grata breuitate nauseabunda latifundia, pro compendio vastum dispendium, pro cultu orationis prodigiosam infantiam, pro luce Cimmerias tenebras, deniq; pro veritate, vmbratica, diluta, ac adulterina penè cuncta habeamus: Adeoq; iura propemodum omnia interpretationis multiplicata varietate, nec fine vllo, nec certa ratione constare videantur. Ex eo siquidem tempore, quo multiloquio veritas cessit, politamq; Pandectarum breuitatem Barbaræ commentationum turmæ deuicerunt, necesse fuit potiorem legalis nostræ philosophiæ partem in immensum hoc perturbatæ semperq; fluctuantis ac æstuantis Barathrum inscitiæ præcipitari, immergi, suffocari: quanquàm hæc non

tam nostra, quàm omnium verè Doctorũ iustißima, & quidem iam vetus sit querela. Sed tandem misertus humanæ calamitatis, Pater omnipotẽs, Opt. Maximusq; Deus, velut cœlitus nobis immisit acutißimo ingenio, raraq; doctrina viros, qui iam supremam minitanti ruinam legum sacrario literatæ basis fulcimenta supposuerunt, obscuratis splendorẽ, extinctis vitam, oppreßis dignitatẽ etiam suam reddere studuerunt, & pauciloquij amatoribus, paucas & compendiosas legum traditiones ac enarrationes sufficere putauerunt, dum videlicet hic, Iuris Ciuilis Pandectas, iste, Iustiniani Codicẽ, ille, Institutionum libros, à malæfidei possessoribus vendicat, & velut ex seruitute, in pristinam aßerit libertatẽ: idq; non minori elegantia, quàm dextra perspicuaq; breuitate. Meritò igitur iam vbiq; gentium, vbiq; locorũ profligato veteri dolore, ingens gaudium agitatur, cum vera iuris studia nusquam non fœliciter reflorescant, & diu consepultus legum ornatus reuiuiscere cõspiciatur, sursumq; caput erigat hactenus depreßa veritas: Idq; non solùm omnibus paßim in Academiis, verùm etiam in ipso foro, ac dicundi iuris auditoriis, venerandisq; iudicum subselliis. Non enim iam emendicati, seu venales consiliorum centones animũ ius dicentis magnoperè cõmouent. Non cautelarũ & singularium imposturas causarũ patroni nunc sequuntur. Non deniq; variorũ commentatorum nomenclaturas prolixarũ distinctionum pedicas, lecturarum variarum procellas, oppositionũ & contrariorũ nunquam euanescentes fumos auditoribus iuris obfundunt professores, sed omnes veritatis deuincti fœdere (ea quippè firmior inter mortales nullus est nexus) à Pandectis ipsis & Iustiniani officina haud secus dependent, ac nautæ Sydonij à Cynosura. Etenim ad cõpendiosæ dilucidæq; veritatis æquilibrium cuncta iam expenduntur. Tametsi vnus adhuc fortè, itemq; sit alter, qui veteris confusionis vappæ aßuetus, nouæ huius repurgatæq; doctrinæ mustum non ferat. Sed hic laqueo se & resti vlciscetur; quum olim fortè vel Cæsaris edicto, vel omnium literatorũ consensu, viderit nullis perindè ac pharmacopolis vsui fore sinuosa obsoletaq; sua volumina, receptacula nimirum apta condendo præbitura cymino. Hanc tantam fœlicitatẽ paucorum studio virorũ debemus, quos nulli Reges dignè pro meritis remunerare, secula nulla satis cantare ac celebrare valebunt. Horum tametsi doctrinæ, eruditioni, & industriæ, me parem eße non cognoscam, tamẽ concrediti mihi talentuli memor, ociiq; nactus opportunitatẽ, dispensandum hoc & proferendũ vtcunq; putaui, illius benignitate fretus, qui bonorũ semper conatuum est prouector. Quare pro mea virili in eam iuris partẽ (ab aliis recentioribus nondum tentatam) quæ feudorũ continet placita, minimè profectò contemnendam, siue rei dignitatẽ, siue vsum frequentiamq; spectes, moliri quippiam, parturire & progignere constitui, post tot immensa glossematũ volumina, quæ nobis velut ex equo Troiano barbaries effudit, meo quidem iudicio, multo quàm antea, feudorum vsus reddentium spinosiores, siue ingeniorũ aut fuco, aut infœlicitate, siue id seculi contigerit imperitia. Nec quisquam hic nobis Zasij iurecõsulti doctiß. obiiciat operam, qui elegans in rem feudalem, eruditorũ iudicio, pro suo arbitratu, cõpendium exarauit, quasi nos telam eius retexere pergamus. Nam re vera, nondum illud, nisi carptim legere per ocium potuimus: adhæc, aliud scriptionis nostræ est institutũ, alia ratio, scopus alius suscepti laboris: siquidem nos feudorũ textus, haud nostro quodam, verùm suo ordine, quantum poßumus explanare, genuinoq; sensu exprimere conamur: Vtilibusq; solùm & cognitu necessariis rebus, (quæ textu ipso, non aliorũ commentis probantur,) verborũ compendio, illustriores reddere & nõnunquàm locupletiores: necnon partum omnem suppositium, vel à glossis,

sis, vel à commentatoribus obtrusum, si liceat, eiicere: verum autem ac natiuum, quanquam longo iam tempore profligatũ, velut postliminio quodam reuocare, laribusq; suis restituere. Id si minus assequamur, certè conatũ nostrum candidus quisque non improbabit: quum in magnis, & voluisse, laudi ducatur. Cæterùm in tertio feudorũ volumine, & seges densior, & materia disserendi vberior suppeditabitur. Quod ad dictionẽ attinet, satis esse putaui, vt stribiligine, & sordibus vacet oratio (quanquã haud sciam, an id etiam sim assecutus) Tullianã enim seu Liuianam eloquentiam res feudorũ non admittunt, hac in re aliis legum sanctionibus inferiores. Interim qualemcunq; hanc nostram, in secundum volumen, interpretationis fœturã, tuæ Celsitudini visum est dicare, Princeps Clariss. quo testarer, me vel memorem esse herois, cui cùm ipse priuatim plurimum debeam, vt à quo in Augustensi procerum conuentu, humanissimè fuerim exceptus, insinuante disertissimo & eruditiss. nobilitatis decore D. Iulio Pflug, tum publicè debeat vniuersa Tautenbergorũ familia Baronum, quam sic tutelari vicinaq; benignitate foues, sic honorificè tractas, & autoritate tueris, vt à dominis ac patronis suis, ne voto quidem magis, fideles optare possint. Postremò debeant omnes verè boni, qui pro perpetua morum constantia, ita pietatẽ colis, clementiam suspicis, iustitiam veneraris, vt absolutũ pij domini exemplar, subditi vasalliq; tui, magis tuo in pectore, quàm in hisce feudorũ agnoscant monumẽtis. Bene valeat Celsitudo tua.

Traiecti, Idibus Maij, Anno restitutæ Salutis, supra millesimum quingentesimum. XXXVII.

INTERPRETATIO COMPENDIOSA IN SECVNDVM LIBRVM CONSVEtudinum feudorum. Autore Friderico Schenck, ex liberis Baronibus à Tautenberg.

DE FEVDI COGNITIONE. Titulus I.



BERTVS AB ORTO, ANSELMO FILIO SVO DILECTO SALVTEM.

Causarum, quarum cognitio frequenter nobis committitur, aliæ dirimuntur iure Romano, aliæ verò legibus Longobardorũ, aliæ autem secundum Regni consuetudinẽ, quæ quanquàm sint variæ, & quanquam secundum diuersorum locorum, aut curiarum mores, sint diuersæ, nec breuiter possint dici, nec hoc libello facilè comprehendi: vsum tamen feudi, qui in nostris partibus obtinet, prout possibile est, exponere tibi necessarium duxi. In iudicio etenim, quod de feudis agitur, illud legibus nostris contrarium dici solet. Legum autem Romanarum non est vilis autoritas, sed non adeò vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores. Strenuus autem Iurisperitus, sicubi casus emerserit, qui consuetudine feudi non sit comprehensus, absque calumnia poterit vti lege scripta.

Obertus

OBertus ab Orto, celebris ea tempestate Iureperitus, simul & frequenti famigeratus agitatione causarum: quæ vel Romanis, vel Longobardicis legibus, vel Regni denique consuetudinibus dirimuntur: eisdemque secundum locorum diuersitatem, sic euariantibus, vt breui hoc opusculo digeri nequeant, de vsu, & consuetudine feudorum, sua tum in regione (Mediolanensi videlicet) iam verò vbique locorum ob recepti libri autoritatem, vigente, quædam ad Anselmum filium exarare pergit. Primò igitur omnium, in re feudali, simul & iudiciis, quæ de feudi controuersiis agitãtur, illud catholicum esse tradit, quod Romanis quidem legibus repugnans, suam nihilominus vim obtinet, & autoritatẽ inconuulsam, videlicet: Tametsi Romanarum legum non vilis sit autoritas, non adeò tamen vim suam extendunt, vt vsum vincant, aut mores. Etenim hæc sententia, velut ex diametro, iuri Cæsareo reluctatur inquienti: Consuetudinis vsúsque longæui non vilis autoritas est: verùm non vsque adeò sui valitura momento, vt aut rationem vincat, aut legem. l. ij. C. quæ sit lon. consue. Sed feudorum placita, moribus vsúque recepta, legibus scriptis in sua arena, præponderant, derogántque, vt hic. Nec moror, quòd non vsquequaque tam exacta subtilique, vt ius Romanorum, fulciantur ratione: Nam ratio in his suffecerit qualiscunque, etiam obuians legali, si alio quopiam intuitu tolerari possit, vt hic tradit Aluaro. Id minus admiratione dignum putabis, si ius Romanorũ, optima, & quidem ferè naturali in plærisque, nixum ratione, moribus legéque municipali contraria abrogari memineris. Notius est, quàm vt recenseri debeat, æqua lance mares & fœminas ad parentum successionẽ, Romanis legibus vocari: quasique naturæ accusatores existere, qui inter marem & fœminam, quantum ad ius succedendi attinet, discrimen constituunt. l. maximũ vitium. §. sancimus. C. de libe. præteri. l. penulti. C. de legi. hære. Attamen vel consuetudine recipi, vel lege municipali caueri posse, vt filia dotata à patris successione habeatur aliena (tametsi pacto id fieri nequeat. l. pactum dotali. C. de colla.) nihil est vulgatius, vt videre licet, cùm apud varios, tum apud Maria. Sozinum, Consi. xxx. in tertia colum. versi. nec obstare videtur. Idque eo potissimùm prætextu, vt ordinũ dignitas familiarúmque salua sit, vt alio fine dicitur in l. i. §. sed & si seruus hæres. versic. publicè interest. ff. de ventre inspi. Agnationẽ enim ac familiam ipsam, per virilem sexum, & subsistere, & propagari constat: eóque cõmodius, si re præditus auctiore, digna se cõiugia & opportuna consequi possit: Quanquàm non me fugiat And. Barba. super Rubri. ext. de succes. ab intesta. subtili ingenio, reconditáque illa sua eruditione, multis rationibus fabrè conglomeratis, concludere, consuetudinem legémque municipalem imperiali constitutioni, de qua in d. l. maximũ vitium, prærogare non posse: nisi fortè vel ab Imperatore, lex talis municipij esset cõfirmata, vel à quopiam promulgata superioris iurisdictionẽ nõ agnoscẽte. secundũ eundem. Quod mero iure & æquius & humanius esse, nullus, vt arbitror, diffitebitur. At multis in locis contrarium inualuit, & radices iecit altiores, quàm vt absque Reipub. perturbatione possit extirpari, adstipulãtibus inueteratæ cõsuetudini iuris quoque interpretibus. Legitimã insuper portionẽ, etsi iure debitã naturæ, per consuetudinẽ tamẽ populique legem & minui & extenuari posse, receptissima est opinio. secundũ Panor. post alios. in c. Rainutius. de testa. quanq̃ nec id And. Bar. probet loco superius citato. Iam verò quid iure illo vulgatius expressiúsque, nec vxorem pro marito, nec pro patre filium conueniri oportere? C. ne fil. pro patre, & C. ne vx. pro mari. Legem nihilominus municipalem constituere posse, vt filij

filij mercatorum ad debita persoluenda mortuorum patrum, etiamsi paternæ hæreditatis nihil receperint, efficaciter obligentur & conueniantur. Bal. pronuntiat in l. dotis filiæ. super glo. i. C. de iure dot. Similiter l. municipali sic dictante, vxorem pro marito & teneri & obligari, post alios Iason comprobat, in §. actiones autem. in pe. colum. versi. Ad prædicta etiam bene facit. Insti. de actio. Sed longum sit, hæc omnia persequi: sexcenta enim sunt huiusmodi, quæ contrariis moribus legibusque receptis populorum, regulas iuris ciuilis abrogent, optima ratione introductas. Nam consuetudinem quamuis, si rationabilis sit, seruarique sine labe mortifera ac offendiculo possit, iuri præiudicare, multis persuasum est, per glos. super verbo, non obstante consuetudine. in fi. in c. quòd super his. de consangui. & affi. Quanto igitur potius Ro. legum autoritatem vincere debeant vsus feudorum? quos mera concedentium voluntate constat increbuisse. Feudorum siquidem inuentores, rerum vtique suarum moderatores & arbitri, l. in re mandata. C. manda. nunquid possessionibus suis in feudi genus ab alio suscipiendis incognitũ quendam iuri ciuili ordinẽ, conditionem, qualitatem, denique substantiam, pro suo iure, indere potuerunt? Stat itaque hæc inuicta sententia: Licet Romanarum legum non vilis sit authoritas, non adeò tamen eas vim suam extendere, vt vsum vincant aut mores, intellige rem feudalem concernentes, eosdemque tamen prorsus ab omni non exorbitantes dictamine rationis. Malè enim adinuenta, malæque consuetudines omnino, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmãtur. In autentico. vt nulli iudi. lice. habe. loci seruato §. i. colla. ix.

2. Ex præmissis iam perpsicuum est, feudales controuersias, non Romano iure, sed vsu moribusque feudorum dirimi oportere, nisi talis quispiam emerserit casus, quem feudorum non comprehenderit consuetudo, tum enim gnarus iure cõsultus, ad eius diffinitionem, iuris scripti legem, absque calumnia poterit accommodare. vt hic in fi. Verùm vt fusius, certiusque habeas, quo iure feudales causæ ritè debeant terminari, sic accipe. Inprimis spectandus fuerit, & consyderandus tenor inuestituræ, cum per eum, & consuetudini, & placitis feudalibus, & omni naturæ feudi derogetur. c. vni. versi. nisi facta fuerit eo pacto inuestituta. de fratri. de nouo benefi. inuesti. & c. vni. in fi. versicu. propter naturam inuestituræ. de duobus fratri, à capitaneo inuesti. vbi & Bal. inquit, Nota egregium textũ, quod tenor inuestituræ derogat omni feudi naturæ. quod secundum eum memoria complectere. & per eundem in c. vni. inf. de feudo non haben. propri. feudi natu. Et pactum speciale insertum inuestituræ, tenorque contra communem feudi rationem consuetudini præiudicat feudali. inf. ti. proximè sequenti §. vlti. vbi & Aluaro. notat, pacta insolita plærumque adiici inuestituræ, contra communem feudi naturam, quæ tamen sunt obseruanda. vt ibi, & l. i. §. si conueniat. ff. depo. & l. semper in stipulationibus. ff. de regu. iu. Si verò casum emergentem, tenor, pactáve inuestituræ diffinire nequeant, ad specificam consuetudinem loci, & curiæ domini, à quo feudum concessum est, consideratio accommodanda est, & secundum eam iudicandum: quandoquidem consuetudo specialis loci, derogat consuetudini feudorum generali, cum regula iuris dictante, generi per speciem derogetur, secun. Bal. consi. clxx. incip. ad euidentiam præmittendũ est. in ij. parte voluminis mei. Pro huius confirmatione citare consueui in argumentum l. si seruus plurium §. vlt. ff. de lega. i. vbi ante omnia ipsius patrisfamilias consuetudo, deinde regionis in qua conuersatus est, exquirenda est. Cessante verò tenore, pactoque inuestituræ, & speciali

consuetudine loci & curiæ domini, qui feudum concessit, confugiendum est ad generales consuetudines & vsus feudorum hisce libris comprehensos vt hoc tex. Si verò nec placita feudorum obortam controuersiam determinârint, recurrendum erit ad legem Romanam, iusq; scriptum. vt hoc tex. versi. strennuus. Si etiam ius scriptum desideretur, confuge ad simile consuetudinis. l. de quib. versi. & si qua in re hoc defecerit, tunc quod proxinum & consequens ei est. ff. de legi. Et illo quoq; deficiente, ad simile legis. argu. l. non possunt. ff. de legib. Cessantibus verò omnibus supra dictis, per argumenta legalia seu feudalia, ad diffinitionem causæ fuerit procedendum. Hęc distinctio plenior, & iuri magis est consentanea, quàm ea, quæ ab Aluaro. hic traditur. Cæterùm casu hoc posteriore, si ad causæ diffinitionem argumenta tum ex legibus, tum ex feudalibus placitis deprompta accommodent litigantes, iudicis erit æstimare, vtrorum vis & proprietas debeat præferri, secundum eum pronunciaturi, qui similia & cõgruentiora & aptiora in medium protulerit rei subiectæ, secund. Iaco. de Belui. & Aluaro. hic. argu. l. vlti. C. de edicto diui Adria. tollen. vbi ei possessio acquiretur, qui potiora ex legitimis modis ostenderit iura.

§. *Sciendum est autem, feudum siue beneficium non nisi in rebus soli aut solo cohærentibus, aut in iis quæ inter immobilia connumerantur (veluti cum de camera aut de cauena, feudum datur) posse consistere. at feudum neminem posse acquirere, nisi inuestitura aut successione.*

Beneficium feudi necessario constituitur, in rebus soli, vel in solo cohærentibus, vel in iis, quæ inter immobilia computantur. Idq; & inuestitura & successione acquiritur.

1 Feudi beneficium in rebus immobilibus constitui debet, vt hic. Proinde si res mobilis iure feudi alicui concedatur, non vllam concessionem (vtpote repugnante eius natura sed innominati formam progigni asserit Bal. in l. i. in ij. colu. C. de fructi. & litium expen. Etenim cum rei immobilis beneficiatæ (vt verbis texus vtar) proprietas penes dantem remanere debeat, sicq; dominium directum. §. vlti. infra; In quib. cau. feudum amit. hoc, quo pacto. in rebus mobilibus, quæ vsu consumuntur, consistere poterit? Item quum in rebus se mouentibus ciuilis nulla sit, quæ à naturali separari queat, possessio, secund. Alexan. in l. i. §. per seruum, qui in fuga. ff. de acqui. possess. l. iij. §. Nerua filius. & l. si rem mobilem. ff. eo. ti. nec dominium aliquod vtile, separabile à directo, esse poterit in eisdem. Necessario igitur cõsequitur, feudum in rebus mobilibus, quarum ciuilis apud concedentem possessio remanere nequit, consistere haudquaquã posse, sed hoc constituendum fore. vel in rebus soli, hoc est, agris, fundis, pratis & pascuis, vel in rebus solo cohærentibus, veluti in superficiæ, domo, ædificiisvè quæ solo cohærẽt. secundum Bal. hic. vel in his quæ immobilibus cõnumerantur. veluti si annuus quispiam prouẽtus ex ærario horreóve domini, vel vt tex. hic ait. ex camera aut cauena dominica feudi nomine detur. Redditus quoq; annui quicunque perpetuo, aut sine vlla temporis præfinitione soluendi, in feudum rectè conceduntur, cũ inter immobilia numerentur, clemen. Exiui. §. Cumq; annui reditus inter immobilia censeantur à iure, de verborum singni. in cle. cui adstipulatur l. iubemus nulli. c. de sacrosanct. eccle. & l. vlti. §. præterea. C. de iure doti. vbi sit mentio de panibus ciuilibus, qui immobilium obtinent naturam. Item in nominibus debitorum. si actio competat ad rem immobilem, feudum coustitui posse, Claudius à Seysello in fragmento speculi sui feudalis tradit, dicens: hac specie loco directi dominij fore actionẽ directam

directam, quæ competit domino concedenti: Et loco vtilis dominij, fore vtilem actionem, quæ competit vasallo accipienti. quod ipse latius probat. Insuper ius piscandi, si in perpetuum concedatur, rebus immobilibus æquiparabitur, vt de reddítu annuo dictum est, igitur & in feudum dari poterit. Simile de iure exigendi vectigalis, pedagij & gindagij (sic enim Bal. loquitur) fuerit iudicium. Si verò ius piscandi non perpetuò, sed cum temporis præfinitione detur, rei mobilis iure censebitur, secundum eundem Claudium, vt suprà, qui diffusè materiam huc pertinentem per conclusiones, ampliationes, & limitationes prosequitur, quas si pro meis hic infarcirem, Horatianæ forsan corniculæ videri possem oblitus.

2. Feudum quis bifariàm nancisci poterit, videlicet & successione, & inuestitura, vt hic. Sed proprius dicitur, feudum acquiri noua inuestitura, successione verò, maiorum prouidentia acquisitum, veteris inuestituræ renouatione, ad posteros deuolui. Porrò, fit etiam nonnunquam, vt sine inuestitura acquiratur: tali tamen interueniente actu, qui legitimæ inuestituræ fungatur officio. vt infrà, de consuetu. recti feu. in princi. de quo vide suprà, quib. mo. feudum constitui potest. Præterea, non successione duntaxat, sed & præscriptione feudum acquiritur. vt suprà, de vsu Mediola. c. vni. & c. si quis per triginta. infrà, si de feu. defun. conten. sit inter domi. & agna. vasal. Et quidem non solùm successione mortui vasalli, sed & priuatione eiusdem, ob culpam dominum non respicientem commissam, feudum proximiori agnato defertur. de quo dictum est suprà, quib. mo. feu. amit. §. aut si libellario. num. iij.

Quid sit Inuestitura. Titulus II.

§. INVESTITVRA autem, aut fit de veteri beneficio, aut de nouo. Quæ de veteri fit, etiam à minori potest fieri: siue autem à minori, siue à maiori fiat, non de omni possessione vasalli, sed de iusta tantùm facta intelligitur: nisi aliud nominatim dicatur. Noui verò inuestitura feudi non ab alio rectè fit: nisi ab eo, qui legitimè bonorùm suorum administrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare, is nec per feudum poterit inuestituram facere.

Inuestitura generis est duplicis, altera propria, abusiua altera. Propria, seu propriè dicta, est corporea ipsa rei feudalis possessio. Abusiua verò est vmbra quædam & typus eius, veluti quum dominus quid corporeum tradens alicui, dicat se eum hoc pacto de feudo inuestire: quæ quidem abusiua inuestitura ita demùm subsistet, si coram duobus vasallis (modò inuestiens vasallos habeat) legitimè concedatur. Alioqui coram aliis facta, corruit.

1. Inuestitura propriè dicta feudum pleno iure acquiritur. infrà, de consuetu. recti feu. in princi. Itaque post eam, nulla amplius abusiua fuerit opus, corpus enim vmbra potius est, traditáque possessione ipsa, nihil vlterius consequendum restat. Perquàm rectè igitur Ioannes Papa, quanquam alio fine, maius esse testatur, possessionem dare, quàm inuestituram cócedere. c. visis. xvi. q. ij. inuestituram intellige abusiuam. Ea siquidem nullam inuestito tribuit possessionem. c. per tuas. & ibi gloss. super verbo, possessionem. de donatio. sed ius quoddam memorabile ad possessionem adipiscédam. Nam facta tali inuestitura, & fidelitatis iuramento subsecuto, omnimodo cogitur dominus inuestitum in vacuam mittere possessionem. Quod si differat, omnem vtilitatem, quam ex re protinus tradita consequi potuisset, ei

 præstabit.

præstabit §. vlti.infrà,de no.for. fide. Et adeo quidem illa nectit stringitque inuestientem, vt ad ipsam rei inuestitæ traditionem specificè obligetur.c.si facta. infrà, si de feu.defun.conten.sit inter do.& agna.vasal. De hac materia copiosius disserui in c.i.suprà, si de inuesti.feu.controuersia fue.nume.i. Verùm enimuerò, si abusiua inuestitura ipso sub conspectu rei feudalis fiat, possessionem eius transferri, Andreæ de Yser. sententia est, per c. i. in de consue.rec.feu. quum iure quoque ciuili cautum sit, si vicinum mihi fundum mercatum venditor ex mea turre demonstret, vacuámque possessionem se tradere dicat, non minus possidere me incipere, quàm si pedem finibus intulissem. l.quod meo §. si venditorem. ff. de acqui.vel amit.posses. Idem iuris esse dixerim, si fiat cum clauibus, apud arcem, domum, villam, aut horreum feudale contraditis.secundum Andream de Yser.& Aluaro. per l.clauibus. ff.de contra.emp. Vbi clauibus traditis, ita mercium in horreis conditarum possessio tradita videtur, si claues apud horrea traditæ sint. Quo facto emptor confestim dominium & possessionē adipiscitur, etiamsi non aperuerit horrea. Alioqui regulare est, abusiua facta inuestitura, etiam propriam, hoc est, ipsam realem possesionis apprehensionē subsequi oportere. vt suprà, si de inuesti.feu.contro.fue.in princip. vbi post factam inuestituram, per dominum mittendus est inuestitus in ipsam feudi possessionem. & d.§. vlti. de no. for. fideli.

2. Inuestitura abusiua præsentibus vasallis duobus, modò eos habeat dominus solenniter, seruatisque seruandis concedi debet.vt hic. Et si vnicum fortè duntaxat habeat, is non fuerit prætermittēdus, sed adiuncto alio adhibendus, secundū Bal.hic. Proindè, si fortè absint pares vasalli, eos fore expectandos, nemo ignorabit §. quod aūt dictum est.infrà, de cōsue.recti feu. Vocandi itaque sunt absentes, non tam quod eorū intersit, ne scilicet discolum ineptúmque parem acquirant ignorātes, vt Bal.dixit, quàm quod ad inuestituræ subsistentiam, eorū præsentia, placitis feudalibus, vt necessaria desideretur. Verùm si vel ita absint, vt eorū copia penitus nequeat haberi, vel tam longa itinerū intercapedine sint disiuncti, vt nisi prolixo temporis interuallo redire non posint, sine eis inuestiturā factam subsistere æquitas suadet: Idque ne dominus tam vtili, imò necessario nonnunquam vasalli vsu periculosè fraudetur absentia aliena.arg.c.vnici §. vlti. ne sede vacante. lib.vi. Porrò, si pares absentes vocati adesse nollent, sine eis inuestitura facta valeret.secūd. Bal.& Alua.argu.l.si legatorio. ff.de fideicommis.liberta. Sed ego arbitror, hac specie tergiuersantes, per dominū feudi, mulcta indicta, pœnalique iudicio ad comparendum cogendos esse.arg.l.vnicæ.ff.si quis ius dicen.non obtempe.& in §. proximè sequēti, in verbo, dn̄o cogēte. & ibi glos. inf.eo.tit. Quum enim absque eorū præsentia, tanquam necessaria actus solennitate talis inuestitura regulariter fieri non cōcedatur, sitque in manu domini, vt iurisdictione sua renuentes in ordinem redigat, & in rei necessariæ pertrahat obsequium, non video, quare feudali huic dispositioni fieri satis non debeat.

3. Si habens vasallos, non eos, sed extraneos, abusiuæ adhibeat inuestituræ, quod actum est, nullius fuerit momēti.vt hic. Deficiente igitur requisita testium qualitate, inuestitura coram eisdē facta, irrita est ipso iure, nec ex ea, vel naturalis, vel ciuilis aliqua nascitur obligatio.secund.Bal.hic. Tex.enim hic nō solùm statuit, inuestiturā vasallis testibus fieri oportere, sed etiam cōsequenter, si cōtrarium fiat, actum annullat. Sic & iure ciuili generaliter obtinet, vt cōtractu, iure prohibente, inito, & per legem irritato, dominium nullum rei traditio pariat.l.quemadmodum. C.de agrico.& censi.lib.xi.

§. Si

§. Si enim domino adhuc in poßeßione constituto, an facta sit inuestitura quæratur, non debet probare, nisi per pares curtis illius domus, vel per publicum instrumentum, à tribus vel à duobus paribus confirmatum. Nam si instrumentum defecerit, vel quia factum non fuerit, vel quia amißum sit: tunc qui probare desiderat, pares curiæ illius, qui interfuerint, offerat. Qui si denegauerint, fortè corrupti odio vel gratia, seu precio, & dicant, se non interfuiße, cùm inuestitura facta fuerat, vel non reminisci: tunc domino cogente iurent, tactis sacrosanctis scripturis, quòd huius rei veritatem nesciant: & tunc actor aut alios producat pares, aut iurisiurandi domino detur electio: vt proindè iuret, inuestituram factam non esse: aut sacramentum vasallo referat, & ille aut iuret, aut acquiescat. Quòd si iurare pares aliqua ex causa recusauerint, nec dominus eos iurare compellat, liceat vasallo etiam per extraneos probare inuestituram. Testibus verò deficientibus, iurisiurandi electio domino detur.

Hic ratio aßignatur eius, quod præcedens habet §. quare scilicet inuestitura abusiua, præsentibus vasallis duobus, à domino fieri debeat. Etenim hoc fit ea dè causa, quòd per eos res gesta probationem accipiat. Proindè si vasallus se de re quapiam feudi nomine (quam dominus adhuc posſidet) inuestitum esse, eiúsque corporalem possessionem sibi tradi oportere contendat, intentionem suam aut per duos curiæ illius pares, aut per publicum instrumentum, duorum vel trium parium in scriptorum testimonio confirmatum, probare cogitur. Si verò nullum extet instrumentum; vel quia confectum non sit, vel quia casu quopiam interierit, inuestitus testimonio curiæ parium, qui interfuerunt rei gestæ, inuestituram probabit. Qui si vel odio deprauati, vel gratia precióve corrupti, testificari recusent, & se non interfuisse, vel non recordari inuestituræ dicant, per dominum fuerint cogendi, vt tactis sacrosanctis scripturis, iurent sibi illius non constare veritatem. Quo facto, vasallus, si alios habeat pares rei gestæ consocios, eos producere poterit. Si verò nullos habeat, in domini erit electione, vt aut iuret, se non fecisse inuestituram, aut vasallo iuramentum deferat, eam factam esse iuraturo, isque vel iurare cogitur, vel à petitione sua desistere. Porrò si pares præfato modo iurare tergiuersantes, dñs ad perhibendum testimonium veritati, iurisdictione sua, vt tenetur, non compulerit, hoc pœnæ feret, quòd etiam per extraneos testes, contra eum de facta feudi inuestitura probare vasallus poterit. Qui si omninò planéque testibus destituatur, iudex arbitrio domini committet, velit ne ipse iurare, non factam esse inuestituram, an iuramentum aduersario contrarium iuraturo deferre. Intellige hæc, si quid sit, quod moueat iudicis animum ad huiusmodi iuramentum deferendum: alioqui actore vasallo nihil probante, dominum absoluendum fore, notißimi iuris est. per ea quæ habentur in §. sacramentum. inf. de consuetu. recti feu.

1. Vasallus asserens sibi abusiuam factam esse inuestituram, eiúsque ratione in corporalem rei feudalis possesſionē se mittendum esse contendens, domino id negante, cogitur inuestituram probare, vel duorum parium viuæ vocis testimonio, vel instrumento publico, à tribus vel duobus paribus confirmato, hoc est, quod vel subscriptione eorum, vel nominum insertione fuerit roboratum, quum eo ipso, quòd tanquàm testes rei gestæ sint inscripti instrumento, eidem testimonium præbere iuris fictione censeantur. secundum Bal. Quòd autem hic instrumentum publicum dicitur, alibi breue testatum appellatur. secundum Aluarotum.

2. Si instrumentum inuestituræ casus quispiam absorpserit, eam vasallus per testes, qui interfuerint, probare poterit, vt hic. qui si testificari nolint, per dominum sunt cogendi. Ex quo collige, dominum, si iurisdictionē habeat in testes, eos compellere posse ad proferendum testimonium veritatis. Porrò tametsi testes extra iudicium, se inuestituræ adfuisse negent, vel illius se non reminisci dicant, tamen cogendi nihilominus fuerint per dominum, in iudicio testimonium proferre, & tactis sacrosanctis scripturis iurare, se rei veritatem nescire. vt hic. Et inquit hic Baldus, Qui non reminiscitur hodie, poterit reminisci cras. Hoc magnum obtinet momentum, vt ait, ad defendendos testes, qui interrogati, in vna causa, dixerunt, se non recordari, & in alia, super negotio gesto, testimonium, velut recenti memoria, protulerunt: mihi tamen hi testes, quorum ita anceps fides vacillat, non mediocriter suspecti forent. arg. l. eos qui §. de imprudentia. ff. ad l. Cor. de fal. Sed quod de iureiurando tactis sacrosanctis scripturis hic dicitur, Aluarotus consuetudine fori metitur, asserens iuramentum, etiam tactu sacrarum scripturarum non vallatum, æquè validum fore, cùm ad cor iurantis respiciat Deus. Sed Baldus ei refragatur, adeò, vt etiam testium dicta in causa feudali scribentem velit hoc specificè exprimere, videlicet testem ad sancta Dei Euangelia corporaliter, tactis sacrosanctis scripturis, iuratum deposuisse: & gloss. in verbo, tacta, in fine. in clemen. 1 §. Porrò, de hære. in clemen. non approbat consuetudinem, vt iurari possit, non tactis Euangeliis, quando tacturam Euangeliorum iura desiderant. & glos. prima. in §. Item facta puberum. inf. de pace tenen. inter subdi. & iura firman. inter cætera fatetur, plus operari tacturam libri, ratione (vt inquit) maioris solennitatis. Et profectò id hoc seculo obseruare expediret, quo vt Euangelion omnibus est in ore, ita & in pectore omnibus esse vehementer optârim.

3. Quanquàm sit regulare: nouam inuestituram per curiæ pares probari oportere, tamen ob domini malitiam negligentiámve, productos pares ad testimonium proferendum non cōpellentis, admittitur, vt in odium eius, etiam per extraneos testes inuestituram vasallus probare possit. vt hic. Et quemadmodum extranei illi, si fortè recusent testificari, per superiorem iudicem ordinarium fuerint compellendi. c. 1. sup. si de inuesti. inter do. & vasal. ita & pares tergiuersantes, & per dominum non compulsi, petente vasallo per superiorem quoque compellentur, eo scilicet casu, quo per extraneos inuestituram probare non quiuerit. Nam quamuis text. hoc beneficium ei præstet, vt domino non compellente pares ad testificandum, possit per extraneos probare, non tamen prohibet quo minus pares hic recusantes, & non compulsi à domino, per maiorem iudicem in ordinem redigi, & ad veritatem dicendam cogi possint: alioqui enim quod in fauorem vasalli cōcessum est, in odium eius retorqueretur, quod esse non cōuenit, cùm hoc quod pro quibusdam introductum est, inferre eis iacturam, minimè rationi conueniat æquitatis. l. plures apochis. in fine. C. de fide instrumento. Idem fuerit secundum Baldum, hic in fine. si vasallus per solos pares (& si posset per extraneos) probare vellet, nam renuentes omnino à superiore ad ferendum testimonium compelli poterint. Insuper, cùm gloss. vlti. hic adstruat, proprietate feudi dominum priuandum, ob hanc denegatam vasallo iustitiam, quòd videlicet testes ab eo productos ad iurandam rei veritatem non compulerit, Aluarotus hoc ita simpliciter non recipit, sed in arbitrio id fore iudicantis opinatur. Ego nec glossæ, nec Aluaroto asti-

pulandum reor. Quo enim pacto, hac specie, domino feudi adimetur proprietas vasallo nimirum applicanda, cùm adhuc non constet, vtrùm sit vasallus, vllúmve feudum ei competat? Quinimò, etsi hoc ipsum constaret, tamen ægrè dixerim, ob hanc causam dominũ proprietate casurũ, cùm tex. hic satis habuerit statuisse, vasallum intentione sua probata, feudi, quod petit, possessionem consequi debere: Eóque magis, quòd hic casus inter eos nusquàm sit comprehensus, quibus secundum placita feudalia, ius feudi dominus amittit. Quæ sententia & Baldo probatur.

§. Si verò vasallus quidem possideat, vel si feudum cameræ aut cauenæ in duabus seu tribus acceptionibus quietis, quasi possideat, dominus autem feudum negans esse, rem suam petat, vel quod de camera vel cauena bis vel ter (sicut diximus) iam solutum est, deindè soluere renuat. Tunc non est opus probatione: Sed possidenti data electione, aut iuret suum esse feudum rectum: aut domino referatur iusiurandum.

Si vasallo feudum possidente, vel quasi, videlicet, duabus aut tribus vicibus annuo redditu, feudi nomine, ex camera seu cauena dominica, recepto quietè, dominus id feudum esse neget, quasique suum repetat, & deinceps redditum illum annuum soluere recuset, in vasalli possessoris erit arbitrio, velit ne ipse iurare, se de eo ceu recto feudo legitimè esse inuestitum, an domino contrarium iuraturo sacramentum referre.

1. Vasallus in feudi possessione existens, eam iureiurando tueri poterit, iurando scilicet, inuestitum se de eo legitimè fuisse, vt hic. Quod tamen accipe, si annali ad minus spacio, in feudi possessione constitutus fuerit quiete, domino sciente & patiente, & ab eo tanquam vasallo seruitia & obsequia recipiente consueta, vt inf. de consuetu. recti feudi. post princi. & §. vlti. sup. si de inuesti. inter do. & vasal. lis oriatur. Idem iuris existit, si in quasi possessione fuerit iuris incorporalis feudi, ita vt bis térve, quietè ex camera, aut cauena dominica, annuum quid feudi titulo receperit, nam hoc probans, similiter per iusiurandum, suam quasi possessionem defendet, vt hic. Præsumunt enim placita feudalia ex possessione annali, ac repetita annua præstatione, vasallum legitima inuestitura feudum esse consecutum: Cuius intuitu præsumptionis, fit vt sacramento stetur possidentis. Porrò, si vasallus his solitis præstationibus spolietur, ei quoque interdictum possessorium competere, Nicolai Neapolitani sententia est, adinstar fructuarij, cui interdicto vndè vi succurritur, si vti frui fundi fructu prohibeatur. l. iij §. cùm procurator. versicu. vndè vi interdictum. ff. de vi & vi arma.

§. Si autem inuestitura ab eo qui vasallos non habebat, dicatur facta, tunc per quoslibet idoneos testes, aut per publicum instrumentum probari potest: aut inopia probationis emergente, res decidatur per iusiurandum.

Inuestitura vasallo, à non habente curiæ pares, concessa, vel per extraneos testes, vel per publicum instrumẽtum probari poterit. Inopia verò probationis, per iusiurandum res dirimetur. secundum formam traditam in §. sacramentum. inf. de consue. recti feu.

Ex hoc textu primò collige: ob necessitatẽ, tum à lege, tum à consuetudine licitè recedi: Etenim tametsi secundum placita feudalia, inuestituram nouam per curiæ pares probare conueniat, parium tamen defectu, necessitas cogit, vt ab illis discedatur, sicque extraneorum admittantur testimonia, idque ne probationis angustetur facultas. de quo latius suprà de conten.

inter do. & vasal. de inuesti. feu. Secundò collige, ob probationis inopiam, ad iurisiurandi religionem confugiendum esse, de quo etiam latius ibidem disseruimus. & in l. bonæ fidei. C. de reb. credi. & iureiuran.

§. Præterea si aliquis tenor, præter communem feudi rationem in inuestitura à domino dicatur interuenisse: vel si dicatur feudum sub tali conditione dedisse, vt vasallus in festiuis diebus vadat cum vxore sua ad ecclesiam: omni facultate probandi domino adempta, habeat vasallus potestatem defendendi se, per sacramentum. Item si vasallus per pactum speciale contra feudi consuetudinem allegat, veluti de filiarum successione: liceat ei tenorem, si potest, sicut inuestituram probare. Quòd si in probatione defecerit, vel cessauerit, concedatur dominò hoc denegare iureiurando præstito.

Si dominus præter cõmunem feudi rationem, pacti conditionisve alicuius tenorē, inuestituræ adiectum esse contendat, veluti si ea lege feudum se cuipiam dedisse afferat, vt vxorem diebus festiuis ad diuina euntem honoris gratia prosequatur, eius probatio afferenti incumbit, quo omnino probationibus destituto, vasallus iureiurando se defendet contrarium affirmaturus. Pari modo clientulus insolita conditione, pactóve, contra feudi consuetudinem, inuestituram sibi datam esse prætendens, videlicet vt feudum etiam ad filias successione deferri posit, vel simile quid, legitimè hoc probare debet: quo non probante, dominus, iureiurando præstito, eius inficiandi habebit facultatem.

1. Hoc tex. perspicuum est, pacta insolita, & contra feudi consuetudinē, prętérq; communē eius rationē concessioni feudali adiici posse, eáq; niti plena roboris firmitate, & inconuulsè esse obseruanda, cui congruit quod habetur infrà. In quib. cau. feu. amit. in fi. de quo vide latius suprà, de feudi cogni. §. i. nume. ij. modò tamen ea pacta non sint vsibus feudorum expressè damnata, vel alioqui impossibilia de iure, vel de facto, nec probrosa, nec inhonesta, cùm & honestatis habendam esse rationem, feudorum dictent placita. infrà, de for. fide. versicu. honestum. & Insti. de inuti. stipula. §. si impossibilis. & §. quod turpi. cum simili. Cæterùm si turpi interueniente pacto, feudi dominus alicui inuestituram concesserit, hanc ab eodem non reuocabit, secundum Andream ab Ysernia. argum. l. iij. iiij. & penulti. ff. de condict. ob turpem cauf. sed commutandum fuerit illud pactum in licitum aliquod & congruum seruitij & obsequij genus. Idq; ne omnino ociosè feudum hoc apud accipientem consistat, eique gratis lucro cedat, secundum Iacobum Ardizo. quod & Aluaro. refert. argumen. l. legatum. ff. de vsufruct. lega.

2. Quandoquidem hic tex. mentionē facit eius pacti, quo vasallus astringitur, vxorem domini festiuis diebus ædem sacram petentem comitari, siue honoris gratia deducere, sciendum est, ad hoc vel simile quid eum non obligari, si ampliores fortunas consecutus, salua dignitatis ratione, talia obire non posset. Idem iuris obtinebit, si vel senio, vel infirmitate, vel alia quapiam probabili causa impediatur, quo minus feudi muniis, obsequiisve superesse queat, modò tamen opera aliena functionibus illis satisfieri curet. arg. l. vlti. non procul à princip. versicu. alios pro se quos voluerint adiutores surrogare. C. de proxi. sacro. scrinio. lib. xij. & l. ad similitudinem. C. de Episcopis & cleri. vbi illustrem nacti dignitatem, per substitutos, periculo suarum facultatum, curiæ muneribus satisfacere iubentur. Quod & Iacobus Ardizo. latius prosequitur.

3. Quum

3. Quum semper præsumendum sit, feudum concedi secundum propriam eius naturam, & communia placita feudorum, consequens est, vt allegantem pacta inconsueta feudali concessioni interuenisse, eius rei probatio maneat, siue is dominus, siue vasallus fuerit: Quo probatione destituto, res per sacramentum aduersarij dirimetur. vt hic. Si itaq; dubitetur, qua conditione & lege feudi inuestitura concessa sit, interpretabimur & dominum dedisse, & vasallum feudum recepisse, secundum feudi naturam ac consuetudinē, vel in loco vigentem, vel placitis feudalibus comprehensam, nisi aliter se rem habere probatum fuerit. de quo hic per Bal. & Doctores.

Per quos fiat inuestitura.

Titulus III.

§. INVESTITVRA autem, aut fit de veteri beneficio, aut de nouo. Quæ de veteri fit, etiam à minori potest fieri. Siue autem à minore, siue à maiore fiat, non de omni possessione vasalli, sed de iusta tantùm facta intelligitur: nisi aliud nominatim dicatur. Noui verò inuestitura feudi, non ab alio rectè fit: nisi ab eo qui legitimè bonorum suorum administrationem habet. Qui enim qualibet ratione aliquid de suis rebus impeditur alienare: is nec per feudum poterit inuestituram facere.

Inuestitura alia est feudi noui, alia feudi antiqui. Hæc tam à maiore, quàm à minore vigintiquinq; annis concedi potest, non tamen eadem qualibet, sed iusta duntaxat possessio confirmatur, nisi expressè aliud sit actum, quod intellige quo ad præiudicium inuestientis, non quo ad præiudicium tertij, vt infrà, num. ij. Inuestituram autem noui feudi ille largitur, cui competit legitima bonorum suorum administratio. Qui verò res suas alienare prohibetur, etiam nouum feudum per inuestituram concedere vetatur.

1. Inuestitura quæ conceditur ratione feudi antiqui, nihil aliud est, quàm renouatio veteris inuestituræ, quæ vel domino, vel vasallo mortuo peti ac concedi solet infra annum & diem. de quo infrà, quæ fuit pri. cau. benefi. amit. in princip. vel infra annum & mensem, si vasallus sit miles. suprà, quo tempo. miles inuesti. pe. de. Hanc domini hæres, etiam minor vigintiquinq; annis concedit, quum hoc pacto nihil alienare, aut tribuere, sed quod à maioribus feudi nomine, alienatum aut tributum est, solum confirmare censeatur, secundum glos. i. Bal. & Aluaro. hic. Attamen tutoris curatorisve accedente autoritate, minores, siue pupilli, siue adulti, prælibatam inuestituræ antiquæ renouationem præstabunt, modò vel tutorem, vel curatorem acceperint, alioqui ipsi soli eam concedere poterint. secundum Aluarot. quanquàm eius occasione læsi in integrum restitutionis beneficium (vt idem inquit) flagitare possint. l. si curatorem habens. C. de in integ. resti. mino. Hoc postremùm in adulto probabiliter obtinet, sed quantum ad pupillum attinet, Petrus Rauennas hic in compendio arbitratur, iudicem hac specie tutoris vice functurum. argumen. l. bonorum quidem. iuncta glos. vlti. C. qui admit. ad bono. posses. possunt. & l. si infanti. in fi. C. de iure delibe. cui applaudit distinctio Angeli Perusini, in d. l. si curatorem habens. C. de in integ. resti. mino. in fi. verùm tex. hic nulla tutoris curatorisve facta mentione, permittit minori huius inuestituræ faciendæ potestatem, idq; nimirũ ea ratione, quòd hic præiudicij nihil concilietur minori, quum nil tribuat, sed quod iustè à maioribus tributum est, solùm confirmet. Cæ-

terùm, si pupillus sit infans, hoc est, minor septem annis, non ab eo, sed à tutore eius præfatam inuestituræ renouationem petendam esse constat. argu.d. l. si infanti. versicu. parente vero. C. de iure deli. Quemadmodum eadem quoque non à furioso, sed à curatore eius fuerit obtinenda. nam furiosus nullum negotium contrahere potest. l. in negotiis contrahendis, quæ & quinta est. ff. de regu.iur. quod intellige eo tempore, dum furoris stimulis accenditur: in mediis enim interuallis, ipsóque morbi laxamento, solus ipse inuestituram concedet, quum & tunc omnia alia facere permittatur, quæ sanis hominibus competunt. l. cum aliis. C. de curato. furio.

2. Inuestitura hæc, de qua in tex. id est, veteris inuestituræ renouatio, non quamlibet possessionem feudi, sed iustè duntaxat à vasallo obtentam roborat & confirmat, vt hic. Quod Bal. ad generalem confirmationem priuilegiorum porrigit, vt scilicet per eam iusta duntaxat priuilegia censeantur confirmata, non autem iniusta, aut alioqui legibus & iuri cōtraria. Item confirmatio seu innouatio priuilegiorum ius nouum non tribuit, sed quod inuenit, fouet & cōseruat. c. quia intentionis. de priuile. c. cùm dilecta. de cōfir. vti. vel inuti. cum similib. nisi aliter constaret de mente ac voluntate confirmantis, secundum eundem Bal. Porrò verba, illa textui præsentis §. inserta, videlicet nisi aliud nominatim dicatur, eum obtinent sensum, vt iniusta possessio respectu inuestientis, & quo ad eius præiudicium, possit per inuestientem nominatim & expressè vasallo confirmari, veluti si vasallus quispiam guardiæ aut castaldiæ feudum obtinuisset, hócque ipse vel eius hæres postea titulo recti feudi, aut inscio, aut inuito domino possedisset, vel si feudum ob feloniam amissum, pari modo, iniustè scilicet in domini fraudem, detinuisset: nam tametsi hanc iniustam possessionem dominus renouando, inuestiturā neutiquam videretur confirmasse, tamen speciali gratia hoc agere posset, vt talis quoque iniusta possessio per inuestituram approbetur. Non autem intelligas, vt iniusta possessio in præiudicium & respectu tertij per dominum possit confirmari, hoc enim ab omni ratione exorbitaret, quum ne Princeps quidem rescribere aut concedere quidquā præsumatur in præiudicium iuris alieni. l. ij. §. si quis à Principe. ff. ne quid in loco pub. l. rescripta. C. de precib. Impe. offe. quare non immeritò inuestituræ renouationi illa consueuit adiici clausula: iure quorumcunque semper saluo.

3. Quemadmodum liberam bonorum suorum habenti administrationem, permittitur feudum per nouam inuestituram concedere, ita reciprocè prohibetur ei, qui res suas alienare vetatur, vt hic, ex quo collige prohibitum alienare, non posse infeudare, sicque secundum glos. hic alienationē propriè dici, non solùm quum proprietas, verùm etiam quum vtile dominium alienatur. Proindè pupillus feudum per nouam inuestiturā non concedet, tametsi tutoris accedat autoritas. secundum Aluaro. hic. Regulariter enim tutore autore, à pupillo facta donatio non valere pronunciatur. l. i. post princip. ff. de tute. & ratio. distrahen. Feudi autem noui concessio, est quædam ex beneuolentia proficiscens donatio. vt. infrà, in quib. cau. feud. amit. in fine, & in c. vni. sup. de feudo dato in vicem le. commis. repro.

§. Sed etiam res, cuius alienatio prohibetur: nec per beneficium dari conceditur: nisi in casibus, vt ecce si quis ex agnatis tuis rem quæ à communi parente, per successionem ad eum peruenerit, alienare voluerit: Non permittitur ei etiam secundum antiquam consuetudinem alij vendere: nisi tibi vel alij proximiori, pro æquali precio accipere volenti. Per feudum tamen cuilibet dare potest, nisi

nisi fiat in fraudem nostræ consuetudinis, vel legis nouæ, bonæ memoriæ Lotharij, vel Friderici Imperatoris. Tunc enim rescissa inuestitura, reddito à te, vel ab alio proximiori, videlicet secundum antiquam consuetudinem precio, Si quod dederit is qui inuestituram accepit, compellatur rem tibi restituere.

Regulare est, rem prohibitam alienari, non posse in feudum dari. At vasallus feudum paternum bifariàm à se abdicare potest: primo, si hoc proximiori det agnato, aut etiam eidem tantum, quantum ab extraneo accipi posset precium obferenti diuendat. Tametsi enim communibus feudorum placitis, rem feudalem alienare prohibeatur, modò tamen prælibato dare & vendere conceditur. Secundó, si alij cuipiam suum feudum, feudi nomine obtinendum concedat, hoc est, subinfeudet: nam & hoc ei licet, nisi ea inuestitura concessa fuerit in fraudem legis & consuetudinis, veluti precio accepto, sicque illicita feudi venditio fuco tituloque gratuitæ infeudationis palliatur: quòd si fiat, feudum hoc recuperabit proximior agnatus, precium tamen, secundum antiquam consuetudinem, restituens.

1. Res quæ alienari vetantur, eædem quoque in feudum dari prohibentur, quum infeudatio ipsa sit species quædam alienationis, perque eam vasallo vtile dominium acquiratur, vt dictum est §. præcedente.

2 Vasallus proximo suo agnato paternum feudum rectè vendit, vt hic, etiam domino irrequisito: talis enim venditio non tam alienatio, quàm quædam quasi refutatio censenda est. infra, de alie pater. feu. in princi. Et talis venditio seu infeudatio in proximiorem agnatum facta, non reuocatur morte infeudantis, vt dixi in §. Rursus. nu. vltimo. sup. si de inuest. feu. contro. fue. Cæterùm si vasallus non agnato, sed extero feudum suum (domini accedente consensu) vendere paret, præferendus vtique fuerit agnatus extero cuicunque, modò tantundem numerare velit: idque agnationis iure, vt hoc tex. quod si tantundem soluere recuset, alij feudum rectè vendetur, vt satis hic tex. à contrario insinuat, quod & Bal. & Aluarotus probant. argu. l. qui Romæ. §. Cohæredes. ff. de verbo. obliga. modò domini accedat consensus. alioqui enim feudo caderet & venditor & emptor. l. vni. infra, de prohi. feudi aliena. per Frederi. sed meminisse oportet, venditionem prælibatam post venditoris obitum vires non porrecturam, proinde feudum sic diuenditum reposcere poterint agnati, & quidem precio non restituto. c. Titius. infra, si de feu. defunc. conten. sit inter domi. & agna. vasal. nisi in eam venditionem consensissent. c. i. in princip. infra, de pater. feu. aliena. Verùm enimverò si agnato iustum quidem precium obferente, vberiorem pecuniæ quantitatem exterus polliceatur, eum agnato potiorem fore in feudo consequendo, Aluarotus hic concludit, dummodo fraus & collusio non interuenerit, cui applaudit id quod tractat Bal. in l. ij. in fi. C. de rescin. vendi. Nam & iure ciuili, res tāti æstimanda est, quanti emptorem potest inuenire. l. si quis vxori. in fi. ff. de furtis concor. l. si seruus fugitiuus. versi. quod si pendente. ff. de condic. furti. si tamen agnatus cum extraneo licitatore colludens, precium immoderatum exposcat, quid iuris, dixi in §. Porrò, nume. i. infra, quali. olim pote. feu. alie.

3. Vasallus etiam sine voluntate agnati, dominique consensu feudum suum extero licitè infeudat, de quo latius disserui in §. Rursus. nu. i. sup. si de inuest. feudi contro. fue. vbi inter cætera hoc obtinere dixi, si infeudatio talis fiat remota procul illa machinatione, qua sub colore inuestituræ, & infeudationis prætextu, accepto precio in alios feudum transfertur, contra

§. cal

§. callidis. infra, de prohi. feudi aliena. per Frederi. cuius etiam mentionem hic facit tex. decernens irrita tali inuestitura, proximo agnato feudum cessurum, dummodò precium restituerit, idq; secundum consuetudinem antiquam, vt hic dicitur. Quæ tamen iure recentiore abrogata est. Scriptum est enim, vt tale quid in fraudem legis machinans, precio ac beneficio se cariturum agnoscat, vt infra, de prohi. feu. aliena. per Lotha. in fi. & in d. §. callidis, dicitur, quod tam emptor quàm venditor in præfata scilicet specie, feudum amittant: nisi dicamus, illas leges duntaxat obtinere in emptore malæ fidei, ac fraudis participe: præsenti verò textui locum esse in bonæ fidei emptore, & talis machinationis ignaro, vt ei scilicet precium solui debeat ab agnato feudum reuocante. Et secundum hunc intellectum, dum hic in textu dicitur, secundum antiquam consuetudinem, supple, etiam nunc obtinentem, quum mutata esse non videatur, sicque & hic locum vendicet illud, scilicet: quòd non mutatur, cur stare prohibetur? l. sancimus. C. de testa. Porrò si ritè, & absque fraude quis feudum suum extero infeudet, ea infeudatio post vitam infeudantis eiusque filiorum euanescet, & ad proximiores agnatos feudum deferetur. secundum Specula. ti. de feud. §. quoniam, versicu. xxxviij. quæritur. Resoluto enim iure datoris, resoluitur ius acceptoris: Quod Andreas ab Ysern. & Aluaro. hic fusius prosequuntur, & nos nonnihil attigimus in d. §. rursus.

4. Denique hic textus momentum obtinet ad confirmandam nostrorum interpretum opinionem, videlicet feudum antiquum illicitè alienatum, non ad dominum, sed ad proximos deuolui agnatos. Nam, vt hic patet, infeudatione in fraudem legis Lotharij, aut Frederici facta, feudum proximiori agnato nihilominus restituitur: de quo latius dixi in §. hoc quoq;. nu. ij. supra, de succes. feudi.

§. *Personam verò inuestituram accipientis non distinguimus, nam etiam seruus inuestiri poterit, nisi ignorantia prætendatur.*

Quantum ad adipiscendam feudi inuestituram attinet, inter seruum & liberum nihil interest, nam & seruus à domino eius conditionis non ignaro, feudi inuestituram rectè accipit.

1. Quemadmodum ingenuus, ita seruus & proprius & alienus de feudo inuestiri potest. vt hic. Si proprius inuestiatur, dando ei feudum, & libertatem dominus dedisse videbitur. argu. l. idem Vlpianus. §. vlti. ff. de excusa. tuto. & l. quidam consulebant. versicu. dando magistratum omnia agere decreuit. ff. de re iudica. Alioqui enim absurda & frustratoria illa foret inuestitura. Si verò seruus alienus suæ personæ, non domini contemplatione, de feudo inuestiatur, idq; serui dominus sciat, & permittat, libertatem vnà cum feudo consequetur. argu. l. super seruis. versi. sin verò scientibus his serui militauerint. C. qui milita. possunt. lib. xij. at si domino serui ignorante, aut ipsius intuitu domini, talis inuestitura à quopiam concedatur, feudum domino acquiretur per seruum, velut organum, & in seruitute permanentem: quum & feudum per interpositam personam acquiri possit. vt infra, in §. seq. Sicut igitur iure ciuili, testamenti factio cum seruis (vt scilicet hæredes institui possint) ex persona dominorum introducta est. l. non minus. ff. de hæredi. instituen. ita & placitis feudorum, hac specie inuestitura cum seruis, ex persona dominorum introducta censebitur. Ipse enim seruus, qui in potestate alterius est, nihil suum habere potest: quare nobis acquiritur, quod serui nostri ex traditione nanciscuntur, siue quid stipulentur, vel ex donatione, vel ex legato, siue ex qualibet alia causa acquirant. §. item vobis

acquiri-

acquiritur. Insti.per quas personas no.acqui. Verùm si res in ambiguo versetur, serui ne, an domini contemplatione inuestitura sit concessa, domino serui feudum acquiri probabilius est. Præsumitur enim inuestiens vasallum liberum, quàm seruum maluisse, sicque non serui personam, sed organum duntaxat elegisse. Hæc aliquanto solidiora sunt, quàm ea, quæ post alios, hic consarcinat Aluarotus.

2. Si dominus feudi, liberum putans, inuestituram seruo concesserit, quod actum est, nullius fuerit momenti: quum errore tali ipsa quoque connubia dissoluantur. Nam si ingenuus ingnoranter ancillam ducat vxorem, eámque re detecta, à seruitute redimere nequeat, irritum erit matrimonium, & cum alia nuptias liberè contrahet. c. si ingenuus. xxix. q. ij. quorum ea est ratio, quòd nullus errantis sit consensus, nulláque voluntas. l. cùm testamentum. cum l. seq. C. de iur. & fac. igno.

§. *Sed vtrùm ipse, vel alius pro te, inuestituram faciat, vel suscipiat, nihil interesse putamus. Potest enim hoc negotium, & per Procuratorem ab vtraque parte expediri.*

Inuestitura, per interpositã personã tam præstari, quàm accipi potest.

1. Huic textui consonat §. Item inuesti. de notis feudo. vbi tex. Inuestitura per se & suum nuncium dari & accipi potest. Quare & fidelitatis sacramentum, per procuratorem, speciali tamen suffultum mandato, præstari posse, crebrior habet opinio, secundum Iacob. de sancto Geor. in tracta. feu. in glos. verbi, præstiterunt sacramentum fidelitatis. Cui & Bal. adstipulatur in §. nulla. infrà, eo. tit. versi. vel dic quòd procurator. & in l. vnica §. ne autem, circa fi. versicu. sed nunquid iuramentum fidelitatis. C. de cadu. tollen. quanquam alibi contrarium adstruxerit. Præfata autem DD. opinio iuuari videtur, per c. vlti. in ratione sua. de iura. calum. lib. vi. Vbi speciale mandatũ tantæ est efficaciæ, vt eo munitus etiam calumniæ iuramentũ pro alio præstet, tametsi Imperatorũ constitutiones, hoc per principales personas præstari velit. l. ij. §. si autem. C. de iura. calum. Suffragatur etiam c. optatũ. centesima distinc. vbi clarè indicatur, absentem fidelitatis iusiurãdum in spiritualibus per nuncium & procuratorem firmare posse.

2. Porrò quum hic textus dicat, inuestituram & dari & accipi per interpositam personam, sciendum est, hoc tam in propria quàm in abusiua obtinere inuestitura. secundum Iacob. à Belui. & Aluaro. hic. quum & iure Canonico quis absens, per procuratorem de beneficio ecclesiastico possit inuestiri. c. accedens. extrà, de præben. & digni.

§. *Fœminã quoque etiam noui feudi inuestiturã facere posse, plærique consentiunt.*

Noui feudi inuestiturã non solùm mares, sed & fœminæ concedunt.

1. Quia fœminæ bonorum suorum legitimam habent administrationem, consequens est, vt ipsæ quoque feuda cõcedere possint, per regulam traditam in §. noui verò. suprà, eo. tit. Nam & ius ciuile, mulieribus vti liberalitate, & donationes facere permittit, adeò, vt nec donanti senatusconsultũ Velleianum succurrat. l. sed si ego cum muliere. ff. ad senatusconsul. Velle. Si itaque fœmina de donis patrimonij sui feudum nouum constituat, iurisdictionem in vasallum, tanquam feudi domina, cæteráque prærogatiuas, instar maris infeudantis est habitura. secundum Bal. & Aluaro. Idque feudorũ consuetudine, quæ nulla sexus distinctione, vasallos habenti, tribuit iurisdictionem. infrà, de l. Conra §. i. & ij. cum similibus. Et fœminæ per consuetudinem acquiri posse iurisdictionem, ius Pontificium testatur. c. dilecti. de

arbi. de quo latius in libro nostro priore Progymnasmatum fori. c. primo. Quinimò fœmina non solùm feudum nouum de bonis suis concedere, sed & feudum quod ipsamet ab alio obtinet, alicui poterit subinfeudare, idq; ea forma & ratione, qua mares hoc possent. secundum And. ab Yser. & Aluaro. hic. Verùm si mulier luxuriosè viueret, & in amatorē substantiam suam, feudi prætextu, effundere vellet, arbitror hoc ei non permittendum, quandoquidem mulieri luxuriosè viuenti, iure ciuili bonis quoq; interdici solet. l. & mulieri. ff. de curato. furio.

§. Nulla autem inuestitura debet ei fieri, qui fidelitatem facere recusat: cùm à fidelitate feudum dicatur, vel à fide: nisi eo pacto acquisitum sit ei feudum, vt sine iuramento fidelitatis habeatur.

Quum à fidelitate seu fide (vt hic text. ait) feudum sit appellatum, recusanti fidelitatis iusiurandum, merito feudi negatur inuestitura, nisi ea lege sit concessum, vt prætermisso hoc iuramento possit obtineri.

1. Circa hunc tex. tres accipe conclusiones, quarum prima est talis: Si dominus cuipiam se feudum solenniter spoponderit daturū, isq; palàm fidelitatis iuramentū se nunquā subiturum profiteatur, dominus sponsione sua liberatur, adeò vt nullā planè inuestiturā ei facere, nec interesse aliquod præstare cogatur. Non enim ei præstanda est fides, qui contra fidem molitur, secundum glos. hic. imò iuxta vulgatū prouerbium: Frangēti fidem fides frangatur eidem. l. cùm proponas. C. de pact. cum simil. Verisimile enim est, iuramēti præstandi necessitatē remittere non voluisse, qui feudum se daturum alicui promisit, quamuis de eo præstando nullam fecerit mentionē. arg. optimū, in l. quæro an fideiussor. §. inter locatorē. ff. manda. Secunda. Tametsi dn̄s aliquem de feudo inuestiuerit abusiuè, tamen fidelitatē iurare detrectanti, non tenetur tradere inuestiturā propriam, hoc est, realem ipsius feudi possessionē. Proindè si dn̄s inuestiturā pollicendo, à vasallo fidelitatē petat, isq; ter citatus & interpellatus iurare nolit, feudi inuestitura se reddit indignū. §. est & alia. infra, quæ fuit pri. caus. bene. amitt. Tertia. Quantū ad feudum antiquum attinet, siue expressè, siue tacitè fidelitatis sacramentū quis recuset, ab inuestituræ veteris confirmatione obtinēda arcebitur, tacitè aūt censetur recusare, si vel priuatus vasallus infra annum & diem, vel miles vasallus infra annū & mensem, renouationē inuestituræ ab hærede domini defuncti nō petierit, aut si vasalli vtriusq; successores infra tempora prælibata, præfatā renouationē à domino nō postulauerint, nam hoc pacto inuestituræ exclusi confirmatione etiam feudum amittent. sup. quo tempo. mi. inuesti. petere debe. c. vni. & inf. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. §. 1.

2. Euenit nonnunquàm, vt vasallus domino fidelitatis sacramentum exhibere non cogatur, quando videlicet eo pacto feudum sit acquisitum, vt hoc tex. & inf. quæ fuit pri. cau. ben. amit. §. est & alia. vbi in fine dicitur, sunt quædam feuda ita data, vt pro his fidelitas non sit præstanda. Ex quo peruium est, non solùm feudi naturam per pactum immutari posse, de quo latius. inf. de feudi cogn. verùm etiam in materia feudali pactum subsistere contra diffinitionem ipsius contractus feudalis. Cæterùm pendente controuersia inter vasallum & domini successorem super feudo, fidelitatis iusiurandum differri constat, donec de principali causa cognoscatur. c. vni. inf. de contro. inter Episcopum & vasal. Pari modo, si minori feudum detur, hoc sacramentum differtur, donec sit ætatis doli capacis, feudum tamen interim retinet. §. si minori. inf. si de feudo defunct. conten. sit inter do. & agna. vasal.

Quid

Quid præcedere debeat, an inuestitura, vel fidelitas.

Titulus IIII.

VTRVM autem præcedere debeat fidelitas inuestituram, an inuestitura fidelitatem, quæsitum scio: & sæpe responsum est, Inuestituram debere præcedere fidelitatem. Fidelitatem autem dicimus iusiurandum, quod à vasallo præstatur domino.

Vtrùm autem danda prius est inuestitura, quàm præstandum fidelitatis sacramentum.

1. Huic tex. quantũ ad feudum antiquum attinet, locus esse non potest. Quoniam antiqui feudi propriè nulla datur inuestitura, sed quæ antiquitùs data fuit cõfirmatur, vt dictum fuit suprà tit. proxi. in princ. Quare simulatq; feudi successor iuramentũ fidelitatis præstiterit, aut renouauerit, feudi possessio, prouidentia maiorũ acquisiti in personã eius confirmatur. Sed in feudo nouo hic tex. obtinere intelligẽdus est, vt scilicet inuestitura abusiua à dño facienda præcedere debeat fidelitatis sacramentũ præstandũ à vasallo. Is siquidẽ regulariter feudi noui cõcedendi est ordo, vt scilicet dñs primò cõcedat inuestiturã abusiuam & verbalẽ, dando videlicet ipsi vasallo annulum, hastam, ensem, vel simile quid corporeum, vt loci habuerit consuetudo, idq; cõtemplatione fœudi inuestituræ, vt declaraui in §. i. num. i. suprà, si de feu. cõtro. fue. & in §. i. suprà, quid sit inuesti. feu. Secundò, vt facta ea inuestitura, iuramentũ fidelitatis præstet vasallus. vt hoc in tex. Tertiò, vt subsequenter fiat inuestitura propria, hoc est, realis ipsa feudi traditio: nam in veram & vacuam feudi possessionẽ vasallus per dominũ mittendus fuerit §. vlt. infrà, de no. for. fideli. vel per nuncium seu procuratorẽ eius §. sed vtrùm. suprà, tit. prox. Quòd si differat dominus, omnem vtilitatẽ vasallo præstabit. d §. vlt. de quo latius in d. §. i. suprà, si de inue. feu. contro. fue. & in §. si facta, infrà, si de feu. defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. Ordinis tamen huius præposteratio ipsam inuestituram non vitiat. secundum Bal. Quinimò & prætermisso hoc ordine, nulláq; intercedente abusiua inuestitura, alio modo feudi noui possessionem quis nancisci poterit. vt infrà, de consuetu. recti feudi, in princip.

2. Fidelitas nihil aliud est, quàm sacramentum illud, quo domino fidem suam obstringit vasallus. vt hic. quod plura complectitur, vt cernere licet in titulis subsequentibus.

Qualiter iurare debeat vasallus domino fidelitatem.

Titulus V.

QVALITER autem debeat iurare vasallus fidelitatem, videamus. Iurare scilicet sic debet: Ego iuro ad hæc sancta Dei Euangelia, quòd amodò in anteà ero fidelis huic, sicut debet esse vasallus domino: nec id, quod mihi sub nomine fidelitatis commiserit dominus, pandam alij ad eius detrimentũ, me sciente. Si verò domesticus, id est, familiaris eius sit, cui iurat: aut si ideo iurat fidelitatẽ, non quòd habeat feudum, sed quia sub iurisdictione sit eius, cui iurat: nominatim vitam, membrum, mentem, & eius rectum honorem custodire iurabit.

Vasallus iurabit, fidelem se domino futurum, ea fidelitate, qua dominũ prosequi debet vasallus: porrò nec reuelaturum scienter, in domini detri-

mentum, si quid arcani, sub fidelitatis silentio, cognouerit ab eodem. Domesticus autem & familiaris, item subditus ratione iurisdictionis, qua domino subiicitur, & si nullum obtineat feudum, iurabit nominatim, se vitam, membrum, mentem, rectúmque honorem eius custoditurum.

1. Ratio, quare vasallus implicitè, ac generatim fidelitatem iuret domino, alij verò, de quibus hic in tex. specificè, & expressius, cumulatiúsque (vti videre licet) iurare cogantur, illa probabiliter adfertur. Quandoquidē placitis feudalibus, exquisitè & articulatim declaratū noscitur, in quibus vasalli erga dominū fidelitas consistat. Igitur iurando fidelitatē (vt in tex.) scilicet, quemadmodum vasallus fidelis esse debet suo dn̄o, videtur relatio fieri, respectúsque haberi ad omnes iuramenti particulas, quæ vsibus sunt feudorū expressæ. De quibus infrà proximis duobus titulis subsequentibus: Talisque iurandi ratio de iure sufficit. Tametsi plerunque illa capitula ob ignorantiam simplicium, nominatim in fidelitatis iuramento exprimātur. Verùm quia de familiari & subdito, nihil æquè erat expressum, meritò hic eis quædam iurandi formula fuit præscribenda, sicque eorum intuitu, de vita, membro, mente, rectóque domini honore tuendo, specificam hic constat factam esse mentionem. Porrò de fidelitate vasalli copiosius posteà differemus, & de concredito ei arcano non reuelando, tractauimus in §. I. num. I. suprà, quib. mod. feudum amitt. de iureiurando ad sancta Euangelia attigimus, suprà, quid sit inusti. §. si enim. num. ij.

2. Domestici & familiares, iuramentū præstare dominis cogūtur, se eorum vitam, membrum, mentem, rectúmque ac verum honorem legitimè defensuros, seu custodituros. Mentē autem domini custodient, ne malis artibus, incātatione, prauo medicamine, aut alia quāuis machinatione dn̄s à mente sana, rectóque sensu alienetur. Quæ iurādi ratio perquàm salubriter est statuta, placitisque feudorū introducta, vt magnam nocendi occasionē, iurisiurandi cōpescat religio, quum pessimus nocēdi artifex, domesticus sit improbus. nulláque pestis ad nocendum vel magis præsentanea, vel efficacior, quàm familiaris inimicus. secundum glos. vlti. in c. si inimicus. distinc. xciij. vbi & tex. inquit: Eum qui, quum corpore videatur esse nobiscum, mente tamen & animo contra nos est, multo nequiorem esse hostem, quàm illi qui foris sunt: hic enim per amicitiarum speciem, quæ inimica sunt, gerit. & cæt. Præterea domesticis fraudibus facilè quiduis pro negotij opportunitate cónfingi potest, vel id quod verè gestum est aboleri, vt alio fine inquit Imperator in l. data iam pridem. C. de donatio. Familiæ autem appellatione, omnes qui in seruitio sunt cōtinentur, etiam liberi homines, qui bona fide alicui seruiunt. l. ædiles. la. prima. §. familiæ. ff. de ædili. edic. Porrò tametsi Bal. hunc textum obtinere putet solum in familia perpetua: Ego tamen eum & in familia temporaria accipiendum reor, quum eadem in vtraque versetur ratio, quod & Petrus Rauennas arbitratur. Dicit quoque hic Bal. de hoc domesticorum iuramento, se nescire quicquam alibi iure cautum: créditque hoc potius receptum vsu dominorum, & per vsus feudales confirmatum, quàm iure ciuili Romanorum fundatum esse. Pari modo si quis agnationis iure proximus successor agnato suo feudum obtinenti commoretur, præfatum iusiurandum rectè ab eodem exigetur, ne scilicet improba successionis spe impulsus, quicquàm in salutem feudi possessoris moliatur. secundum glos. Bal. & Aluaro. hic. Nam iura quoque ciuilia, sollicitam huius rei consyderationem, quanquam alio fine, cernimus habuisse. l. viduæ. C. de imp. & l. i. & ij. C. Vbi impu. educa. debe.

3. Sub-

3. Subditus alicui ratione iurisdictionis, etiamsi nullum obtineat feudum, hoc fidelitatis sacramentũ (de quo in tex.) ei præstabit. Ratione aũt iurisdictionis bifariàm quis subditus dici potest, vel bonorũ contẽplatione, quæ possidet in dñi alicuius territorio, vel intuitu incolatus, & domicilij, quod obtinet in eodem. secundũ Bal. & Alua. argu. l. pupillus. §. territorium. ff. de verbo. signifi. & l. nulli. versi. quòd si in vico vel territorio. C. de Episcopis & cleri. Et hoc quidem iuramentũ, iustissima causa, feudorũ vsus prodiderunt, idq; ne subditi seditione, conspiratione, proditione, aliisve improbis machinationibus publicam turbent quietem, néve domini conditionẽ, vlla ratione deteriorẽ reddant. Insuper duos fratres, eiusdem territorij, aut ciuitatis dominos, reciprocam quoq; fidem mutuo hoc iureiurando sibi obstringere debere, Bal. concludit. Nam (vt ille inquit) fratrum quoq; gratia rata. Et Roma condita (vt sacer ait Hieronymus) duos fratres simul Reges habere non potuit. c. in apibus. vij. q. i. Cæterùm Principes aut Magistratus prophani ecclesiasticos nihil temporale ab eis obtinentes cõpellere non possent ad præstandum hoc fidelitatis sacramentũ. vt est constitutio cõciliaris. in c. nimis. de iureiu. idem indicat. c. petitio. eod. tit. Necesse itaq; est, vt à laicis feuda obtineant clerici: nec sat fuerit, si in prouincia aut ditione laicorum temporalia possideant, vt ea ratione præfatũ iusiurandum præstare debean, nisi quoq; eadem ab ipsis laicis obtineant. secundum Panor. in d. c. nimis. in princi. Non igitur iure magistratus, non ratione territorij, non principalis autoritatis prætextu ab inuitis ecclesasticis iuramentũ fidelitatis extorquere poterint prophani, nisi feudum ac temporale ab eis obtineant. Ita hic adstruunt And. ab Yser. & Aluaro. versicu. quæro an clerici. Ipsos tamen clericos sui officij semper decet meminisse, vt ab omni perfidiæ nota remoti, non solùm erga Principes, sed planè erga omnes Christianos, animo sint inculpato, pacem habẽtes cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, vt diuiniloquus testatur Paulus, ad Hebræ. cap. xij.

De forma fidelitatis. Titulus VI.

IN EPISTOLAM Philiberti episcopi, in decretis vicesima secunda causa, de forma fidelitatis, aliquid monitus scribere, hæc vobis quæ sequuntur, breuiter ex librorum autoritate notaui. Qui domino suo fidelitatem iurat, ista sex in memoria semper habere debet, incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile. Incolume, ne sit in damno domino suo de corpore suo. Tutum, ne sit ei in damno de secreto suo, vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest. Honestum, ne sit ei in damno de sua iustitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem eius pertinere videntur. Vtile, ne sit ei in damno de suis possessionibus. Facile vel possibile, ne id bonum quod dñs suus facere leuiter poterat, faciat ei difficile: néue id quod possibile ei erat, faciat impossibile. Vt fidelis hæc documẽta caueat, iustum est. Sed quia non sufficit abstinere à malo, nisi fiat quod bonũ est, restat, vt in sex prædictis, cõsilium & auxilium domino præstet, si beneficio vult dignus videri, & de fidelitate esse saluus.

Iuxta epistolam Philiberti Episcopi, quæ habetur in Decretis Canonicis. xxij. q. vlti. c. de forma, & hic inserta conspicitur, vasalus munia fidelitatis erga dominum exequi volens, sex ea, de quibus in textu, secum animo reuoluet assiduè, & ceu digitos vnguésq; suos in numerato habebit, videlicet, Incolume, tutum, honestum, vtile, facile, possibile, vt circa ea nihil vnquam committat, quod in domini fraudem, eiúsve præiudicium quouis

modo redundet. Verùm quum non sufficiat abstinere à malo, nisi & quod bonum est faciat, vt hic. & (Hieronymo teste) vitia sint benefaciendo cultanda.c.duo.in fi.xiij.q.i.in fi.vasallus operam dabit, vt quantum ad sex præfata attinet, non solùm innocuus, sed & proficuus domino reddatur, quantum vel consilio, vel auxilio quiuerit præstare. Alioqui nec fidelitatis obseruans, nec beneficio feudi videbitur dignus.

Quandoquidem hic textus seipsum enucleat, exponendi laborem nobis ademit, vt Bal. hic dicere visus est. Porrò, quo modo circa primum, scilicet, incolume, se habere debeat vasallus, tractatum à nobis est suprà, quib. mod.feu.amitt.Titulo priore .§. i. numero i. & ij. Item de secundo, scilicet, tuto in possessionibus, dictum est in .§. similiter.eo.tit.num.i. De tuto. quantum ad secretum, in .§.i.nu.i. quib.mod. feudum amit. tit. posteriore. De tertio, scilicet honesto, dictum est in .§. item si miles. num.i. & ij. suprà, quib.mod.feu.amit.tit.priore. Porrò hunc textum dum primò ait, honestum, ne sit ei in damno, de sua iustitia, vltra ea quæ interpretes nostri in medium proferunt, & sic accipi poterit, vt vasallus in administranda iustitia, cognoscendisque causis, quæ dominum respiciunt, vnà cum cæteris paribus curiæ, nihil dolo malo in præiudicium iuris dominici pronunciet, seu decernat. Euenit enim nonnunquã, vt in causa dominum concernẽte, vasalli ipsius, & curiæ pares, sint iudices, videlicet si inter dominũ & vasallum lis oriatur .§. penult.inf.de prohi.feu.alie.per Frede. Tametsi hunc tex.latius patere non negarim, quàm vt aut vno, aut altero circũscribi debeat exemplo. Quum generaliter ita sit intelligendus, vt in rebus omnibus domini iustitiam contingentibus, nullum ei damnum à vasallo detur. De quarto, scilicet vtili, in .§. similiter.num.i.suprà, quib.mod.feu.amit. tit.priore. De quinto, scilicet facili, sic accipe, ne operam nauet vasallus, vt quod facilè dominus alioqui adepturus erat, hoc ei suis artibus reddat difficilè, veluti si domino honores petẽti, ambitiosos cõpetitores subornet, aut clancularia obtrectatione, procliuem Principis voluntatẽ remoretur. Ad hunc modum & alia licebit exempla cõminisci. De sexto, scilicet possibili, ne quod possibile fuerat, reddat impossibile, nec vllos omnino domini conatus, résque desideratas interturbet, nec strophis suis iusta eius vota impossibilitate fraudet. Verùm impotens hic & degener animus, vafriciésque planè viperina, haud solùm à vasallo, sed etiam ab omni Christiano pectore, probóque viro quàm longissimè distare debet. Nam (vel Ethnico teste) quum inter nos cognationem quandam natura constituerit, cõsequens est, hominẽ homini insidiari nefas esse, vt alio fine dicitur in l. vt vim. ff.de iusti. & iure. Quapropter eliminatis procul imposturis, recta via cum proximo incedamus. Qui enim recti sunt, habitabunt in terra, & simplices permanebũt in ea. Impij verò, de terra perdentur, & qui iniquè agunt, auferentur ex ea. Prouerb.c.ij.

.§. *Dominus quoq; in his omnibus, vicem fideli suo reddere debet: quod si non fecerit, meritò censebitur malè fidus, sicut ille, qui in eorum præuaricatione, vel faciendo vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus & periurus.*

Quemadmodum in illis, quæ superiore .§. recensentur, domino vasalli fides est obstricta, ita & dominus vasallo reciprocam fidem debet in eisdem: quod si non fecerit, non secus malefidus censebitur, atque vasallus periurus, qui aut faciendo, aut consentiendo, præmissorum fuerit temerator.

Hic .§. sanctam continet iuris dispositionem.secundum Aluaro.sed dominis feudi terribilem, vt hic inquit Bal. Proindè si dominus aperta offensa (quam nos feloniam vocamus) vasallum adfecerit, feudi proprietate

priuabi-

priuabitur, vasallo applicanda, sicuti è contrà vasallus, ea ratione in domi num peccans, vtili dominio feudi priuandus foret.c.vni.infrà, quali.domi. proprie.feu.priue. & §. domino committente.inf.si de feu.defunç. cont.sit inter do.& agna.vasal. Veruntamen nullum fidelitatis sacramentũ vasallo dominus præstare cogitur, secundum And.ab Yser.Iacob.de Belui.Aluaro. & crebriorem DD.opinionem. Idq; potissimùm ea ratione, quòd hoc placitis feudalibus non sit cautum, igitur nec à nobis asserendum, quæ argumentandi ratio non est respuenda.argu. l.dissentientis.ibi, nulla iuris præcipit constitutio. C.de repu.& l.illam. versicu.eo quòd nulla constitutio super huiusmodi collatione posita est. C. de collatio. & in Auten.de non eligen. secun. nuben .§. sin autem non valuerit. versic. nec quælibet est lex aliquid tale dicens.colla.prima, & extrà, Ne sede vacan. aliquid innoue.c.illa. versicu. quum nusquam cautum inueniatur à iure.& cæt. quarum citationum interpretes nostri non meminerunt.

De noua forma fidelitatis. Titulus VII.

EST ET alia de nouo, super fidelitatis iuramento, inuenta forma, & vtentium approbata consuetudine, quæ hodie ferè in omni curia videtur obtinere. Hæc scilicet, Ego Titius iuro, super hæc sancta Dei Euangelia, quòd ab hac hora in anteà, vsque ad vltimum diem vitæ meæ, ero fidelis tibi Caio domino meo, contra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege. Quod verbum si rectè intelligatur, nulla quidem indiget adiectione, sed integram & perfectam in se continet fidelitatem, sed propter simplices & nominis significationis ignaros, ad illius verbi interpretationem hoc adiici solet, id est, Ego iuro, quòd nunquam scienter ero in consilio, vel auxilio, vel in facto, quod tu amittas vitam, vel membrum aliquod, vel quòd tu recipias in persona aliquam læsionem, vel iniuriam, vel contumeliam: vel quòd tu amittas aliquem honorẽ, quem nunc habes, vel in anteà habebis. Et si sciuero vel audiuero de aliquo, qui velit aliquod istorum contra te facere, pro posse meo, vt non fiat, impedimentum præstabo: & si impedimentum præstare nequiuero, quàm citò potero, tibi nunciabo, & contra eum, pro vt potero, auxilium meum tibi præstabo. Et si contigerit te rem aliquam, quam habes vel habebis, iniustè vel fortuito casu amittere: eam recuperare iuuabo, & recuperatã omni tempore retinere. Et si sciuero, velle te, iustè aliquem offendere, & indè generaliter vel specialiter fuero requisitus, meum tibi, sicut potero, præstabo auxilium. & si aliquid mihi de secreto manifestaueris, illud sine tua licentia nemini pandã, vel per quod pandatur faciam. & si cõsilium à me super aliquo facto postulaueris, illud tibi dabo cõsilium, quod mihi videbitur magis expedire tibi. & nunquã ex persona mea aliquid faciã scienter, qđ pertineat ad tuam, vel tuorũ iniuriã vel cõtumeliã.

Præter superiorem fidelitatis formam, & alia quædam consuetudine est introducta, quæ in omnibus ferè curiis obseruatur. Qua videlicet vasallus super sancta Dei Euangelia iurat, se deinceps domino futurũ fidelem, cõtra omnem hominem, excepto Imperatore, vel Rege. Verùm non solùm tactis Euangeliis, sed qualibet alia veteris seu noui testamenti pagina, imò & super altari, sacro ligno crucis, seu Diuorum reliquiis, vasallum rectè iuraturum, hic Bal. asserit. Porrò quia contra omnem hominem, iurat fidelitatem, etiam cõtra patrem, filium, & germanum proprium, vasallus domi num adiuuare debet .§. vlti. inf. hic finitur lex. Quod Bal. verum intelligit,

nisi pater, filius seu germanus, offenderetur in his, quæ (vt ipse ait) sunt de iure naturali, quia naturalia sunt immutabilia. Insti. de iure natu. §. sed naturalia quidem. Zasius tamen, iure diuino fretus, filium contra feudales cōsuetudines tuetur, suppetias domino aduersus patrem non ferentē, de quo latius in d. §. vlti. differemus. Verùm enimuerò, à iuramento hoc excipitur Imperator, & Rex, scilicet Romanorū, vel alius, à quo feudum quis noscitur obtinere. Item pari, seu maiori ratione, excipitur Romanus Pontifex. c. venientes. de iureiuran. secundum Aluaro. Item excipitur prior dominus, à quo prius feudum aliquod vasallus sit cōsecutus: Nam tametsi contra oēs debeat vasallus dominum adiuuare, non tamen contra alium dominū antiquiorē, hic enim cæteris est præferendus. Ita dicitur in d. §. vlti. infrà, hic finitur lex. Item à præfato iuramento excipitur patria propria. Patriæ siquidem proditio seu oppugnatio, Principis oppugnationi videtur comparari. l. vlti. §. vlti. C. de abolitio. Et maiestatis crimine accusari potest, cuius ope, consilio, dolo malo, prouincia vel ciuitas hostibus prodita est. l. penult. ff. ad l. Iuli. maiesta. Quæ confirmantur per c. vnicum. versicu. si verò. suprà, quali. vasal. iura. de. domino fideli. Vbi subditus alicui ratione iurisdictionis, ei fidelitatem debet, sic per consequens & patriæ. secundum Bal. hic dicentem, propriè fidelitatem deberi patriæ.

2. Præfata iurandi forma generica, omnes fidelitatis species tacitè cōprehēdens, sine alia quapiam adiectione, sufficiens habetur. Quinimò & cōpendiosior suffecerit, videlicet: Iuro me deinceps tibi fidelem futurū, sicut debet esse vasallus domino, vt in c. vni. suprà, quali. vasal. iura. debe. domino fideli. Sed ad consulendum simplicitati & ignorantiæ quorundam, qui genericæ illius fidelitatis vim ac energiam non satis capiunt, vt plenius exactiúsq; intelligere possint, quomodo, qua ratione, & quibus in rebus, & negotiis, domino fideles esse debeant: fidelitatis species, in iureiurando vasalli, particulatim exprimi solent, quas hic textus fusius, ordinéq; prosequitur, de quibus crebram in præcedentibus titulis fecimus mentionem, & in subsequentibus etiam, autore Deo, faciemus. Cæterùm, si curiæ cuiuspiam vsus aliam quandam iurandi formā recepisset, constat eam, prętermissa hac, de qua in tex. amplectendam esse. Est enim hic And. ab Yser. & Alua. sententia, consuetudine régionis seu lege curiæ introductam fidelitatis iuramenti formam inprimis obseruandam esse. Qua cessante, demùm fore locum illi formæ, quam & superior & præsens titulus præscripsit. Consuetudo enim loci specialis, derogat feudorum consuetudini generali. de quo suprà, de succes. feudi. §. 1. nu. 1. fa. c. 1. sup. de feudi cogni. Porrò tametsi domino volente aliquem iustè offendere, vasallus non videatur teneri ad præstandum auxilium domino, nisi generaliter vel specialiter requisitus. vt hic tex. indicat, in versi. & à te generaliter. & per Bal. hic. Qui etiam ad confœderationes Principum ac ciuitatum id porrigit, vt scilicet ad mutuas suppetias non teneantur, nisi mutuò requisiti: Tamen si vasallus sciat, domino magnum periculum imminere, etiam vltrò opem suam ei debet præstare. secundum text. in §. licet vasallus. infrà, si de feudo defunct. conten. sit inter domi. & agna. vasall. Insuper, quantum ad secretum domini non pandendum attinet, si vasallus domini voluntatem de occidendo Titio, sub stipulatione silentij, cognouerit, eum ab hoc quidem incepto & proposito dehortabitur, sed Titio hoc neutiquam reuelabit, in genere tamen eum præmonebit, vt diligenter sibi caueat, & prospiciat, esse enim aliquem, qui vitæ eius insidias struat, secundum Andream ab Ysernia, & Aluarotum, & Præpo.

suprà

supra, titu. proxi. in fi. per glos. super verbo, transgressionis contagione. in fine in c. nerui testiculorum. xiij. distinc. & arg. in c. si sacerdos. de offi. ordi.

§. Inuestitura verò facta, et fidelitate subsequuta, omni modo cogatur dominus, inuestitũ in vacuã possessionẽ mittere. Quod si differat, oẽm vtilitatẽ ei præstabit.

Post factam inuestituram abusiuam, & iuramentum fidelitatis subsecutum, cogitur dominus vasallum in vacuam feudi possessionem mittere. Quod si facere differat, omnem vtilitatem, quam ex re feudali protinus tradita consequi potuisset, ei dominus refundet.

De materia huius tex. tractaui in §. i. num. i. supra. Si de inuesti. feu. contro. fue. & in §. si facta. infra, si de feudo defunc. conten. sit inter do. & agna. vasal. Est autem intelligendus hic tex. de ea refundenda vtilitate, quæ circa rem ipsam feudalem consistit. Non enim vtilitas extrinseca in æstimationem veniet, veluti quod ex re feudali negociari, & lucrum facere vasallus potuisset. argu. l. si sterilis §. Quum per venditorem. ff. de actio. emp. & vendi. secundum glos. hic, nisi merces comparare solito, fortunásque suas in mercimoniis habenti, mora talis per dominum, conditionis eius non ignarum, facta fuerit. Hac enim specie, non solius dammi, sed & lucri habendam rationem, Aluaro. putat, per. l. non vtique §. vlti. ff. de eo quod cer. loco.

De inuestitura de re aliena facta.
Titulus VIII.

QVVM de re aliena, vel alij obligata, inuestitura fiat: illud distinguitur, vtrum scienti, an ignoranti facta sit. Qui enim alienæ rei sciens inuestituram accepit: nisi pacto speciali sibi prospexerit, de euictione agere non poterit: ignorans verò rectè aget vt aliud eiusdẽ bonitatis, seu quantitatis ei præstetur. Sed in eo nulla est differentia, qui inuestituram fecit, vtrum sciuerit vel ignorauerit.

Si rem sciens alienam vel obligatam, de ea, feudi nomine inuestiatur, hancque postea ab eo contigerit euinci, contra inuestientem de euictione non aget. nisi pacto speciali, de euictione sibi cauerit. Si verò sciens non fuerit, feudum aliud æquiualens ei præstare dominus cogetur, siue prudens, siue ignorans (nihil enim refert) alienæ rei inuestituram concesserit.

1. Hæc placiti feudalis dispositio cognationem habet cum Imperatoris constitutione. in l. si fundum. C. de euictio. Proinde sciens, de re aliena inuestitus, contra dominum, euicto feudo, nullum habebit regressum, verùm temeritati suæ hanc iacturam imputabit. Scienti enim & volenti iniuria nulla facta videtur, neque dolus. l. cum donationis. C. de transactio. c. scienti. de Regu. iu. lib. vi. Hoc obtinet, nisi expresse, de euictione cum inuestiente conuenisset, vt hic, & in d. l. si fundum. Contractus enim ex conuentione partium legem accipiunt. l. i §. si conueniat. ff. deposi.

2. Porrò si feudum euincatur ab eo, qui de re aliena, ignorans feudi inuestituram suscepit, rectè contra inuestientem is aget, vt aut feudum paris æstimationis, aut pecuniam comparando feudo sufficientem consequatur. vt hic. & in c. vni. infra, si de feu. vasal. ab aliquo interpella. fue. modò tamen litem sibi motam esse, domino denunciauerit, eumque, vt se defendat, vocauerit. per tex. ibidem. Pari ratione conferens alicui beneficium ecclesiasticum hoc euicto, ad æquiualens ei præstandum obligatur. c. præsentium. & ibi glos. super verbo. & aliam. vij. q. i. & c. inter cætera. de præben. Vbi in fine dicitur: Quia præbendam ei, quam de iure non potuit, assignauit, eam, quã

de iure poteſt, aſsignet, ne præbendam ei fraudulenter viſus ſit aſsignaſſe. Quorum nimirum ea eſt ratio, quòd adiuuari nos, non decipi beneficio oporteat.l.in commodato.§.ſicut autem.in fi.ff.commoda.Nec his refragatur.l. ad res donatas.ff.de Aedili.edicto.& l.ij.& quæ ibi notantur.C.de euictio. Quod ſcilicet regulariter donatorem, de euictione rerum donatarum, non teneat actio. Nam in ſubiecta ſpecie, mera non verſatur donatio: Etenim tam feudi, quàm eccleſiæ beneficium, datur propter officium. Hoc, vt altari & ſacrificiis quis deſeruiat, & precibus atq; rationibus vacet. c. Cyprianus. xxij. q.iij. ſecundum gloſ.primam in fine, in c.vltimo.de offi. vica. Illud, vt vaſallus, eiuſq; hæredes domino fideliter ſeruiant.§. vltimo, infra. in quibus cauſis feu. amit.

3. Siue ignorauerit, ſiue compertum habuerit inueſtiens, rem eam, cuius inueſtituram conceſsit, alieni eſſe dominij, ex æquo, de euictione tenebitur. vt hic. Nec hoc iniquum cenſendum eſt, potuit enim eius rei probam habere notitiam. Imò ridiculum eſt dicere, vel audire, quòd per ignorantiam, alienam rem, aliquis quaſi propriam occupauerit. omnes enim ſcire debent, quod ſuum non eſt, hoc ad alios modis omnibus pertinere: vt alio fine dicitur.l.cum quærebatur.C.Vndè vi. Quemadmodũ igitur non intereſt emptoris cur fallatur, an ignorantia venditoris, an calliditate.l.i.§. in ſumma.ff. de ædili.edicto. Ita nec intereſt inueſtiti, an ignorantia inueſtientis fallatur, an calliditate, niſi alienæ rei ſcientiam inueſtitus quoq; habuiſſet. tum enim obligationem nullam cum inueſtiente contraxiſſet. argu. l. ſi in emptione.§. item ſi emptor & venditor.ff. de contra.emptio. Id etiam in eo dixerim obtinere, qui ſciens de beneficio eccleſiaſtico iuris alieni, ſe fecerit per Epiſcopum inueſtiri, ſecundum gloſ. ſuper verbo aſsignauit, in d. c. inter cætera, extra. de preben.

§. *Rei autem per beneficium rectè inueſtitæ vaſallus, hanc habet poteſtatem, vt tanquam dominus poßit à quolibet poßidente ſibi quaſi vendicare. Etſi ab alio eius rei nomine conueniatur, defenſionem opponere. nam & ſeruitutem ei rei debitam petere poteſt, & retinere.*

Vaſallo de re quapiam feudali rectè inueſtito ea competit facultas, vt illam à quouis poſſeſsore tanquam dominus quaſi vendicare, vel à ſe poſſeſſam, contra quemcunq; defendere in iudicio poſsit: Idq; obtinet non ſolum ſi feudi nomine, verumetiam ſi alicuius ſeruitutis feudum concernentis ratione, vaſallus vel agere, vel ſe defendere cogatur.

1. Hic tex. non de conſecuto ſolam abuſiuam feudi inueſtituram, ſed de eo fuerit accipiendus, qui veram & propriam inueſtituram, hoc eſt, ipſam rei feudalis poſſeſsionem fuerit adeptus. Hic namq; feudum ſuum ab alio quopiam occupatum, tanquam dominus, quaſi vendicabit. Exploſis ſiquidem priſcorũ ſcrupulis, de quibus in Summa Pilei, in confeſſo eſt, vtile dominiũ feudi, & quaſi vendicationem, hoc eſt, vtilem in rem actionem, competere vaſallo: ſicuti dominium directum, directaq; in rem actio, & vendicatio, ipſi competit feudi domino. per hunc tex. gloſ. Bal. Aluaro. Præpo. & creberrimam opinionem doctorum. Cui & Iaſon Maynus adſtipulatur. motus per hunc tex.in §. Sed iſte.verſicu.Quæro nunquid Publiciana competat feudatario. Inſti.de actio; Hoc itaq; fretus vtili dominio, feudum ſuum à quolibet poſſeſsore etiam à domino iniuſtè occupatum, vaſallus quaſi poterit vendicare.ſecundum And.ab Iſer.& Aluaro.hic.argu. l.i.in fi. ff. ſi ager recti.vel emphy.peta.Ratio autem, quare abuſiuam duntaxat inueſti

turam

turam feudi adeptus,feudum quasi vendicare non posſit, hæc eſt, quoniam vtile dominium,abſq; feudalis poſſeſſionis traditione transferri nequit.l.tra ditionibus. C.de pact.& vtilis rei vendicatio non competit ſine vtili dominio: niſi dominus vtilem rei vendicationem vaſallo ceſſiſſet.l.vlti.C.de hæredi.vel actio.vendi.hac enim ſpecie, ſine dominio vtili, rei vendicatio cõpetet. vt ibi. Quoniam tantum operatur ceſſio in incorporalibus, quantũ traditio in rebus corporalibus.iuxta nota. in l.ad eum. ff.de dona. Mediante igitur ceſſione, rei vendicationem vaſallus habere poterit, licet nullam feudi poſſeſsionem conſecutus. Expedit igitur ei, vt diploma inueſtituræ teſtetur,dominum vtilem rei vendicationem ceſsiſſe vaſallo, cúmq; procuratorem in rem ſuam conſtituiſſe: Nam hoc inſtrumento fretus,non ſecus ac ſi realem feudi poſſeſsionem obtinuiſſet, illud à quouis quaſi vendicabit. ſecundum Præpoſi. hic.

2. Si vaſallus,de re feudali,quam poſſidet,ab aliquo interpelletur,velut ſuam propriam eam vendicante,aut iuris quidpiam in eadem prætendente, poterit in iudicio contra eundem cõſiſtere,cauſámq; ſuam defendendo proſequi,domino etiam abſente,vt hic.& in c.vni.infrà,de cõtrouer.inter vaſallum & alium de benefi.Nam cui damus actionẽ, eidem exceptionẽ competere,multo magis,quis dixerit.l.i.verſicu.planè ſi aduerſus. ff. de ſuperficie. Idem iuris obtinet,ſi ratione ſeruitutis feudum reſpicientis,vel agere,vel ſe defendere vaſallus cogatur,quum enim rei ipſius principalis,nempè feudi perſecutionem habeat, quid in acceſſoriorum quoq; fuerit habiturus? Regula.acceſſorium de regu.iu.cum ſimilibus vulgatis.

§. *Quid ergo, ſi precio, vel dolo, aut incuria ſeruitutem rei beneficiariæ imponi patiatur, & ad dominum ex qualibet cauſa, poſtea beneficium reuertatur: an ex eo præiudicium domino generetur: quæſitum fuit. Et reſponſum eſt, vt vaſallo quidem, donec feudum tenet, poßit obeſſe: domino autem, & ſi per longa tempora perſeuerauerit ſeruitus, minimè noceat.*

Si vaſallus aut dolo malo deprauatus, aut ineſcatus precio,aut torpore deſidiáq; marcidus, rei feudali ſeruitutem aliquam imponi ſuſtinuerit, hoc domino fraudi non erit,etiam poſt longi temporis emenſa ſpacia,feudo,caſu quopiam,ad eum redeunte: Quanquã vaſallum ipſum,donec in humanis agat,feudúmq; poſſideat,eius impoſitæ ſeruitutis ius conſtringat.

1. Quandoquidem vaſallis,omne commercium in feudo, omniſq; via & ratio, penitus eſt interdicta, per quam imperij ac dominorum minuatur vtilitas.infrà,de prohibi.feudi alie.per Lotha.§.1.conſequens eſt,vt & ſeruitutis rei feudali imponendæ facultas,in domini præiudicium,eiſdem interdicta eſſe cenſeatur: Proindè ea nec lapſu temporis,vaſallo poſſidente,confirmabitur,in domini fraudem,ne longiſſimo quidem,triginta,aut quadraginta annorum perlabente curriculo. ſecundum gloſ. hic, Iacob.à Belui.& Bal.hic.tametſi gloſ.alibi ſecutus diſſentiat Aluaro.in §. præterea. infrà,de capit.Conra.ſed text.feudales perſpicui ſunt. Nam in §.1.infrà,de prohibi. feudi alie.per Frede.decernitur,alienationem,quæ ab initio iure non valuit, tractu temporis conualeſcere non debere.& in d.§. præterea, omnes feudi alienationes, nulla obſtante præſcriptione, dominis reuocare permittitur. Quid igitur tam claræ luci tenebras obſtruere pergimus? Eſt autem ſecundum gloſſam hic, quaſi quædam alienationis ſpecies, ipſa ſeruitutis conſtitutio: Certè eam generica illa damnati commercij prohibitione comprehendi conſtat. Attamen ſi conſuetudine antiqua, à tempore, cuius

non

non extat memoria, sit introducta seruitus, eam domino, non obstante hoc textu, nocituram puto, quum eo modo etiam soli Principi reseruata, præscribantur. c. super quibusdam. §. præterea. extrà. de verbo. signifi. l. hoc iure. §. ductus aquæ. ff. de aqua quoti. & æsti. l. 1. §. vlti. ff. de aqua plu. arcen. Hoc itaq; textu liquet, longi temporis mora consensum domini non progigni, tametsi sciens prudensq;, eam seruitutem irrepentem iure directi dominij, præscriptionis interruptione non arceat: Quòd videlicet dubitandi ansam suggerebat, videbatur enim hanc ei cõniuentiam obfuturam, cuius contrarium hic statuitur. secundum Bal. tametsi vacillet Aluaro. Catholicum igitur est, dominum proprietatis, securum esse debere de proprietate. l. si cuius rei vsusfructus. ff. de vsufruct. quod vsq; adeò cernitur obtinere, vt etiam fundum, vel ædes, per saltuarium, vel insularium custodire possit. Interest enim eius, fines prædij tueri. l. si ita legatus §. dominus proprietatis. ff. de vsu. & habit. Quare vi hostili, alióve quopiam imminente discrimine, arci quoq; feudali præsidia sua dominus rectè imponet, idq; vasallo etiam inuito, secundum Cyn. in d. §. dominus. quod & à Bal. est relatum, modò tamẽ dolus malus, & fucus omnis absit, ne videlicet securitatis conseruandæ prætextu, vasallum eiúsq; familiam dominus impunè pro sua libidine diuexet, molestiáq; adficiat. Quoniam inter dominum & vasallum nulla fraus, nec vllum (vt textus feudalis ait) malum ingenium debet interuenire. c. quoniam. infrà, de prohi. feudi alie. per Lotha.

2. Tametsi dominum seruitus, à vasallo rei feudali imposita, nequeat constringere, vt iam diximus, ipsum tamen imponentem, possessione comite, nectit obligátq;. vt hoc text. Est igitur memorabile, vasallum, quo ad suum præiudicium, rem feudalem seruituti obnoxiam cõstituere. quod per rationẽ similitudinis ad superficiarium quoq; porrigit Nicolaus Neapolitanus, vt scilicet superficiei suæ, donec eam possideat, seruitutem imponere queat. Et Bal. ad emphyteutam consequenter deriuat, donec emphyteutico is prædio potiatur.

§. E contrario autem si quid feudo à vasallo additum sit: siquidem tale adiectum sit, quod per se subsistere poßit, id est, vt per se censeatur, vt prædium: id non accrescit feudo, si verò per se non poßit subsistere, vt seruitus: Plærisque placet feudo accedere, & sicut partem feudi, disponendam esse. Meliorem namque conditionem feudi facere potest: Deteriorem verò, sine domini voluntate, vel eorum agnatorum, ad quos per succeßionem pertinet, facere non potest.

Quod opera, industria, impendióve suo vasallus feudo adiecerit, si ab eo separatum efficaciter queat per se subsistere, nec rei feudali accrescit, nec feudi iure censetur, verùm si vsq; adeò sit ei naturà cohærens, vt à feudo disiungi nequeat, aut certè disiunctum mox euanescat, velut seruitus fundo acquisita, id feudo modis omnibus accedere, & ceu feudi partem, vel ad dominũ, vel ad agnatos deuolui oportere, nemo dubitabit. Vasallus quippe feudi cõditionem, adiectitia quapiam commoditate, meliorem & auctiorem facere potest, resciſiorem verò, aut deteriorem non potest, sine domini & agnatorum, quibus id succeßione debetur, voluntate.

1. Proindè, si vasallus feudo cõfine prædium cõpararit (sæpe enim confines fundos, etiam supra iustam æstimationẽ interest nostra acquirere. l. si cui fundus. ff. de lega. ij.) id feudo neutiquã accedet. vt hic, quum sic feudo nõ cohæreat, quin ab eo disiunctum suam hypostasim habere queat. Verùm enimuerò quod alluuionis incremẽto accesserit, etiãsi fundi portio sit,

ipsi

ipsi feudo dubium non est adiici §. si quis de manso. supra, de contro. inuestitu. his consentaneum videtur, vt si arci, aut loco cuipiam feudali merum & mixtum imperium, aut alioqui iurisdictionem, qua prius caruit, vasallus acquirat, id feudo non videri acquisitum, etenim ab arce & loco feudali separabilis est iurisdictio, nihilque vetat, quo minus hic loci dn̄ium, ille verò iurisdictionē eius obtineat. secundum Bal. & Alua. hic. Feudum igitur vel ad dominum, vel ad agnatos deuolutum, vi & natura feudi, ea non comitabitur iurisdictio. Præpositus tamen in hoc Bal. & Aluaro. repugnat, sed argumenta eius non stringunt. Quod aūt feudo sic insitum est, vt ab eo disiunctum funditùs intereat, veluti seruitus fundo acquisita. l. i. ff. commu. prædio. tam vrba. quàm rusti. id ei adhæsione quidem fuerit perpetuum, sed dn̄s feudo sibi aperto, vt puta, quia sine filio masculo decessit vasallus, precium eius hæredibus nihilominus restituet. si precio seruitus, vel alia quæpiam feudi commoditas à vasallo sit comparata. Idem iuris fuerit, si in solo feudali ædificium construxerit, aut alioqui sua pecunia sumptuque rem feudalem meliorem potioremque effecerit, nam vel dirui ædes, dirutasque hęredibus cedere permittet, aut precium soluet dominus §. si vasallus. infra, hic fini. lex Corra. Attamen si non sobolis defectu, sed flagiciis vasalli, feudum remigret ad dominum, nulla eorum impendiorum habita ratione, toto feudo, omnibusque appendicibus eius & accessoriis, delicti culpa decidisse putandus est. secundum Bal. ibidem.

2. Vasallus feudi conditionem meliorem, deteriorem autem facere non potest, idque nec domini, nec agnatorum respectu, ad quos beneficium quandoque sit reuersurū. vt hic. & infra, de aliena. pater. feu. in princi. Similiter conditio nostra per seruos fieri melior potest deterior fieri non potest. l. melior conditio. ff. de regu. iuris. Item filius acquirere patri obligationem potest, diminuere non potest. l. filius familias. ff. de solutio. Generaliter etiam obtinet. vt nec filius, nec quisquàm alius, neque litigando, neque paciscendo præiudicium alicui facere possit, si hoc ratum non habeat. l. nec filius. C. de rebus credi. & iureiu.

§. Quamuis enim possessio per beneficium ad eum pertineat, tamen proprietas ad alium spectat, & ideo quartæ siue tertiæ ratione, quæ à Lombardis, seu à Romanis viris vxoribus fieri solet post mortem viri, ad mulierē nihil pertinet. Nam nec pignus quod consultùm dicitur, fieri potest ex feudo.

Et merito quidem feudi conditionem vasallus deteriorem non faciet, vt superiore §. quum nullam eius proprietatem, directum dominium nullum, sed vtile duntaxat, & solam beneficij titulo possessionē obtineat. Quo fit, vt ne vxori quidem suæ de feudi bonis, quartam, tertiámve partē consignare possit, quæ vel Romano, vel Longobardico, vel denique municipali iure casibus quibusdā ex mariti substantia coniugi præstantur. Multo minus rē feudalem pignori subiecerit, si & sibi, & creditori rectè consultum velit.

1. Quoniam textus hic meminit illius quartæ, quam Romanis legibus nonnunquam mariti ex facultatibus suis præbere iubentur vxoribus, explorati iuris est, trifariàm id contingere. Primo, si viro decedente locuplete, coniunx superfit indotata simul & inops. Secundò, si absque causa legibus agnita, à marito eiiciatur. Tertiò, si ob culpam mariti, quæ ad hoc suffecerit, ab eius thoro disiungatur. De primo casu sic habet Autentica: Præterea si matrimonium sit absque dote, coniunx autem præmoriens locuples sit, sperstes verò laboret inopia, succedet vnà cum liberis communibus,

alteri

alteriusve matrimonij, in quartam, si tres sint, vel paciores, quod si plures sint, in virilem portionem, vt tamen eiusdem matrimonij liberis proprietatem seruet, si ext[illegible], his verò non extantibus, vel si nullos habuerit, potietur etiam dominio, & imputabitur legatum in talem portionem. Autenti. præterea, C. vndè vir & vxor. & plenius in Autentico. de exhi. & introdu. reis §. quoniam verò ad clementiam, col. v. & in Autentico. vt liceat matri & auiæ §. quia verò legem. col. viij. De secundo casu etiam habetur ibidem, in d. §. Quia verò, videlicet vxorem, sine causa legibus agnita proiectam, consequi debere quartam substantiæ maritalis partem, idque mox, simulatque fuerit eiecta, sineque ratione propulsa. Idem probat l. vlti. C. de repub. scilicet, virum, qui sine culpa indotatam reiecerit vxorem, compellendum esse, quartam portionem propriæ substantiæ eidem persoluere. Verùm enimuerò vt hæc Cæsarum obtinent constitutionibus, ita Pontificio iure, Canonumque statutis interpretationem recipiunt. His enim dictantibus, non propria voluntate. sed iudicio ecclesiæ duntaxat, coniunx à coniuge fuerit separanda, etiamsi parentelæ aut fornicationis ratio publica & notiora ad separationem inuitet, c. porro. de deuor. c. ex literis. eo. ti. glos. i. in c. plerumque. de dona. inter vi. & vxo. glo. super verbo, manifesta. in c. ex parte. de sponsa. glo. mag. in c. i. xxxij. q. i. quanquam glos. Panor. & alij quidam in c. vlti. de adulte. in specie adulterij notorij, dixerint contrarium. Proinde si vxorē temere, & sine iudicio ecclesię maritus abiecerit, non continuo quartæ parti substantiæ maritalis inhians conticebit vxor, sed iuxa canonicas sanctiones aget iudicio restitutorio, vt scilicet vir ei restituatur, & denuo à viro tanquam vxor recipiatur, eoque reponatur loco, quo ante eiectionem fuit. d. c. porro. & c. literas. de resti. spolia. c. ex conquestione. eo. ti. vbi liquet, non obstante consanguinitatis obiectione, ante omnia mulieri virum esse restituendum, & postmodum matrimonij causam discuti, fineque Canonico consopiri oportere. Quinimo si & vxor sic temere eiecta, vel pauore, vel conniuentia taceat & acquiescat, ecclesiasticus tamen iudex, pro sui officij sollicitudine, pariter & coniugalis sacramenti reuerentia maritum monitione præuia compellet, vt coniugem suam benignè recipiat, solitaque ac maritali adfectione prosequatur. Si qui tamen postea compareant, qui matrimonium legitimè impetierint, causa cognita, fine Canonico dirimetur. c. causam matrimonij. de offi. iudi. dele. Cæterùm si vxor præmissa temeritate, à marito profligata, ad eum redire. aut eius restitutionē flagitare non audeat, notum ingenium eius, expertāque verita sæuiciam, eaque tanta tamque horrenda sit, vt mulieri trepidanti sufficiens non possit securitas prouideri, non solum non restituetur viro, sed ab eo potius modis omnibus fuerit remouenda. vt est tex. memorabilis, in c. literas. in fine, de restitu. spolia. Quare hac specie præfatis Imperatorum constitutionibus locum adhuc fore non dubito, vt videlicet vxor eiecta, quartam maritalium facultatum portionem adsequatur. De tertiò casu est tex. in d. l. vlti. C. de repudiis, Nam vt ibi apparet, vir talem culpam contra innocentem mulierem, vt separatio fieri debeat, committens, cogitur quartam propriæ substantiæ protionem eidem consignare. quod eriam luculenter probat §. sic itaque matrimonia. in autentico. de nup. col. iiij. Quapropter, sicut vxor diues à thoro mariti adulteri separata. & dotem suam repetit, & donationem propter nuptias recipit. l. consensu. §. si verò causam. C. de repu. & c. i. & ibi glo. i. vt lite non conresta. ita coniunx indotata & paupercula, casu præfato, quartam bonorum viri partem adipiscetur, cum viri culpa, nempe adulterio, ea

sit facta

sit facta separatio, per dictam l. vlti. C. de repu. & per d. §. sic itaque matrimonia. Aequissimũ enim est, vt eius dispendij pœna lubricos percellat, quos in officio maritali veneratio non cõtinet sacramenti. Noueris tamẽ præfatam quartam etiam in amplissimis facultatibus centum auri librarũ summam egredi non debere. d. §. sic itaque. in Auten. de nuptiis. col. iiij. Hæc tametsi à feudorũ exorbitent materia, tamen ad textus enucleationẽ conferunt, quo statuitur, de bonis feudalibus vxori quartam nullam à marito præberi posse. Proindè quoties præfatis modis facultatũ maritalium quarta pars sit pendenda, eam non feudo, sed aliis mariti bonis deducet vxor. Idem obtinet, si ratione consuetudinis, aut legis municipalis, vxori certa maritalis patrimonij quantitas cedere debeat: quorum ea est ratio, quòd nec in fraudem domini proprietatem tenentis, nec in agnatorum, quibus iuxta feudi naturam debetur successio, præiudicium, quicquam in eo vasallus possit vsurpare. vt hic. & infrà, de aliena. pater. feu. in princip.

2. Prælibatis consequens est, vt iam nec feudum, nec eius partem subiicere pignori vasallus possit, sine domini ipsius permissione. vt hic. & infrà, de prohi. feu. alie. per Frederi. in princip. de quo latius in §. aut si libellario. suprà, quib. mo. feu. amit. Pignus autem, vt hic in fi. textus, ideo consultum dicebatur, quod per id creditoris consulatur indemnitati, cui videlicet potius expedit pignori incumbere, quàm in personam agere §. furti autem. Institu. de obliga. quæ ex quasi delic. nascun.

Qualiter olim poterat feudum alienari.

Titulus IX.

§. EST autem optima consuetudine interdicta feudi alienatio. Super quam multæ & diuersæ sententiæ dabantur in singulis ciuitatibus, seu curiis, donec, diuæ memoriæ, Lotharius tertius promulgauit super hoc nouam constitutionem, quæ posita est in titulo de beneficiis. Necessitate namque suadente, poterat olim vasallus, domino inscio vel inuito feudi partem vendere, retenta videlicet alia parte.

Antiquitus feudi alienandi, non vna, nec simplex erat ratio, sed pro curiarum ac locorum varietate, consuetudines quoque & mores euariabant. Quibus etiam id permittebatur, vt dimidiam feudi partem, domino vel inscio, vel inuito, penuria ac necessitate pressus vasallus distrahere potuerit, sed temporum successu, optima consuetudine receptum fuit, vt ab omni prorsus alienationis genere temperetur. Quod & Lotharij tertij constitutione cautum firmatúmque conspicitur.

1. Tametsi quondam feudalis alienationis, pro diuersitate curiarũ consuetudines etiam obtinuerint diuersæ, vt cernere licet in §. aut si libellario. & seq. sup. quib. mo. feu. amit. & de succes. feudi, in princi. & aliis in locis: tamen labente tempore, perquàm salubriter, & lege cautũ, & vsu comprobatũ est, vasallum sine domini permissione nullam planè feudi partem alienare posse. Etenim quum ob spectatã eius industriam ac fidem, dñs in eum suam conferat liberalitatem, æquum non est, vt hæc ad alios inuito domino traducatur, quum in ipsius solius personam, eiúsque sobolem, quam paternarum quoque virtutum successione metitur, hoc conclusisse beneficium videatur, cui suam munificẽtiam reliquit. argu. l. vnicæ §. sin verò talis. C. de cadu. tol. Pari modo, si quid Princeps alicui obeundum mandârit, fidem industriámque eius spectans, hoc alij non poterit demandare. Nam Princeps

eius solius, cui tale quid cōmittit, fidem & industriam elegisse videtur. c. vlt. §. is autem. de offi. iudi. delega. Præterea vasallus nullam feudi habet proprietatem, sed ea ad dominum velut superiorē spectat. vt in §. vlti. tit. præcedentis. Et quanquā vtile dominium clientulo cōpetat, tamē hoc ei non est liberum, nec gratuitū, quum eius ratione obsequiis, seruitiisq; domino impendendis astringatur. Feudum igitur, eiúsve partem diuendens iuri dominico detrahit, & minus aptus solitis functionibus, feudiq; oneribus, in domini fraudem redditur, quod & docet experientia, efficax rerum magistra, & Imperator etiam recenset. infrà, de prohibi. feu. aliena. per Lotha. Item vasallus iuri præiudicare non potest agnatorū, ad quos feudum aliquando sit reuersurum. infrà, de alie. pater. feu. in princip. Præiudicaret autē, si id vendere, aut partē eius distrahere permitteretur. Insuper quum multis casibus feudum ad dn̄m reuerti statuatur, vt superius sæpe visum est, sicq; dominium vtile proprietati cōsolidetur, nunquid iuri dominico alienatione vasalli plurimū deperiret? Quare meritò hic inquit textus, feudi alienationē esse consuetudine interdictam. Quam adeò ratam, perpetuámq; esse ratione optima velit, vt ne vrgens quidē necessitas cōtrarium indulgere queat. Licet enim durū sit telum necessitas, & propter nimiam paupertatē egestatémq; victus etiam liberos suos sanguinolentus diuendat pater. d. l. ij. C. de patri. qui fili. distrax. & quod non est licitum in lege, necessitas faciat licitum. c. quod non est. de regu. iu. cum similib. ibi in glos. & prohibita alienatio necessariam nō includat, quod videatur prohibentē nihil sensisse de huiusmodi alienatione. l. cùm fidei. ff. de fideicom. liberta. ipsáq; necessitas plæraque probabilia faciat. l. qui potuerunt. ff. de manumis. testamen. Vasallus tamē quantávis egestate pressus, sine domini permissione, feudi, eiúsve partis alienandæ nullam habebit facultatem. secundum hunc textum, qui planè indicat priscam consuetudinem, qua feudalis alienatio, quantum ad partem, recepta erat, iam prorsus antiquatam esse. quod & Bal. Aluaro. & Præpositus, aliiq; creberrimis suffragiis confirmant, per rationes paulò antè commemoratas. Si tamen quopiam in loco aliud permitat consuetudo, eam constat esse obseruandam. c. i. suprà, de feudi cogni. Canonicum quippè est, in causis feudalibus dirimendis, primum locū obtinere specificam loci consuetudinem, qua non extante, hosce feudorum vsus obseruari oportere. secundum Præpo. hic. in primo notabili. Lege quoq; municipali recipi posse, vt feudum licitè alienetur sine domini consensu, Alua. & Præposi. hic adstruunt. modò in fraudem Imperialis constitutionis, municipia nihil vsurpent. §. callidis. infrà, de prohi. feu. alie. per Frede. & de prohi. feu. aliena. per Lotha. in fi. Certè ecclesiarum feuda, tali statuto municipali non comprehendentur, quum ea sine legitimo ecclesiasticarum personarum assensu, vendi & alienari non possint. c. quæ in ecclesiarum. de constitu.

§. Si verò vel totum vel partem volebat per feudum aliquem inuestire, hoc licebat ei sine fraude facere. Si autē dissentiente domino vendebat, siue per feudum inuestierat (quod & ipsum syncerè hodie, & sine fraude licet ei facere) si tamen sine hærede masculo descendēte decedebat, vel feudum in manu domini refutabat: aut alia fortè ratione intercedente, culpa amittebat: tunc omnis feudi alienatio ad irritum reuocabatur, eo excepto, quòd ille qui secundo loco beneficium acceperat, non amittebat, si priori domino seruire, & ab eo feudum recognoscere volebat.

Quondam etiam vasallus, domino non assentiente, feudum suum eiúsve partem, alij per inuestituram concedere, hoc est, subinfeudare permittebatur,

tebatur, quod ipsum & nunc permissum esse censetur, dummodò sine fraude, & syncerè res agatur, ita videlicet, ne gratuitæ subinfeudationis prætextu, numerato precio, vera feudi venditio pallietur. Si itaq; præfato modo syncerè alicui subinfeudasset, aut etiam irrequisito domino, partem feudi dimidiam (id enim licebat necessitate presso) vendidisset, quod actum fuit, robur obtinuit, donec quopiam rei euentu in irritū recideret, vtpotè, vel quia feudum sic transferens, sine masculina sobole decessisset, vel quia in manus domini feudum refutasset, vel alia quapiam causa delictóve, re feudali cecidisset, tum enim resoluto iure datoris, ius quoq; acceptoris resolui necessum erat. Poterat tamē subinfeudatus, extincto & sublato suo autore, nempè subinfeudante, suam feudi possessionem retinere, si domino feudi obsequia, instar vasalli, obtulisset, ac feudum ab eodem recognoscere voluisset.

1. Vt quondam, ita & nunc feudum suum, eiúsue partem, alij rectè vasallus subinfeudat, modò fraus omnis procul absit, vt hic. Eatenus enim quid fieri permissum esse censetur, quatenus res ex fide agēda sit. l. creditor. §. Lucius. in fi. ff. manda. Cæterùm, si aut prole virili non superstite, decedat, aut feudum refutet, aut etiam exigente culpa, hóc amittere mereatur subinfeudans, constat ea subinfeudatione in irritum relapsa, & quondam potuisse, & nunc quoque feudum per dominum reuocari posse, quum resoluto iure datoris, ius quoque acceptoris resoluatur. l. lex vectigali fundo. ff. de pignori. de quo in c. primo §. vltimo. infrà, de controuer. inuestitu. hæcq; regula non sit alio feudali placito abrogata, secundum Præpositum. Est tamen via, qua sibi consulere, & in feudi possessione persistere vasallus pòssit subinfeudatus, si videlicet infra annum & diem, siue infra annum & mensem, si miles sit, (suprà, quo tempo. miles inuesti. pete. debe. in princi.) domino obsequia sua deuoueat, ac inuestituræ renouationem petat. Nam sic flagitanti vasallo assensum suum dominus non denegabit. vt per Aluarot. hic. de quo in d. §. vlti. de controuer. inuesti. quod adeò Præpositus obtinere putat, vt domino feudi vel inuito, & reluctante, præfata ratione, possessionem suam feudi continuare & constabilire queat. Hoc ex Aluaroti sententia tempera, vt non obtineat, si ob crimen in ipsum dominū perpetratum, subinfeudans iure feudi cecidisset, tum enim in dispendium secundi quoq; vasalli subinfeudati, tam enormis sui autoris ingratitudo meritò redundaret. argu. c. i. in fi. an ille, qui interfe. fra. domi. & §. fi. quæ fuit prima cau. benefi. amit. Prælibatam quoq; subinfeudationem, agnatis subinfeudantis (si qui eo sublato superessent) non obfuturam, notissimi iuris est. secundum Aluaro. & Præpo. hic. de quo latius alibi.

§. Donare autem, aut iudicare pro anima, vel in dotem pro filia dare, nullius curiæ poterat consuetudine: licet posset locare, nisi locatio esset fraudulenta alienatio: sicut est per libellum, vt dicatur venditio. Quis enim dubitat, quòd libellario nomine, sub vilissima duorum denariorum pensione, perpetuò concedat ir vtendum, alienatum in fraudem esse.

Feudum antiquitus nec donari, nec ad pias causas legari, nec in dotem filiæ dari poterat à vasallo. Locatio tamen fieri concedebatur, nisi improbo eius velamine, venditio & alienatio vera irrepsisset, veluti si vmbratico emphyteutici contractus prætextu, modico vilissimóq; precio rem feudalem à se abdicasset: quum ex ipsa precij vilitate nulli non constare possit, fictitia emphyteusi fraudulentam alienationem contectam fuisse. Quæ omnia etiam nunc obtinere censentur.

1. Vasallo feudi donandi, vt quondam, ita & nunc denegata est facultas.vt hic. Quod accipe, nisi filio, aut agnato, qui alioqui in eo feudo proximior sit successor, ea fiat donatio, quum non tam donatio, quàm quædam quasi refutatio, quæ in tam coniunctam personam fit, censeri debeat. Infrà, de aliena.pater.feu.in princip. secundum Aluaro. hic. Proindè etiam domini non adhibito consensu facta subsistet.

2. In animæ suæ salutem, vel ad pias causas, ne hodie quidem vasallus feudum legare, aut relinquere potest, domino nō assentiente, vt hic. & infrà de prohibi.feu.alie.per Frideri.in verbo, nec pro anima iudicare: quod verbum species est locutionis vulgaris, & significat idem quod relinquere. secundum Alua.hic. Est enim placitis feudalibus constitutum, in vltima voluntate, seu testamento, de feudo nullam fieri dispositionē posse. sup. de succes.feu.c.i. Nec hic libertatis ecclesiasticæ vlla est oppugnatio, sed ipsius feudalis naturæ refragatio, qua præpediente, vasallus nullum ecclesiæ legatū facere potest eius rei, quæ suapte vi testamētariæ dispositioni obnoxia esse nō potest. Quapropter Ecclesia cultrix & auctrix iustitiæ, quæ non patitur cōtra iustitiam aliquid in se, vel in alium fieri. sup. de feu.alie.c.i. tale legatū vel vltrò respuere etiam debet. Alioqui enim iustitiæ omnis ratio peruerteretur, & ius pessundaretur proximorum agnatorum, quibus ex insita feudi natura, successio debetur: simul & præiudicium nō vulgare cōciliaretur ipsi dño, ad quem nūnquā rediret feudū; quum ecclesia nunquā desinat esse hæres, vt hæc luculenter probantur in d.c.i. de aliena.feu. Absit igitur à sancta Dei Ecclesia, vt lucra damnis quærere videatur. c. fraternitas tua. xij. q. ij. & cum iactura ditari aliena, quum vel Ethnicus hoc natura æquum esse cognoscat, neminē cum alterius detrimēto fieri locupletiorē. l. nam hoc natura. ff. de condic.indebi. Hanc sententiam probat Bal. & Aluar. & in eam inclinat Præposi. licet in fine vacillet scrupulo nescio quo cōscientiæ, quasi verò piaculum sit, iniquis Ecclesiæ compendiis, cōiurata factione vsquequaq; non adstipulari. Quanquā plurimi sint, qui plus æquo, & stupidè faueant Ecclesiæ, & in diuersam opinionē abeant. vt hic prolixè per Præpo. Ego tamen priorem sententiam & optima ratione niti, & euidentibus textibus fulciri conspicio. Proinde consequens est, vt ne talis quidem legati æstimatio vlla debeatur. Quoties enim testator ius suum legat, quod morte eius finitur, inutile est legatum. vt hic inquit Bal. & sequitur Aluaro. per l. vxori patrui. C. de lega. quicquid hic dixerit Præposi. Verùm enimuerò domini accedente consensu, vasalli testamentum, quo de feudo disposuit, etiam post eius obitum, confirmari & conualescere posse, idem Bal. & Aluaro. tradunt. quod Præposi. & quidem rectè, intelligit, quantum ad ipsius domini præiudicium attinet, non autem respectu agnatorum, si qui superessent, eorum enim iuri, domini consensu nihil posset deperire. c.i. infrà, de alienati.pater. feu. Qui etiam adstruit, testamentum de feudo, præsentibus agnatis & domino factum, in dubio validum censeri: quum præsentes & taciti voluntatem testatoris probasse videantur. argu. eorum, quæ de præsentia taciturna latius sum prosecutus, in §. præterea. suprà, quib.mo.feudum amit.tit.priore. Postremò consuetudine, aut lege municipali, liberam de feudo testandi facultatem competere posse, probauimus in c.i. suprà, de success. feu.

3. Pater feudū, quod obtinet, in dotem filiæ cōferre non potest, absq; domini assensu. per hunc text. gloss. & creberrimam opinionem Doctorum. Quanquā multorū iudicia varient, sustinentium, patre superstite, ratam fore dotem, quam filiæ sine domini consensu, de feudo constituit. Sed hic tex.

clarus est in contrarium: ergo inuentionibus priuatorum non est obfuscandus, cui & viua adstipulatur ratio. Nam si vasallus, ne victus quidem egestate laborãs, feudum suum alienare permittatur. vt in §. i. suprà, eo. tit. quo pacto id in vsus filiæ, à se poterit abdicare? Mulier tamen vasalla feudum suum marito in dotem conferre videtur. infrà, de inuesti. quam Titi. accepit à Sempro. c. vnico. & in c. vnico. infrà, de eo, qui sibi vel hæredi. suis mascu. Nisi potius vtrobiq; factum narrari, quàm ius aliquod statui putare velis. Tametsi hac specie, domini conditio non deterior, sed melior reddatur, cui ea dotis constitutione, vasallus vir, fœminæ loco surrogatur, hanc tamẽ feudalis dotis constitutionẽ, mox, vxore sublata, extingui constat. Igitur nullum eius vsumfructum marito, absq; domini consensu, relinquet: nec aliàs particulariter quippiam de eo disponet in domini vel agnatorũ fraudem, si constitutionũ pœnis illaqueari nolit. Similiter conspicimus, maritum feudi partem, in donationẽ propter nuptias vxori cõcedere, quæ tamẽ concessio momentũ non obtinebit, nisi quousq; in humanis fuerit maritus, eorũ tamen, quorum interest, consensus, eam donationẽ perpetuare posset. c. nuper à nobis. de donatio. inter vi. & vxo. Multa circa hæc effundit Aluaro. & in eius verba repetens Præpo. quæ demùm in id recidunt, vt & huic maritali ac temporariæ dotis constitutioni, consensum quoq; domini accedere consultum sit, propter quorundam opinionem, qui hanc sine domini permissione fieri prorsus non posse pronunciarunt.

4. Vasallus quondam sine fraude feudum suum locare poterat. vt hic. quod etiam hodie censetur licitum, si ad modicũ tempus locatio fiat secũdum Iacob. à Belui. & Præpo. hic. Modicum autem tempus nouennio circumscribit consuetudo, aut certe eo tempore, quod decennium non egreditur, glos. super verbo, ad tempus modicum. in cle. i. de reb. eccle. non alienan. Ad longum autem tempus locare, aut in emphyteusim dare, prorsus non licet. Et quanquam Præpo. hic afferat, vasallum personali actione se adstringere posse, ad fructus feudales alicui præstandos, etiam durante tempore triginta annorum, cùm (vt ipse ait) personalis obligatio, non faciat alienationem rei, secus si constituatur vsusfructus in re: Ego tamẽ hoc dictum non sic recipi simpliciter, sed feudi ac vasalli fortuna opibúsq; metiendum puto. Fieri enim posset, vt per annuas illas præstationes, non secus, atq; per ipsam feudi venditionem exhauriretur vasallus, contra mentem & intentionem Imperatoris, qui statuit, nullum excogitari posse cõmercium in feudo, per quod imperij vel dominorum minuatur vtilitas. infra, de prohi. feu. alie. per Lotharium. Eâdem salis mica temperandum est, quòd patrem obligando se personaliter, absq; domini assensu, filiæ suæ dotem ex feudalibus prouentibus constituere posse scribat. Non enim oportet iura calumniari, neq; eius verba captari, sed qua mente quid dicatur animaduertere conuenit. l. penult. ff. ad exhiben.

§. Porrò siue de bona consuetudine, siue de praua quæramus, concessa erit domino, pro æquali precio redemptio: nisi hoc beneficium amiserit dominus per refutationem, vel annali silentio, ex quo sciuerit computando. Præscriptione autem triginta annorum, submouebatur tam sciens, quàm ignorans. In prohibendo autem vel redimendo, potior erat proximi agnati, quàm domini conditio: si tamen feudum erat paternum.

Antiquitus, si bona siue iusta consuetudine, quæ sic vocata dimidiam feudi partem, aut mala & irrationabili consuetudine, quæ sic appellata,

 totum

totum alienari feudum permittebat (vt in c.i. suprà, de aliena. feu.) fretus vasallus, rem feudalem, domino inscio, & non consetiente vendidisset, illius recuperandæ, refuso emptori precio, facultatem is habebat, nisi vendenti vel expressè, vel tacitè, annali scilicet spacio, tacens & conniuens, assensum præbuisset: aut temporis diuturnitate, siue ignorans, siue sciens, (nihil enim refert) triginta scilicet annorum lapsu, iure suo cecidisset, si tamē feudum paternum fuisset, domino potiores erant agnati, & quo ad reuocationem, & quo ad prohibitionem, quæ videlicet vasallo fiebat, ante perfectam venditionem, oblato ei iusto precio, quo mediante, is feudum alij diuendere parabat.

1. Huius dispositio textus, secundum ius antiquum obtinet. Nam per constitutionem Friderici Imperatoris, sine consensu domini, facta rei feudalis alienatio, corruit, & eam tam emptor quàm venditor amittūt, emptori bonæ fidei ex empto, actione, de precio, contra venditorem, competente. infrà, de prohi. feu. alie. per Fride. Quare præsens tex. ea demùm specie momentum adhuc obtinuerit, si vel consuetudine regionis, vel lege municipali, vel Principis cuiuspiam constitutione, & decreto, feudi alienatio liberè permittatur. Nam hac alienatione sic licitè, absq; domini permissione facta, dominus nihilo secius ad eam reuocandam, precio restituto, admittetur, nisi vel expressè, vel tacitè, videlicet annali emenso tempore sciens & tacens iuri suo renunciet, secundum glos. Bal. Aluaro. & Præpo. hic. dicentē: hoc valdè memorabile esse, ad interpretationē consuetudinis, quæ multis in locis, liberam feudi alienationem concedit. Annale tamen hoc tempus scientiam domini requirit: tempus enim, cuius lapsu, tacita progignitur renunciatio, non fluit ignoranti. secundū Bal. hic. l. annus. ff. de calumnia. vbi eius redditur ratio, videlicet, quòd is qui nescit, non videatur experiundi potestatem habere. Sed cursus longissimi temporis, scilicet, triginta annorum, etiam hoc casu, ignoranti silentium imponit: æquum enim est, vt tam diuturni temporis circulo, litis omnis seminarium exarescat. Cæterùm pupillo, tempore pupillaris ætatis, huius spacij prolixi tempora non fluere. glos. hic. & Bal. est opinio, generaliter dicentis, in præscriptione xxx. annorum, consuetudine seu lege municipali recepta, locum etiam vendicare legem, sicut, versic. sed pupillari ætate. C. de præscrip. xxx. annorum. vbi pupillaris ætas, (quamuis sub tutoris defensione consistat) eximitur ei sanctioni, qua statutum est, omnes actiones, triginta annorū iugi silentio, ex quo competere cœperunt, viuendi vlterius non habere facultatem. Quod & Alua. & Præpo. comprobant. Porrò quum feudum, eo quo dictum est modo, venditur aut alienatur, domino, si paternum sit, præferentur agnati, tam in reuocando, quàm in prohibendo, vt hoc tex. An autem his agnatis, spacium hoc annale, præiudicet, quemadmodum id domino præiudicare diximus, tractatum est in .§. Titius filios. infrà, si de feu. defunc. conten. sit inter do. & agna. vasal. Præfata autem prohibitio sic fieri solet: Agnatus audiens venditionem feudi agnatū moliri, eum de iure suo admonebit, videlicet, in memoriam ei redigens, feudum hoc maiorum prouidentia acquisitum, sibi potius quàm extero vendi oportere, obferétq; ei precium æquale, cuius gratia ad feudi alienationem prosilire cupit, hoc enim facto, alij feudum suum vendere non licebit vasallo .§. sed etiam res. suprà, per quos fi. inuestitu. Si tamen hic cum extraneo licitatore colludens, precium immoderatum & immodicum exposcat, hoc ad iustam æstimationem reducere conueniet. arg. l. ad officium. versi. æstimatione iusta facta. C. commu. diuidun. eo duntaxat inspecto,

cto, quantũ ab alio, re vera, accipi poteſt. l. vlti. C. de iure emphy. poterit itaq; & hic iudicis implorari moderatio, qui ex perſonis, cauſisq; id ſtatuet: Neque enim maliciis fuerit indulgendum. l. in fundo alieno. ff. de rei vendi. & probatur in l. ſeruo alieno. §. vlti. ff. de fideicommiſ. liberta. Verùm enimuerò, quantum ad nouum attinet feudum, dominus & prohibentis & reuocantis perſonam ſuſtinet, vtpote hac ad agnatos non progrediente, niſi ſpeciali conuentione hoc ſit actum. de quo in §. ſi autem. ſuprà, de iis qui feudum da. poſſunt. Vt autem conſtare poſſit, antiquum ne feudum & paternum, an verò nouum ſit in tenorem inueſtituræ, ceu in ſcopum quendam ſemper collimandum erit. Nam ſi dominus, re vera, nouum concedens feudum, quem de feudo paterno & antiquo, vel iure paterni, & antiqui feudi, in diplomate inueſtituræ ſe narret inueſtiuiſſe, verè nouum feudum in naturam & formam antiqui feudi mutabitur. Tam efficax eſt metamorphoſis eo in negotio domini voluntas, qui rei ſuæ moderator exiſtens & arbiter (l. in re mandata. C. manda.) pro ſuo iure, formam ei, quam velit, indere poteſt. quod & Præpo. hic adſtruit.

§. *De illa verò feudi alienatione, quæ à domino fit, ſi dubitetur, lex imperatoris Conradi conſulatur, quæ poſita eſt, in iam dicto titulo de Beneficiis.*

Si iam quis ſcire deſideret, an ne & dominus reciprocè feudũ, hoc eſt, dominium ſuum directum vendere poterit, & alienare, conſulenda eſt lex Conra. quæ habetur in §. Ex eadem. inf. de lege Conra. Sed conſtitutione Friderici Imperatoris cautum eſt, ne dominus feudum, ſine voluntate vaſalli, ad alium transferat. §. præterea. in fi. infrà, de prohibi. feu. aliena. per Frideri. de quo latius ibi.

Quis dicatur Dux, Marchio, Comes, Capitaneus, vel Valuaſor.

Titulus X.

QVI A PRINCIPE de Ducatu aliquo inueſtitus eſt, Dux ſolito more vocatur. Qui verò de Marchia, Marchio dicitur: dicitur autem Marchia, quia Marcha, vt plurimum iuxta mare ſit poſita. Qui verò de aliquo Comitatu inueſtitus eſt, Comes appellatur. Qui verò à Principe, vel ab aliqua Poteſtate de plebe aliqua, vel plebis parte, per feudum eſt inueſtitus, is Capitaneus appellatur, qui propriè Valuaſor maior olim dicebatur. Qui verò à Capitaneis antiquitùs beneficium tenent, Valuaſores ſunt. Qui autem à Valuaſoribus feudum, quod à Capitaneis habebatur, ſimiliter feudum acceperint, Valuaſini, id eſt, minores Valuaſores appellantur, qui antiquo quidem vſu, conſuetudinem feudi nullam habebant. Valuaſore autem ſine filio mortuo, feudum, quod Valuaſori minori dederat, ad Capitaneum reuertebatur: Sed hodie eodem iure vtuntur in curia Mediolanenſi, quo & Valuaſores. Cæteri verò, qui ab antiquis temporibus beneficium non tenent, licet nouiter à Capitaneis, ſeu à Valuaſoribus acquiſierint, plebei nihilominus ſunt. Nam illi qui Soldatam habuerunt vel acceperunt, vel habent: per eam nullum paradogium, ſed nec feudi vſum acquirunt. Soldata autem eſt præſtatio quædam annua gratuita, quæ à neutra parte tranſit in hæredem. Morte enim dantis vel accipientis interueniente, finitur. Soldata verò dicitur, quia plærunq; in ſolidorum donatione conſiſtit: quandoque etiam in vino & annona conſiſtit.

Secuudum receptum loquendi morem, in materia feudali, Dux appellatur, quem de quopiam ducatu inueſtiuit Princeps. Marchio verò, qui de

marchia inueftitus eft: quod nomen à marcha, loco nimirum limitropho, circa maritimas oras, tractum primò videri poteft: Nam illic plærunque, ad arcendos Piratarum incurfus præfidia collocari folebant, quibus præfecti, Marchiones tandem dici cœperunt, feudũ ea in regione, marchionatus titulo confecuti, velut follicitæ quoddam excubationis auctoramentum. Comes autem vocatur, qui de comitatus territorio, feudi inueftituram accepit, & hi propriè Regni, vel Regis Capitanei dicuntur. fuprà, de iis qui feu. dare poffunt §. i. At qui de iurisdictione, honore, & præeminentia, in quampiam plebem, aut plebis partem, vel à Principe, vel ab alio quopiam eius rei poteftatem obtinente, feudalem conceffionem meruit, impropriè nunc Capitaneus dicitur, qui propriè maior Valuafor quondam cognominabatur. Porrò à capitaneis propriè dictis Duce, Marchione, Comite, & confimilibus, feudi inueftituram antiquitùs obtinentes, propriè funt maiores regni valuafores, qui tamen hodie etiam nuncupantur Capitanei, fed impropriè. d. §. i. & hic in gloff. prima. Rurfum ab his feudum per fubinfeudationem recipientes, minores valuafores, fiue valuafini dicuntur: qui antiquitùs, propria feudi natura, & confuetudine non potiebantur, quoniam ab his feudum, quandocunque pro fuo arbitrio, inueftiens reuocare poterat. c. i. fuprà, de natu. feu. Infuper & minores ifti valuafores, autore eorum, à quo inueftituram obtinuerant, fine liberis decedente, feudum ad capitaneum, à quo defunctus fubinfeudans hoc obtinuerat, reuertebatur: nec poterant obferentes obfequia fua, & feudum ab eo recognofcere defyderantes, fuam feudalem poffefsionem continuare: Sed hodie, fublata ea confuetudine, non folùm in Mediolanenfi, vt hic in textu, verumetiam omnibus aliis in curiis, retinendi feudi adæquata eft ratio: Quare eodem nunc iure, minori valuafori, quo maiori quondam prior dominus feudum auferre prohibetur, extincto eo, qui fine liberis decedens fubinfeudationem concefferat, fi modò priori domino hic minor valuafor fubinfeudatus feruire, & inftar vafalli, feudum ab eodem recognofcere velit. Verùm enimuerò tametfi, explofa confuetudine prifca, quantum ad facultatem retentionis, adæquata fint feuda, non tamen quantum ad fplendorem nobilitatis. Proindè qui non vetufti, longaque annorum ferie, poffefsi feudi clarent titulo, licet recentem aliquam & nouam, à Capitaneis impropriè dictis, feu valuaforibus, feudi inueftituram adipifcantur, nulla tamen nobilitate præditi, plebei permanent. Secus, fi à Capitaneis propriè dictis, qui fcilicet Capitanei Regni, vel Regis funt, feudum aliquod nouum conferatur: Hoc enim nobilitare poffeffore poffet. fecundum Iacob. à Belui. Quod eatenus intelligo, quatenus ei vel priuilegio, vel cõfuetudine, alióve iure, nobilitãdi competat facultas. Similiter & plebei funt, qui Soldatã confequuntur, nullum enim eis acquiritur paradogum: quod barbara & Longobardica voce, feudi nobilitatẽ fignificat: Nam antiqua tempeftate, feudum nobile, paradogum, ignobile verò, pedagogum vocitabant. fecundum Bal. & Alua. hic. Præterea hoc foldatæ feudum, propria feudi natura deftituitur, nam morte dantis, feu accipientis euanefcens, ad fucceffores non tranfmittitur, quum fit gratuita quædã præftatio, fic dicta, quòd folidorũ donatione plærunque pendebatur, tametfi & vino, & annona quoque præftari poffet.

1. Hic textus, prima facie tenebricofus, fic explanatus fecundum veram interpretationem, nihil iam habet fcrupuli, fed vt ait Iacob. à Belui. in §. hoc quoque, fuprà, de iis, qui feu. da. poffunt. liber Feudorum multa inquifitione, fimul & multa indiget diligentia. Porrò de origine horum nominum

minum, Ducis, Marchionis, Comitis, quædam non illepida, ex vetustate repetit in compendio feudali Zasius: sed vt in re feudali, præfatis aliqua adhuc lux maior accedat, noueris primo. Regalem dignitatem, siue maximam, vt regnum, siue maiorem, vt Ducatum, & Marchionatum, siue magnam, vt Comitatum, & Baroniam (de qua paulo post dicemus) à principe summo, feudi titulo consecutos, propriè regni, vel regis Capitaneos nuncupari. sup. qui feudum da. possunt, in princi. & sup. de feudo March. cum notatis per docto. vtrobique. Capitanei autem dicuntur, quòd ceu capita quædam, & vertices, inter alios emineant vasallos, feudum præcipuæ sine maioris nobilitatis consecuti. Regni porrò, aut regis capitanei nominantur, quoniam à Romanorum Imperatore, vel rege, velut fonte quodam perenni regalis huiusmodi dignitatis scatebræ & riuuli in eos promanârunt, & quodam imperialis beneficij (vt sic dixerim) alueo profluxerunt. vt dixi in §. i. supra, de feu. March. Secundò à principe, alióve, parem eo in negocio facultatem obtinente, de aliquâ plebe, aut plebis parte inuestitus, etiam Capitaneus dicitur, sed non regni, vel regis. vt hoc tex. qui (vt etiam hic in textu) valuasor maior, antiquitus proprie dicebatur, hunc Baronem appellari Aluaro. ait. citans Bal. in §. sunt & alij. sup. de iis qui feud. da. possunt. sed Bal. ibi de hoc Capitaneo non loquitur, vt mox dicam. Porro etsi hic inuestitus à rege vel Imperatore de aliqua plebe, dicatur Capitaneus improprie, non tamen ob id feudum regale, quod præcipuæ nobilitatis esse diximus, censetur consecutus, sed feudum minoris nobilitatis dicitur adeptus. secundum Alua. & alios hic. Tertiò quidam à Capitaneis regni, vel regis feuda accipiunt, & huius similirer hodie capitanei appellantur, sed sine illa adiectione, videlicet, regni vel regis, quanquã regni vel regis valuasores propriè nuncupentur. d. §. sunt & alij. & ibi Bal. hos esse dicit, qui vulgo vocantur Barones, sic ipse ibi notat super verbo Capitanei, sed Germaniæ moribus, Comiti Baro prorsus æquiparatur, nullumque est inter eos vel dignitatis vel præeminentiæ discrimen, nisi quòd de Comitatu non sit inuestitus Baro: qui tamen omnibus in rebus suscipiendis, honoribusque administrãdis, haud quaquam Comite censetur inferior. Quare & hunc Regalem obtinentibus dignitatem, non secus atque Comitem annumerandum esse, & Capitaneum quoque regni vel regis (modò tamen ab Imperatore feudum suum obtineat) cognominari debere, vetustissimus Germanorum procerum recepit vsus. Id Aluaro. quoque sensisse videtur, dum in præludiis, in prima feudorum diuisione dicat: Regale feudum esse, Ducatus, Marchiæ, Comitatus, vel alterius Regalis dignitatis, quæ ab Imperatore, vel Rege recognoscitur, nimirum Baroniam, verbis illis vel alterius & cæt. cogitatione complexus: cuius fortasse expressam facere mentionem noluit, quod de eo non satis compertum habebat, propter scrupulum, quem ei iniecit Bal. expositio, vt superius dixi. Sed text. in c. fundamenta §. Proinde, de electio. lib. vi. post Ducem, Marchionem, Comitem, mox Baronis meminit, euidente paris prærogatiuæ dignitatis argumento. Verùm ab alio quopiam principe feudum quoduis adeptus, regalem dignitatem, placitis feudorum, neutiquam habere censetur, vt hic in secunda parte tex. secundum Alua. hic. Non tamen ignoramus, quosdam Barones, etiam ab inferioribus Imperatore & rege principibus feuda obtinẽtes, eo iure & præeminẽtia, quo Imperij Barones, censeri, sed hoc posteriore consuetudine, antiquos mores abrogante, receptum est. Vt autem redeamus vndè sumus digressi, qui à Capitaneis proprie dictis inuestiti sunt, & hodie Capitanei, sed improprie, appellati, valua

sores

sores verò regni vel regis proprie dicti, feudum quoq; minoris nobilitatis (vt de Capitaneis, de plebe inuestitis, paulo ante etiam dictum est) conse-cuti esse censentur. Quarto. Ab his regni, vel regis valuasoribus feudum nacti, minorum valuasorum, siue valuasinorum nomen sunt sortiti, vt hic in tex. qui si multa iam ætate feudi inuestituram à maioribus in se propa-gatam obtineant, feudum mediocris, seu inferioris nobilitatis possidere vi-debuntur. At si id recenti beneficio à præfatis regni vel regis valuasoribus assequantur, ignobiles & plebei erunt. vt hoc tex. secundum Iacob. à Beluis. & Bal. hic, in §. Cæteri verò. Antiquitas itaq; hoc casu, nobilitatem tribu it, quod rationem habet, quandoquidem maiores illi, qui feudum possede-runt, multo iam annorum curriculo, à plebeæ sortis conditione alieni, & militaribus feudique muniis perfuncti, militaris etiam ordinis honorem, vnà cum feudo, ad posteros suos transmisisse videntur. Quinto. Illi qui ab his minoribus valuasoribus beneficia accipiunt, minimi appellantur valua sores. supra. An marit. succe. de. vxo. c. i. in fi. cum ti. seq. & glos. fi. hic. Et isti secundum Præpo. hic, proprie non dicuntur nobilitari. Bal. tamen hic. in §. Cæteri verò. ex mente Iacob. à Belui. horum conditionem comparat minoribus valuasoribus, vt scilicet ignobiles & plebei censeantur, nisi pro-lixis temporibus, ordine maiorum deuoluta ad se feuda possideant. Sextò. Sunt & qui ab his minimis valuasoribus feuda consequantur, de quibus su pra, de natu. feu. c. i. quum hodie quiuis liberam habens bonorum suorum administrationem, etiamsi ex infima vulgi fece, aut ruricolarum turba sit, feudi beneficium de facultatibus suis alicui constituere queat. supra, per quos fiat inuestitura. in princip. & dixi in §. Marchio. supra, de iis qui feu. da. pos. Et hæc feudi possessio, Burgensis appellari, omnis plane nobilitatis est extorris. secundum Præpo. in præludiis in secunda diuisione feudorum. Hæc sic enucleata & congesta, non temere inueneris alibi.

2. Porro feudum soldatæ, vt per se ignobile est, ita nec propriam habet feudi naturam, quum vel dantis, vel accipientis morte finiatur. Et est quæ dam (vt hic dicitur) præstatio gratuita, quam & hac tempestate, principes & magnates, probis quibusdam seniculis, aut nobilibus, ad inopiam, fortu næ calamitate, redactis, impendere consueuerunt. Videtur autem soldatæ vocabulum, & si iam in aliam significationem degenerârit, ex antiquitatis vsu profluxisse. Nam secundum Cassiodorum, Vegetium, & Frontinum, Solidatum in militia appellabant eum, cui stipendia ab Imperatore promis-sa erant: Quum enim populus Romanus supra ducentos annos (vt Liui us testatur) propriis impendiis militasset, Anxuro capto, decreuerunt Pa-tres, vt stipendiũ miles acciperet, cui & vestem, & frumentum, vltra pecuni-as, equiti etiam equũ donare solebant: Qui delecti, & auctorati dicebantur, temporis verò successu, matriculati etiam, & solidati. Sed temporis vetusta te, & res, & rerũ vocabula, non mutari solum, sed & prorsus aboleri videas.

De gradibus succedentium in feudo.

Titulus XI.

PER successionem quoque, sicut per inuestituram beneficium ad nos perti-net, mortuo enim eo, qui beneficium tenebat: Prima causa liberorum est. Fi liis enim existentibus masculis, vel ex filio nepotibus, vel deinceps per masculi-num sexum descendentibus, cæteri remouentur agnati. Ad filias verò seu neptes vel pro-

vel pronepotes, vel ex filia nepotes seu pronepotes, successio feudi non pertinet. Proles enim fœminini sexus, vel ex fœmineo sexu descendens: ad huiusmodi successionem aspirare non potest, nisi eius conditionis sit feudum, vel eo pacto acquisitum.

Feudum æquè per successionem, ac per inuestituram ad nos pertinet. Mortuo enim feudi possessore, hoc ad filios eius recta deuoluitur, si extent, aut ad nepotes, pronepotes, cæterósque per masculinum sexum propagatos, agnatis omnibus exclusis. Sed filiæ, & ex his descendentes, etiam si mares sint, ab hac succesione feudi prorsus remouentur, nisi eius naturæ sit feudum, eóve pacto acquisitum, vt à fœminis quoque possit obtineri.

1. Quemadmodum legibus obtinet, vt in successione mortui patrisfamilias, aut filijfamilias, liberi eius, si sint, omnibus aliis prælati succedant. Auten. in successione. C. de suis & legiti. libe. ita & feudalibus placitis receptum est, vt in paterna successione, quantum ad feuda, prima sit causa liberorum, vt hoc tex. Constat tamen, feudalem successionem, in plærisque à ciuili discrepare: Etenim ad hanc ascendentes quoque vocantur: defuncto quippè sine liberis filio, parentes succedunt. Auten. defunct. C. ad S.C. Tertullia. Ad illam verò aspirare non possent, quum successionis feudi talis sit natura. vt ascendentes non succedant, per consequens, nec filio pater. infrà, de natura. succes. feu. in princip. Item iure ciuili, pares in gradu, pariter admittuntur, sublata differentia masculorum & fœminarum. Auten. post fratres. C. de legiti. hæredi. Et æqua lance mares & fœminas ad successionem vocari, naturalis dictat ratio. l. maximum vitium. C. de libe. præte. Sed vsibus feudorum, & filiæ, & descendentes ex eis, à paterni feudi successione penitus eliminantur, vt hic. & in §. hoc autē. suprà, de iis qui feu. dare pos. Vbi huius consuetudinis feudalis rationem latius prosequimur. Quare iam dubium non est, cognatis, vtpotè per sexum fœmineum coniunctis (§. eos etiam. Insti. de succes. cogna.) viam omnem ad feudum esse præclusam, eámque ne vterino quidem fratri, quem cognatum esse constat (l. ij. ff. vndè cogna.) patère posse. Verùm enimuerò casibus duobus, hoc textu commemoratis, fœminæ succesionis feudalis commodo potiuntur: videlicet, si aut feudi natura hoc patiatur, id est, si fœmineum sit: aut si pactum tenórque inuestituræ id concedat. Adde & tertium, scilicet si loci consuetudo, vel lex municipalis eas ad successionem vocet, de quo fusius in d. §. hoc quoque. suprà, de iis qui feu. da. pos. Cæterùm emphyteuticæ successionis fœminam etiam capacem esse constat §. emphyteusim autem. in Auten. de non alienan. aut permutan. col. ij.

§. *His verò deficientibus: vocantur primò frates, cùm fratrum præmortuorum filiis, deindè agnati vlteriores. Quod ita intelligendum est: Si feudum sit paternum, hoc est, si fuit illius parentis, qui eius fuit agnationis communis. Si enim Titij auus. de nouo beneficio fuerit inuestitus, Titio sine legitimo hærede masculo defuncto, eius successio feudi, non pertinet ad eiusdem Titij patruum magnum: nec ad prolem ex eo descendentem, imò reuertitur ad dominum, ad agnatos enim eius beneficium non pertinet, neque beneficij successio.*

Nec liberorū, nec descendentium ex eis, quoquam superstite, ad defuncti fratres, fratrúmque præmortuorum filios, primo loco feudi successio defertur: Qui si non extent, ad vlteriores deuoluitur agnatos, modò hoc feudum sit paternum, hoc est, ab eo acquisitum, à quo ceu communi agnationis parente, genus & originem duxerunt. Proindè, si auus meus feudum quodpiam adipiscatur, egóque ei succedam, me sine legitimo successore mortuo,

tuo, ad eius feudi successionem, nec patruus meus magnus, videlicet aui mei frater, nec eius hæres vocabitur, sed mei, si qui supersint, agnati vocabūtur. Ratio est in promptu, quia patruus meus magnus fratet fuit primarij feudi acquisitoris, aui scilicet mei: sicq́; originē & genus ab eo non duxit. Quantum igitur ad hunc attinet, feudum præfatum est nouum, cuius successionem ad fratres aliósve agnatos non pertinere, iuris est indubitati.

1. Ea feudalis successionis est ratio, vt primo loco filij, aliiq́; ex eis descendentes succedant, agnatis quibuscunq; semotis. vt in §. præcedente, secūdo loco fratres defuncti, & cum his filij, si extent, fratrum morte sublatorū, in stirpes cum patruis vocandi. Auten. cessante. C. de legiti. hæredi. & suprà, de succes. feu. in princi. & suprà, de feu. March. c. ij. nisi vel consuetudine regionis, vel municipij lege, feudum primogenito debeatur. secundum Andream ab Ysern. & Præpositum, hic in fine. Nec locus hic fuerit legali distinctioni, vtrinque ne, an ex vno tantùm parente coniuncti sint, de qua in d. Autent. cessante. Quoniam, vt rectè Bal. non cognationis sed agnationis intuitu, nec propriè hæreditario iure, sed beneficio domini, feudalis defertur successio. Itaq; non mirum, si in hoc à regulis discrepet iuris ciuilis. Tertio loco, fratribus, eorumque filiis deficientibus, agnati proximiores, seruata ordinis prærogatiua, ad feudi successionem admittentur: Ita videlicet, vt qui gradu sit coniunctior, succedendi quoque ratione sit potior. vt hic. & in c. 1. de natu. success. feud. Et hæc in paterno obtinent feudo. Paternum autem appellatur, quod is primus sibi peperit, qui communis est parens eius agnationis, quam in id feudum succedere conueniat. vt hic. & in d. c. 1. infrà, de natu. succes. feu. Vbi paternum vocatur feudum, quod à quocunq; ex superioribus est acquisitum. Verùm enimuerò, si feudum sit nouum, ad agnatos successione non progredietur, vt in exemplo hic posito in textu, nisi pactum tenórve inuestituræ aliud permittat §. fi. suprà, de succes. feu. c. 1. suprà, de benefi. fra. & infrà, titu. proximo. Quare, vt Bal. hic ait: Successio feudalis suum aspicit stipitem: & non alium, qui non est stipes agnationis communis. per hunc textum.

§. Si verò dominus, vel alius, beneficium defuncti nouum esse dicat, agnatus autem illius proximus, paternum esse contendat: tunc onus probationis incumbit illi, qui nouum dicit. Sed scio aliter pronunciatum esse: Bonus enim index, causa cognita, diligenter intuebitur, cuius potius iureiurando, dirimēda sit hæc quæstio: vtroque scilicet in probatione deficiente.

Si mortuo feudi possessore, dominus, aut alius quispiam, domini forsan inuestitura fretus, hoc nouum esse controuertat, defuncti verò agnatus, paternum asserat, neutro in possessione existente, nouum esse feudum asserenti, probationis incumbit onus: modò tamen legitima præsumptione, verisimiliq́; coniectura hoc paternum esse colligatur. Nam præsumptione contrarium suadente, eius fuerit probatio, qui paternū esse contendit: Sicq́; pronunciatum Obertus meminerit. Vtraque autem parte, & possessionis commodo, & planæ probationis luce, destituta, in arbitrio fuerit iudicantis, vtrius iureiurando controuersiam dirimat: Idq; ex bono & æquo, causa ad amussim discussa, constituet.

1. Hanc veram ac genuinam esse huius textus explanationē, partim ex his, quæ Aluaro. enucleat, partim ex hoc textu, cum aliis feudorum placitis collato, planè colligitur. Certè hunc à Præposito, & aliis quibusdam intellectum non esse satis constat. Sed Præposito peculiare est, vt recitandis Aluaroti

roti verbis implicitus, exponendi textus ferè nullam operam suscipiat. Est igitur præsens §. in exordio sic intelligendus, vt apud neutrum, in subiecta specie, feudi fuerit possessio. secundum Aluaro. hic. Quod & aliorum feudalium placitorum ratio fateri cogit: Etenim si dominus feudi possessionem habeat, agnato probationis onus, hoc paternum esse, incumbit. Quo id non probante, iuramentum possidenti domino defertur. c. i. suprà, de contenti. inter me & domi. de portio. feu. fra. mei defunct. Si verò agnatus in feudi possessione sit, probatio dominum manet, hoc nouum esse contendentem. Alioqui, iureiurando feudum sibi constabilire agnatus poterit, vt ibidem, nam propter possessionem, ei defensio per iusiurandum datur. c. i. suprà, si de inuesti. feu. contro. fue. Quare si hos casus præsens textus respexisset, facilè, vt in se est, expeditam eius rei sententiam, secundum prælibata, protulisset: nec opus fuisset hic geminam, & velut ancipitem dispositionem inculcare, dum primò dicat, feudum nouum alleganti probationem incumbere, & secundò mox subiungat, eius contrarium esse iudicatum: Quæ varietas planè conuincit, hunc textum ea specie, qua feudi neuter est possessor, intelligi oportere. Porrò ne & hic textus vel ambiguitate lectorem suspendat, vel contrarietatis inuolucris intricet, accedit & subsidiaria quædam alia, congrua tamen expositio. secundùm glos. & Aluarot. vt primum textus dictum obtinere censeatur, quum aduersus dominum inualuerit præsumptio, feudum scilicet paternum esse: Secundum verò dictum, dum contrarium esse pronunciatum dicitur, obtineat, quum agnatis contraria restiterit præsumptio, aut alioqui causæ qualitas repugnârit. Proindè contentione inter dominum, & agnatum defuncti vasalli, super feudi qualitate exorta, ipsique agnato præsumptionis adminiculo suffragante, non solùm probationis onere non grauabitur, sed etiam, in feudi possessione, donec res clarius elucescat, agnatus constituetur: Quo facto, super principali quæstione cognoscetur. c. i. in princi. infrà, si de feu. defunct. conten. sit inter do. & & agna. vasal. probandi necessitate domino imposita, nouum esse feudum asserenti. vt hic.

2. Si neutra pars feudum possidens, plena probatione, fidem intentioni suæ adstruat, iudex causa diligenter cognita statuet, vtrius iureiurando lis sit dirimenda. vt in fine huius. Iudicantē igitur & hic oportet cuncta rimari, & ordinē rerum plena inquisitione discutere. c. iudicantē. xxx. q. v. Quapropter, si discusso negotio, inter actorem & reum paria comperiat omnia, siue probationes, siue rei, personarúmque circumstantias intueatur, iurisiurādi defensionem dabit reo: Nam fauorabiliores sunt rei, quàm actores. l. fauorabiliores. ff. de regu. iu. Et promptiores nos esse conuenit ad absoluendum, quàm ad condemnandum. l. Arrianus. ff. de verbo. obli. Si verò potior actoris, vel causa, vel persona inueniatur, etiam si reus possideat, nihilominus actori sacramentum deferet: Non enim semper est dandum possidenti, sed illi potiùs, cui tale quid suffragatur, quod iudicis animum ad hoc meritò commouere debeat §. sacramentum non semper. infrà, de consuetu. rect. feu. vt hæc tradit glos. super verbo, possessionē. in §. i. suprà, si de inuest. feu. contro. fue. Quæ etiam inquit, omnia placita feudalia, quæ statuunt sacramentum possidenti dandum, secundum moderationem d. §. sacramenta, accipi oportere. Res igitur omnis in iudicis religione consistit, vtrius iureiurando controuersiam sopire velit, plena videlicet probatione vtrinque deficiente. Qua de causa, iudex in hoc negotio, æquitatem semper ante oculos habeat. l. quòd si Ephesi. in fi. ff. de eo. quod cer. lo. & inter

vtrãque partem sit medius.l.vbi falsi.C.de fal.nihilque vendicet odium, vel fauor vsurpet, timor exulet, præmium aut expectatio præmij iustitiam non euertat: sed stateram gestet in manibus: lancẽ appendat æquo libramine, & præ oculis solum habeat Deum.c.i.de re iudica.lib.vi.& ita demũ ad hoc iuramentũ alteri parti, sicut iustitia dictante rem exposcere viderit, deferendũ progrediatur. Nam, vt in oratione pro A.Cluentio dixit Cicero: est sapientis iudicis, meminisse se hominẽ, cogitare tantũ sibi esse permissum, quãtum cõmissum & creditũ sit: & nõ solum sibi potestatẽ datam, verùm etiam fidem habitã esse meminisse. Posse quem oderit absoluere, quem non oderit cõdemnare, & semper, nõ quid ipse velit, sed quid lex & religio cogat, cogitare: animaduertere, qua lege reus citetur, de quo reo cognoscat, quæ res in quæstione versetur. Cùm hæc sunt cogitãda, tum verò illud est hominis magni atque sapientis, cùm illam iudicandi causa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcunque concupierit licere, sed habere in consilio legem, religionẽ, æquitatem, fidem: libidinẽ autem, odium, inuidiam, metum, cupiditatésque omnes amouere: Maximéque existimare conscientiam mentis suæ, quam à Deo immortali accepimus, quæ à nobis diuelli non potest, quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine vllo metu & summa cum honestate viuemus. Hæc ille.

De fratribus de nouo beneficio inuestitis.
Titulus XII.

SI DVO FRATRES de nouo beneficio, & non de paterno, inuestiti fuerint, vno sine hærede defuncto, ad alienum non pertinet eius beneficij portio: nisi facta fuerit eo pacto inuestitura.

Duobus fratribus de feudo nouo inuestitis, alterius sine descendẽte hęrede mortui portio viuẽti nõ accrescet: nisi pactum inuestituræ id permittat.

1. In feudo nouo fratribus cõcesso ius accrescendi locum non vendicat, vt hic. & sup.de iis qui feu.da.possunt.§.sin aũt. Veruntamẽ si tale sit feudum, quod diuisionẽ non recipiat, veluti secundum Præpo.si sit Ducatus, Marchionatus, Comitatus, seu alia dignitas, quæ diuisionẽ non admittit.§. præterea Ducatus. infrà, de prohi.feu.alie.per Frider.aut secundum Bal.& Alua.si ius piscandi, venandi, exigẽdi vectigalis, vel simile quippiam indiuisibile, duobus fratribus feudi titulo sit acquisitum, receptissima DD. opinione, decedentis portio ad superstitẽ pertinebit, secundum Aluar. post alios hic. modò eius partis æstimationẽ domino præstet.argu.l.si is qui quadraginta.circa fi. ff. ad l.Falci. vbi sic inquit: legata quæ diuiduitatem non recipiunt, tota ad legatarium pertinent. Sed potest hæredi hoc remedio succurri, vt æstimatione facta legati, denunciet legatario, vt partem æstimationis inferat: si non inferat, vtatur aduersus eum exceptione doli mali. Cui etiam adstipulatur l.cùm filius, paulò post princi.versicu.partis autem æstimatio præstabitur.ff.de lega.ij. Et quidem huius partis precium, viri boni arbitratu æstimandum videtur.l.duobus petentibus.in fi. ff.de libera.caus.vel proscripta illius portionis auctione, licitationis victoria precium fuerit metiendum. secundum Aluaro.argu.l.i.C.commu.diui. Attamen si illius solius gratia, qui decessit, feudum fratribus duobus cõcessum fuisse constet: vtpotè, quia is forti pectore, simul & rei bellicæ peritia claruerit, hoc iure non vtetur superstes frater, homo ignauus, animo degenere, & fruges consumere natus. Nam feudum totum ad concedentẽ relabetur, precio tamẽ fratri

residuæ partis refuso. In omnibus enim causis id obseruatur, vt vbi perso
næ cõditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea, beneficium quoq; defici-
at. l. in omnibus causis id obseruatur. ff. de regu. iur. Præposi. hic prolixiorẽ
distinctionẽ congerit, sed vt facilè quiduis coaceruatur, ita non perindè faci-
lè iure probatur. Ratio autẽ, quare superiore specie, in feudo indiuiduo, su-
perstiti fratri pars defuncti potius accrescat, quàm domino pars superstitis,
precio eidem refuso, hæc fuerit, quòd feudum vasallo absq; legitima conui-
ctáq; culpa adimi nequeat. c. vni. suprà, de natu. feu. & c. vni. suprà, de feudo
sine cul. non amit. Adimeretur autem, si non defuncti partem superstiti
fratri, sed domino superstitis portionem cedere diceremus.

2. Porrò tametsi quopiam ex iis, quibus cõmuniter aliquid à Principe
donatũ sit, nullo hærede relicto, decedẽte, ad cõsortẽ potius solatium, quàm
ad personã aliam pars decedentis peruenire debeat. l. vnica. C. si libera. impe
ria. socius sine hære. decef. lib. x. eáq; similitudinis ratione, in feudo à Princi
pe concesso, iuri quoq; accrescendi locum fore, controuerti posse videatur,
vt expressè hoc asserit Bal. in c. vnico. post princi. infrà, de duo. fratri. à capi-
ta. inuesti. Tamen Cynus in l. vni. C. quando non peten. par. peten. accres. id
in quæstionem reuocandum non esse dicit, quum expressus sit casus in hoc
titulo, quem & ipse ibi citat. Bal. verò hic visus est dicere, in feudum indiui-
duum, putà ius colligẽdi vectigalis, aut, vt ipse ait, pedagij, à Principe cõces-
sum, ius accrescendi cadere, quo ad totam commoditatẽ consorti acquiren-
dam, ita vt partis defuncti æstimationẽ nullam inferre cogatur. arg. d. l. vni.
C. si liberali. imperia. soci. sed re vera tex. hic nulla vsus distinctione, genera-
liter pronunciat, decedentis portionẽ ad superstitẽ non pertinere: nisi aliud
sit conuentum. Et de feudo à Principe concesso nihil hic specialis exprimi-
tur, vndè potest coniectura capi, quasi nec sententia placitorũ feudalium sit,
vt requiratur, an à Principe concessum sit feudum, an à priuato. argu. l. de
precio. ff. de pub. in rem actio. Quod & And. ab Ysern. & Præposi. hic pro-
bant, quanquã Præpo. perperàm Cy. referat cõtratium adstruere in d. l. vni.
C. quãdo. non peten. par. & falso ibi Angelum citet. Nam meus Angelus ibi
ne verbum quidem de hoc protulit, hac fidei synceritate commentariorũ la-
tifundia consarcinãtur. Et si quis exactius rem perpẽdat, viuam rationẽ de-
prehendet, quare aliud in feudo à Principe duobus concesso, quàm in re
quapiam duobus à Principe donata obseruandum sit. Etenim donatio ex
mera donantis liberalitate proficiscitur, vt scilicet liberalitatem & munifi-
centiam donans exerceat. l. i. in princi. ff. de donatio. Sed feudum ea causa da-
tur, vt vasallus eiúsq; hæredes domino fideliter seruiant. §. vlti. in fi. infrà, in
quib. cau. feu. amit. Igitur mortuo cõsorte vasallo, æquum est eius partem
non superstiti, sed domino accrescere: vt scilicet portionis illius auctora-
mento, noui vasalli operam, defuncti loco, sibi instauret.

3. Si pactum & tenor inuestituræ feudum nouum ad fratres, aliósve
agnatos successione deuolui permittat, placitis feudalibus derogari constat.
vt hic, quum etiam contra communem feudorũ naturam pacta feudali con-
cessioni inserta, vim suam modis omnibus obtineant. §. penul. & fi. suprà,
quid sit inuesti. & nota. in c. i. de feudo non haben. propri. feu. natu. Quo cir-
ca, in materia feudali, à diplomate inuestituræ, non secus iudici ac nautæ
Sydonio à Cynosuta pendendum erit, quod & Præpositus indicat, dum ait,
Iudicem ante omnia tenorem inuestituræ perspicere debere. Nam tenor in-
uestituræ derogat omni feudi naturæ, vt inquit Bal. in c. vni. infrà, de duo-
bus fratri. à capita. inuesti.

§. Si duo fratres in casa communi post mortem patris remanserint, id est, habitauerint simul, & vnus eorum feudum acquisierit, plærique dicunt ad alium non pertinere, sed ad dominũ, nisi per pactum. Sed neq; viuente eo qui acquisierit, neq; post mortem eius, fructus tamen erunt cõmunes, donec simul habitauerint. Quòd si cum equis & armis communibus, vel pecunia cõmuni sit acquisitũ, adhuc idem dicunt, ne fortè inuitus dominus, alium quàm quem voluerit, sibi acquirat vasallum. Dum tamen meminerimus, id quod de communi expensum est, alteri pro parte competenti esse restituendum.

Altero fratrum in communi domo, post mortem patris simul degentium, feudum aliquod consecuto, hoc eo vel viuente, vel mortuo, ad fratrem alterum non pertinebit: nisi pacto speciali id sit actum: feudi tamen fructus, & prouentus vtrių communes erunt: donec videlicet vna commorentur. Idem iuris fuerit, etiam si communi pecunia, communive armorũ vel equorũ impendio feudum sit partum, vt scilicet, feudum ob id, alteri fratri commune non efficiatur, idų ne dominus ignorans, alium, quàm velit, vasallum habere cogatur. Porrò, quantum ex ea communis substantiæ expensa fratri decesserit, tantum ei frater alter feudum adeptus refundet.

1. Quemadmodum si fratres parentum indiuisas hæreditates ideo retinuerint, vt emolumentum ac damnum in his commune sentirent, quod aliundè quæsierint, in commune non redigetur. l. si fratres. ff. pro socio. Ita si feudum aquisierint, etiam si in eadem domo simul commorentur, indiuisas hæreditates possidentes, hoc in commune non conferetur. vt hic in textu, si tamen vniuersarum fortunarum societatem fratres coiissent, id est, earum quoų rerum, quæ postea cuių acquirẽtur, feudum cuiuis eorum delatum, in commune redigendum puto. l. si societatem vniuersarũ. ff. pro socio. modò tamen dominus consentiat, per rationẽ hic in tex. & per c. vni. supra, de benefi. fra. Quòd si is nolit consentire, æstimationem feudi pro rata portione ei soluet frater, cum quo, vt dictum est, omnium fortunarũ societatem iniuit, feudi scilicet oneribus deductis, argu. huius tex. in fi. & ita hic precium loco rei surrogabit. Nam qui precio fruitur, non minus habere intelligitur, quàm qui principali re vtitur fruitur. l. quia qui precio. ff. de vsufruct. Eaų ratione, & feudali naturæ, & societatis fidei respondebitur. Scio Aluaro. aliósų hæc aliter definire, at non quid dicant, sed quid probent, attendere constitui.

2. Tametsi fratribus simul cõmorantibus, oblatũ alteri feudũ in cõmune non redigatur, fructus tamẽ, ipsių prouentus rei feudalis, fratribus, quousų simul in eadem domo cõmorati fuerint, cõmunes erunt. vt hic tex. hanc tamen fructuum cõmunionẽ eatenus porrigendã, quatenus cõmunis victus exposcat necessitas, Bal. & cæteri eum secuti putãt. sed tex. hic tam angustè non statuit: sed fructus simpliciter cõmunes fore testatur. Verùm præsens placitũ feudale non obscurè cum iure Cæsareo pugnat, quo graue videtur, ex liberalitate fortunæ, aut laboribus suis oblatam alicui cõmoditatem, ad extraneos, aut etiam ad fratres transferri. l. cùm oportet §. 1. C. de bon. quæ libe. sed meminisse oportet, feudorũ vsus iuri scripto derogare. sup. de feudi cognitio. c. 1. quanquã huius placiti vix probabilẽ vllam assignaris rationẽ, eóų magis, quòd regulariter feuda instar castrensis peculij censeantur, nisi sint feuda impropria, & paganica. In castrensi autem peculio, fructus ne patri quidem acquiruntur. d. l. cùm oportet §. 1. igitur multo minus fratri cedere debuerint. Sed non omnium quæ à maioribus constituta sunt, ratio

reddi

reddi poteſt. l. non omnium. ff. de legibus. Id vel maximè in his feudorum vſibus obtinet, quare fruſtra ſudant & æſtuant Commentatores noſtri, dum velut inter ſaxum & ſacrum conſtituti, ius ciuile, cum feudis in concordiam ſemper redigere nimis anxiè moliuntur. Præterea ſi feudum aliquod cenſeatur aduentitium, non tamen eius vſusfructus, vigore patriæ poteſtatis, cedet patri, ſed filio, cui feudum in id eſt datum, vt exindè ſeruiat, feudiq; onera ferat. infrà, in quib. cau. feu. amit. in fi. ſecundum Iacobum à Belui. & Nico. à Neapoli. Ratione tamen communis habitationis, & conuictus in eadem domo, cum filio commoranti patri, feudales fructus videntur communicandi, nam ſi eo modo fratri cedant, quid ni patri? cuius vtique maiorem habendam eſſe rationem lex naturæ docet, quod & Præpoſitus hic circa fi. adſtruit. Cæterùm ſi feudum ſit tale, cuius intuitu, nullum præſtatur ſeruitium, vel quòd non habeat propriam feudi naturam, qualia ſunt plæraque feuda in Germania inferiori, non video quare patri in eis vſusfructus quæri non debeat, quum nec caſtrenſis, nec quaſi caſtrenſis peculij habeant naturam. Idq; ſatis probari videtur per ea, quæ tractat Bald. in d. l. cùm oportet. §. i. verſiculo, quæſtio eſt de feudo, vtrùm patribus quæratur vſusfructus, & cæt. C. de bon. quæ libe.

3. Feudum etiam communi pecunia, aut equorum, armorúmve cõmunibus fratrum impenſis acquiſitum, ad acquirentẽ, non ad alios fratres ſpectabit. vt hic, & l. ſi patruus. C. cõmu. vtriuſq; iudi. vbi patruus, ex cõmunibus bonis rem emptam, non tenetur cõmunicare, ſi non omnium bonorum ſit ſocius conſtitutus. Ratio autem huius tex. eſt, ne domino ignoranti, alius, quem non velit, contingat vaſallus, vt hic, attamen ſi ab altero fratrum ſimul cõmorantium, domino ſciente, beneficium de cõmunibus bonis fuerit emptum, hoc etiam ad alios fratres pro virili parte deuoluetur. c. vni. ſup. de benefi. frat. & gloſ. ſuper verbo, nominatim. in §. ſin autem vnus. ſuprà, de iis qui feud. dare poſ. Porrò an ea ſpecie, quum videlicet, domino ignorãte, cõmunibus impenſis, alter fratrum, feudi beneficium obtinuerit, etiam fructus eius feudi, vt in præcedenti caſu, futuri ſint cõmunes: tex. hic explicitè nihil pronunciat, ſed decernit, fratri reſtituendum fore pro rata portione, quod ex cõmuni ſubſtantia, impenſum fuit feudo cõparando. Commentatores noſtri, hoc ita ſubtiliter nõ intuentes, intrepidè aſſerunt, hic quoq; fructuum cõmunionem futuram, quum tex. generaliter in hoc caſu idem eſſe, quod in ſuperiore dicere videatur: ſed ego hæc arbitror bifariàm rectè conſiderari poſſe: videlicet, aut frater cõmunibus bonis feudum comparauit ſeorſum habitans, & fructus feudi illius non quærentur alteri fratri, ſed pro competentis portionis erogatæ modo, indemnitati eius conſuletur, fratre ſcilicet tantum reſtituente, quantum ex cõmuni facultate impenſum fuit, vt hic, in fi. & d. l. ſi patruus. & ſic tex. iſte vno modo intelligi poterit. Aut frater, qui feudum præfato modo comparauit, in vna domo, pariq; victu degit cum fratre, & hac ſpecie, iniquum videtur, & fructus omnes fore cõmunes, & inſuper partem cõmunis impenſæ reſtitui oportere: Quare, ſi hoc caſu, iuxta receptiſſimam DD. opinionem, fructus etiam ſint cõmunicandi, non cõmunicabuntur fructus illius partis, cuius æſtimationem ratione impendij ex bonis communibus facti, pro rata portione, (ſecundum hunc textum) fratri reſtituere cogitur frater, & ita ſecundo modo textus hic accipi poſſe videtur, & hæc ſufficere puto ad præſentis tituli genuinam explanationem, quanquam multa hic DD. cumulent, quos leuis arundinis inſtar, omni vento agitari videas.

De Inuestitura, quam Titius accepit à Sempronio.

Titulus XIII.

TITIVS à Sempronio talem inuestituram accepit feudi: Vt haberet ipse, & hæredes sui legitimi masculi: & iis omnibus deficientibus, fœminæ. Porrò Titius superstite tantùm filia decessit: ipsa à domino inuestita fuit, & feudum in dotem dedit, maritoque superstite sine liberis decessit. Quærebatur, si ad maritum successio feudi pertineret? Responsum est, non pertinere.

Si mulier inuestituræ beneficio, feudum obtinens, hoc in dotem marito contulerit, & nullis relictis liberis decesserit, feudum successione ad maritum non deferetur, sed ad dominum remeabit.

1. Ex hoc textu nostri colligunt, feudum à muliere rectè in dotem dari posse: modò tamē nullo pacto, dotantis vitam eius cōmoditas egrediatur. Mortua namq; coniuge, nihil amplius eo in feudo maritus sibi vendicabit. per hunc tex. secundū Alua. de quo latius in c. 1 §. donare. sup. quali. olim pote. feu. alie. Superstite verò coniuge, sicut rei feudalis cōmodo fruitur, ita & feudi muniis fungetur, seruitiáq; & obsequia, vxoris vice maritus præstabit. secundum Iacob. Ardizo. Aluaro. & Præpo. hic. Quod & domino & mulieri expedit: domino, quia per virum cōmodius & re & consilio iuuabitur. Nam alienam suscipere defensionē, propriè virile est officium. l. alienam. C. de procu. Mulieri autē, propter pudorē & verecundiam conseruandam, ne cœtui publico demonstrari cogatur: cuius rationē, alio fine Imperator etiam habuisse conspicitur. in l. ij. versicu. fœminas quoq;. C. de iis, qui veni. æta. impe. Et Romanus Pontifex: Mulieres, inquiens, vagari non conuenit, nec virorum cœtibus immisceri. c. mulieres. de iudi. libro sexto.

2. Vxore sine liberis decedente, ad feudi, quod obtinebat, successionē maritus non admittetur. vt hic. nisi inuestituræ beneficium hoc marito permittat. suprà, an mari. succe. vxo. c. vni. Item nisi eo pacto mulieri concessum sit feudum, eáq; clausula diplomati inuestituræ sit inserta, vt cuicunq; mulier feudum dederit, ille id habeat. c. vni. infrà, de feu. non haben. propri. feu. natu. Denique, nisi consuetudo specialis loci, aut municipij lex, maritum hoc casu ad feudi successionem vocet. argu. c. 1. suprà, de feudi cognit. secundum Præpositum hic.

De Vasallo decrepitæ ætatis. Titulus XIIII.

QVIDAM Vasallus, cùm decrepitæ ætatis esset, feudū suum in manu domini ad hoc refutauit, Vt Seium & Sempronium filios suos, de eodē beneficio inuestiret. Vasallo mortuo, Sempronius sine legitimo hærede, Seio adhuc superstite decessit. Lis est inter dominum, tanquam nouum feudum sibi delatum esse dicentem, & Seium, paternum esse contendentem: Vndè eorum sentētia præualuit, qui dixerunt, hoc feudum, quamuis refutatum, nihilominus esse paternum.

Si pater senio confectus, in manibus domini feudum suum refutet, ea intentione, eóq; fine, vt filij eiusde eodem feudo inuestiantur, altero filiorum sine legitimo hærede decedente, portio defuncti ad superstitem alterum, non ad dominum pertinebit: quandoquidem feudum ea refutatione paternum esse non desiit.

Ratio

Ratio autem huius tex.omiſſis incõgruis,hic per Doctores conglomeratis,iſta fuerit videlicet: Quandoquidem tali patris refutatione, filiorum iuri nihil deperire potuit: ſiue domini autoritatem inſpicias. c.i. in princi. infra,de alie.pater.feu.ſiue patris voluntatem intuearis.c. Titius filos.infra. ſi de feu.defun. conten.ſit inter do.& agna.vaſal.quum paternum feudum prouidentia maiorum filiis ſit affectum.c.vni.infra,de duob.fratri. à Capi. inueſti.conſequens eſt,vt feudi qualitate in primæua ſua natura (quæ nec domini conſenſu,nec patris voluntate,in fraudem filiorum immutari quiuit) neceſſariò perſiſtente, nihil aliud in caſu præſentis c. per eam refutationem actum eſſe videatur,quàm vt vaſallus ſenio fractus ſimul & impar feudi oneribus ſuſtinendis,illud vita adhuc comite,in filios,alioqui poſt ſe ſucceſſuros, reclinare poſſit. Quare feudo per id non mutato,ſed paterno, vt prius, permanente, non mirum, ſi domino excluſo,mutuo ſibi tales filij agnationis iure ſuccedant.vt hic in tex. Quinimò, ſi facta tali refutatione, filios huius ſenis refutantis decedere contingat, ei tamen ſcilicet patri ſeni ad feudum nihilo minus regreſſum patêre, poſt alios Præpoſitus hic concludit.Ratio, quia per eam refutationẽ,feudum eſſe paternũ non deſiit. quamobrem,vt antiquum & paternum,relabetur ad patrem: nam ſucceſſio feudalis ſuum aſpicit ſtipitem. ſup.de gradi. ſucceden.in feu.c.i. A ſtipite autem, hoc eſt primario feudi.acquiſitore, hic pater genus duxit, eo ſcilicet ſuppoſito, quòd feudum ſit paternum. Nec obierit facta refutatio in perſonam filiorum, quia hanc pater, domini autoritate in ſuum commodum, nempe ſeruitiorum exonerationis gratia, non autem iuris ſui abdicandi cauſa, feciſſe videtur: igitur nec feudi diſpendio afficiendus, quum hoc, quod pro quibuſdam introductum eſt, inferre eis iacturam minimè ratione conueniat æquitatis.l.plures apochis.in fi.C.de fi.inſtru.l.quod fauore.C. de legib.cum ſimili. Non his refragatur, quòd in feudis aſcendentes deſcendentibus non ſuccedant.c.i.in princi.infra.de natu.ſucceſ.feu. Nam id obtinet in feudo nouo, ſecundum Præpo.at hic agitur de feudo antiquo. Præterea hac ſpecie non tam pater ſuccedit filiis,quàm id quod ſuum eſt, prouidentia maiorum,recipit.vt ſuperius dixi,& ſi ſtricto iure deficiamus, hanc tamen opinionem ſuadet æquitas,iudici ante oculos ſemper habenda. l.quòd ſi Epheſi.in fi.ff.de eo quod cer.loco.·Idq́;,ne ſenectus patris, quæ requiem ſpectabat,multiplici calamitate perculſa,& deſiderij fruſtrationem & filiorum mortem,& feudi deploret amiſſionem.

De Inueſtitura in maritum facta.

Titulus XV.

VASALLVS ſuperſtite tantum vna filia deceßit. Illa verò maritum accepit, cui dominus accepta pecunia partem feudi, quod pater puellæ habebat, retenta ſibi parte altera, dedit. Nunc quidem agnatus defuncti cum marito agit, dicens totum hoc feudum eſſe paternum: & ideò omnimodo eſſe ad ſe deuolutum. Econtra maritus contendit, hanc partem quam ipſe habet, nouum feudum eſſe: & ideò domino apertum. Quæritur igitur, vtrum apud dominum eundem, & in eius curia cogatur agnatus defuncti litigare, vel apud agnati iudicem, vel arbitrum vtriuſque conſenſu electum hoc eſſe debeat? mihi & aliis placet, potius apud iudicem ordinarium, vel arbitrum, quàm apud eundem dominum, hoc litigium fore determinandum.

Cum post mortem vasalli, eius filiæ marito partem feudi, quod defunctus pater possedit, dominus accepto precio, concesserit, altera feudi parte sibi reseruata, proximusque defuncti agnatus, hoc paternum, sicque deuolutum ad se contenderit: marito nouum hoc esse econtra asserente, lis coram ordinario mariti iudice, arbitróve communiter electo dirimetur.

Huic textui consonat c. vni. infra, an apud iudi. vel curi. do. quæstio feudi debeat termi. Vbi placiti huius feudalis ratio quoque redditur: quia videlicet ad dominum quodammodo causa spectare videtur: nam contra eum maritus hic vasallus causa succumbens, de euictione regressum habebit. vt ibi. Quinimo partis insuper suæ, quam ex feudo retinuit, agnato vincente, iacturam faceret dominus: Merito igitur ad eum huius causæ non spectabit cognitio: in re enim propria iniquum admodum est, alicui licentiam tribuere sententiæ. l. vni. C. ne quis in sua causa. iudi. Proinde hæc feudi quæstio, impetente agnato, apud ordinarium mariti iudicem agitabitur, aut si maritus contra agnatum agat, apud iudicem agnati discutietur: vt hic. nam forum rei actorem sequi conuenit. l. ij. C. de iuris. omni. iudi. c. si clericus. & c. cum sit generale. de foro compe. aut si partes malint, arbitrum eligent: qui controuersiam dirimet. vt hic. Huius enim sententia rei iudicatæ obtinebit autoritatem: exque ea iudicati actio competet: non obstante l. i. C. de recep. arbi. quia hoc casu, non solum ex compromisso, vt ibi, sed etiam ex dispositione placiti feudalis, cognitiomen habet. secundum Bal. hic. Quare hic arbiter vigore, & authoritate feudalium placitorum, iudex esse, quasique iurisdictionem ordinariam inter partes obtinere censebitur. secundum ea, quæ de arbitris iuris eleganter tractat glos. super verbo, ad quos omnia, in c. suspitionis. de offi. delega. & ibi per docto. Cæterum si feudi dominus, princeps sit supremus, veluti Imperator, aut rex Romanorum, ordinario rei iudice prætermisso, huius causæ cognitionem Imperialis aut Regia ipsa maiestas rectè suscipiet. l. proxime. ff. de his, quæ in testa. delen. l. & hoc Tyberius, ff. de hæredi. insti. secundum Præpo. post Bal. hic. Non enim ab eo timenda fuerit iniuria, à quo promanāt iura: quique voce sua attestatur, nihil tam proprium imperij esse, quàm legibus viuere. l. ex imperfecto. C. de testa. Si tamē inter principem & vasallum ipsum de feudo cōtrouertatur, per curiæ pares vtrinque electos cōtrouersiam dirimēdam puto, per ea quæ generaliter statuuntur in c. vni. infra, de controuer. feu. apud pa. termi. quod & Bal. sensit in §. penult. versi. sed quid si dominus feudi non recognoscit superiorem. de prohi. feu. alie. per Fride. Postremò tex. hic pugnare videtur cum d. c. vni. infra, an apud iudi. vel curiam do. quæst. feu. debe. termi. Vbi hanc controuersiam non apud rei iudicem, nec apud arbitrum. vt hic dicitur, sed apud pares curtis tractandam finiendamque esse constituitur. Quamobrem nonnulli tam euidente repugnantia conuicti, fatentur hunc tex. per illum, ceu posteriorem esse correctum. & ita inquit Iacob. à Belui. quoniam in legibus, aut constitutionibus cōtrariis standum est vltimæ. c. i. & ibi glos. super verbo, reuocare. de consti. lib. vi. Verùm hos textus non aduersos, sed diuersos esse, probabiliter quis dixerit. Etenim in casu præsentis textus dominus feudi partem concesserat, retenta sibi altera parte. In textu verò pro contrario citato, non deprehenditur dominus in feudo controuerso quippiam sibi reseruasse. Quare in superiore specie, succūbente vasallo, dominus gemino subiaceret damno: nam & de euictione teneretur inuestito, & parte feudi quam sibi retinuit, ipse priuaretur: idcirco æquum est, vt de hac causa alij potius quàm pares cognoscant, quos propter duplicis præiudicij

dominici

dominici pondus, vel corruptio, vel gratia domini magis posset afficere, quàm vbi simplex tantùm, nempè euictionis solius immineret præiudicium. vt in casu d.c.vnici. infrà, an apud iudi. vel curi. domi.

§. *Item placet agnatum non semper cogendum, probare feudum hoc esse paternum, sed ab aduersa parte nouum esse probandum, qua deficiente in probatione, tunc agnato (vt dictum est) causa cognita detur electio, quatenus vel iuret esse paternum, vel alteri parti referat iusiurandum: & ille aut iuret, aut taceat.*

Quæstione inter maritum, & defuncti vasalli agnatũ (vt in casu præcedentis §.) exorta, non semper agnato, hoc paternũ esse, probandi incumbit onus: sed potius id nouum esse, partem aduersam, nempè maritum, probare conueniet: quo probatione plena destituto: iudex causa prudenter, sagacitérque discussa, in agnati constituet optione, velit ne ipse hoc paternum esse iurare, an aduersario contrarium iuraturo iusiurandum referre: si hoc postremum elegerit, cogitur aut iurare, aut causa cadere pars aduersa.

Hic §. secundum ea, quæ suprà de gradib. succeden. in feu §. vlt. dicta fuêre, intellectum & interpretationem recipit: vt scilicet agnatus onere probationis non adstringatur, suffragante ei præsumptionis adminiculo. Et hoc indicat hic textus, dum ait, non semper: igitur à contrario innuit, eum probationis necessitate adstringi aliquando, quod tunc contingit, quum ei restiterit præsumptio: quo casu non aduersarius, sed agnatus probare intentionem suam cogitur, feudum videlicet id, de quo cõtrouertitur, paternum esse, vt latius hæc sumus prosecuti in d. §. vlti. Porrò ex hoc textu col lige secundum placita feudalia, quoties iudice permittente, pars alteri parti iuramentum refert, eam id vel subire debere, vel tacere, hoc est, taciturnitate, causa cadere: Nam & iure ciuili, manifestæ turpitudinis & confessionis est, nolle iurare. l. manifestè. ff. de iureiu.

§. *Illud sciendum tamen est, quòd si inter duos, qui dixerint se esse vasallos, de feudo fuerit dubitatio: alter alterum inuitum trahere non potest ad dominum, vel eius curiæ iudicium. Si verò cum sua curia dominus vocauerit eos, nemini eorum licet illius domini, vel eius curiæ examen declinare.*

Si duo se prætendant esse vasallos, intérque eos dubitatio & controuersia de feudo exoriatur, alter alterum inuitum coram domino solo, eiúsve curia sola, conuenire nequit: Verùm si vnà cum sua curia, dominus alterum ad alterius vocarit instantiam: vel ex officio suo aduocarit vtrunque, nec domini, nec curiæ declinari poterit examen.

1. Circa textus huius intellectum, & glossa, & DD. variant. Nam glos. hic in fi. dicit hunc corrigi per c. vnicum. infrà, an apud iudi. vel domi. quæstio. feu. debe. termi. vbi inter assertos vasallos, (qui dicunt & prætendunt se vasallos esse) de feudo controuertentes non dominus vnà cum curia, vt hic dicitur, sed pares curtis soli cognoscunt: sed Aluarotus glossæ repugnans, affirmat casus esse diuersos: nam in d.c. vnico. contentio erat super feudo, quod alter nouum, alter verò antiquum esse sustinebat: Igitur dominus ob euictionis præiudicium, de qua succumbenti ei, qui nouum esse feudum contendit, obligatur, vt in superiore §. dictum est, meritò ab illius causæ cognitione arcetur. At in præsenti §. quæstio vertebatur super feudo: quod pars vtraque paternum esse fatebatur, quod etiam in sua distinctione sensit Iacobus à Belui. dum inter cætera velit, si duo vasalli inuestituram ab eodem domino prætendant, & vterque feudum antiquum esse fateatur: hac specie, domini, vnà cum eius curia, cognitionem fore, idque per hunc

hunc textum, quem aut sic per coniuncturam defendere, aut per d.c. vnicum abrogationem accepisse, fateri necessum est.

2. Quum tex. hic statuat à domino eiúsque curia vocatos de feudo controuertentes, declinare examen eorum non posse, hoc intellige obtinere, siue ad alterius instantiam alter à domino eiúsque curia in ius vocatus fuerit, siue ex officio ab illis cõiunctim, vocatus fuerit vterque. Nullum quippè dubium, quin dominus vnà cum sua curia, prætẽsos vasallos de feudo inter se cõcertantes vocare ad se possit ex officio, vt scilicet disceptationis causam iuris tramite cognoscat, ne ad arma & rixam, aliáve atrociora dissidia incalescentes prolabantur. Cur enim ad arma & rixam procedere patiatur iudex, quos potest iurisdictione sua compescere? l. æquissimũ. ff. de vsufruc. Porrò ex hoc tex. conclusionem eliciunt DD. domini feudi, simul & curiæ parium tribunal, quum ordinaria fungantur iurisdictione, etiam propter legitimam suspitionis causam, recúsari non posse, per hunc text. & c. vni. in fi. infrà, an apud iudi. vel domi. quæstio. feu. debe. termi. licet Bal. in §. penult. infrà, de prohibi. feu. alie. per Frederi. aliter sentire videatur. Hanc conclusionem post alios, prolixè hic defendit Aluarot. & Præpositus eum de verbo ad verbum, more suo, referens, nam hoc homine nullus vnquam impudentius plumis superbiuit alienis. Cæterùm si vehemens suspitionis causa, aduersus dominum, eiúsque curiam eluxerit, remedium à iure proditum implorare litigantes poterint, vt scilicet alij non suspecti, iudicio & causæ cognitioni adiungantur: Nam & hic patebit beneficium, quod contra ordinarium iudicem suspitione notatum, ius commune indulget. in Autent. si verò contigerit. C. de iudi. Verùm enimuerò excommunicationis exceptionem, vt aliàs semper, ita & hic, vim suam habituram, contra dominum, pariúmque curiam, Aluarotus & Præpositus adstruunt. c. ad probandum. de re iudi. c. pia. de excep. lib. viij. & argu. infrà, hic finitur lex Conradi. §. 1. Vbi excommunicato feudi domino, ne seruitia quidem & obsequia vasallus debet. quousque non fuerit absolutus. Similiter & incompetentis iudicis exceptioni hic locus dabitur, secúndum eosdem, quum alia quauis exceptione præclusa, illa nihilominus admittatur, per quam iudicis negatur iurisdictio, vt videtur voluisse glos. vlti. in Clementi. vnica, de sequestra. pos. & fruct. in Clementi.

De controuersia feudi apud pares terminanda.

Titulus XVI.

SI INTER dominum & vasallum de feudo orta fuerit contentio: per pares illius domus, sicut lex Conradi dicit, dirimatur, si tamẽ pares habeat. Et siquidem dominus & vasallus cõsenserint in eligẽdis paribus, nulla dubitatio est: si verò dissentiant, tunc quid faciendũ sit quæritur. Sed praualuit eorũ sententia, qui dixerunt dominũ debere eligere prius, quem aut quos voluerit: & vasallus similiter hoc faciat, secundũ numerũ à domino comprobatũ. Ille tamẽ vasallus, qui fidelitatẽ domino non iurauit: domino vel vasallo dissentiente, pro pari non est eligendus.

Exorta inter dominũ & vasallum de feudo controuersia, per illius curiæ pares dirimetur: eos inquam, quos vnanimi consensu, ad eius causæ cognitionem, & dominus & vasallus simul elegerint: Verùm si in personis parium eligendis, inter eos non conueniat, primo loco, quot & quos voluerit pares, suo nomine dominus eliget: Deindè subsequens vasallus, similiter

liter quos cupiat, designabit: numeri æqualitate inter vtrosq; obseruanda. Eum tamen vasallum, ab hac causa alienum esse oportuerit, qui domino fidelitatem sacramento non obstrinxit.

1. Quanquam iniqui exempli sit, eum dari iudicem, quem altera pars nominatim petit, nisi hoc specialiter a principe, ad verecundiam petiti iudicis respiciente, permittatur. l. obseruandum. ff. de Iudi. tamen si vtraq; pars nominatim iudices petat, simul causæ cognitionem subituros, petitioni mos gerendus erit. vt hic. Quia iudicum vtrinq; electorum par affectionis causa suspitionem fraudis amouet, vt alio fine dicitur in l. non solum. §. de vno dubitari potest. ff. de ritu nuptia. Et quidem partis vtriusq; consensus in eos iudices conspirans, hac specie, rem expeditam facit, vt hic. & argum. Auten. generaliter. in fi. C. de Episcopis, & Cleri. Verùm si de paribus eligendis iudicia variârint, permittitur & domino, & vasallo, vt seorsim quos velint pares nominare, & deligere vtrinq; possint, quorum sententia lis omnis & controuersia sopiatur, domino nihilo minus, primo loco, eligendi prærogatiua competente. per hunc tex. Ex quo Bal. hic colligit, digniorem, primo loco, sententiam rogandum esse, & ita suffragij prærogatiuam habiturũ: Quare in Auditorio Imperiali, Comes assertor, aut Baro, primus sententiam rogandus fuerit, non solum in rebus politicis, sed etiam in dirimẽdis litigatorum controuersiis, si Iureconsulti sint, & in fori rebus versati, tametsi, vsu quodam præpostero, ob iuris, vt arbitror, ignorantiam pedarij quodammodo sint effecti. Porro inter dominum & vasallum, numeri parium eligendorum obseruanda est æqualitas, ne scilicet plures aut pauciores, quàm à domino electi sint, vasallus vicissim deligat. vt hic. Quo peracto, dominus pares vtrinq; electos, & sub debito fidelitatis coniuratos in vim iuramenti præstiti requiret, vt causam cognoscant, & quemadmodum iustitiæ dictauerit ratio, sententiæ prolatione definiant. §. penul. infra, de prohi. feu. alie. per Fre. Et hac de causa arbitror hic statutum esse, vt non admittatur ad examen huius causæ, qui fidelitatem domino nõ iurauit: quum is in vim præstiti iuramenti requiri nequeat. Sed Præpo. verbose hic asserit, pares nouo iureiurando, vt rectè iudicent, adstringi debere. At primum fidelitatis sacramentum sufficere, And. ab Yser. dicit: quod sine præiudicio particularis consuetudinis, mihi probabile videtur. per d. §. penulti. qui loquitur de paribus sub debito fidelitatis, non autem sub debito rectè iudicandi cõiuratis. Cæterùm si diuerticula vasallus & subterfugia quærens, vicissim pares eligere noluerit, à domino electi, causam diriment soli. secundum And. ab Yse. ne scilicet in potestate eius sit iudicium eludere. argu. l. si quis rem, ff. de arbi. Data enim opera, semper tergiuersari posset: igitur huic fraudi occurrendum fuerit. argu. l. i. ff. de eo quod certo loco. neq; enim maliciis indulgendum est. l. in fundo alieno. ff. de rei vendica.

2. Ex hoc tex. perspicuum est, quoties inter vasallum & dominum de causa feudali contentio suscitetur, siue de inuestitura, siue de feudi priuatione, siue de violentia in re feudali per dominum illata, siue alioqui de ipso feudali iure, aut natura, controuertatur, pares curiæ, prælibata ratione electos, huius causæ iudices futuros, quod & Bal. adstruit in §. penulti. in princi. inf. de prohi. feudi alie. per Frede. Attamen si domino nulli sint pares, ordinarij iudicis erit cognitio, secundum glos. super verbo, per pares. in d. §. penul. Nam actor forum rei, siue in rem siue in personam sit actio, sequetur, sed in locis in quibus res, propter quas contenditur, constitutæ sunt, in rem actio aduersus possidentem mouebitur, l. vlti. C. vbi in rem actio. Porro si

pares

pares præfati vtrinque electi dissentiant, sententia plurium obtinebit. l. Pomponius. ff. de re iudi. Nam quod maior pars curiæ efficit, pro eo habetur, ac si omnes egerint. l. quod maior pars. ff. ad municipa. Verùm si inter hos pares numero iudices, diuersæ sententiæ profeiantur, quod pro reo constitutum fuerit, obtinebit. l. inter pares. ff. de re iudica. Insuper coram his paribus, & reconuentioni locum fore. hic glos. adstruit, etiam si ea fiat de causa non feudali, per regulam generalem in l. cum Papinianus. cum Auten. ibi. C. de senten. & interlocu. omni. iudi. Quod & Aluaro. hic probat, & secundum eum ferè omnes docto. & sequitur Præpo. Idem tenet Bal. in d. §. penulti. versi. Quæro vtrum coram paribus locum habeat reconuentio. inf. de prohib. feu. alie. per Frede. sed mihi hoc non fit verisimile. Nam curiæ parium nulla competit iurisdictio, extra causas feudales. vt idem Bal. voluit in d. §. penulti. versi. Quod si vasallus conqueritur de domino non de re feudali. & cæ. Et Innocen. in c. cæterum. in fi. de iudi. expresse affirmat, dominum & pares, cum non habeant iurisdictionem, nisi ex lege feudorum, non posse cognoscere, si talis emergat casus, vt vel non possit agi condictione ex lege feudali, vel causa iure feudali non nitatur, sed coram ordinario hac specie agendum esse. Quare propter naturam causæ, quæ ad parium curiam non spectat, reconuentio super negocio non feudali coram paribus non videtur agitanda. His in simili adstipulatur glo. in verbo, super suis quæstionibus. in fi. in c. i. de mu. peti. Quæ ait, clericum coram iudice seculari ita demum reconueniri posse, si causæ natura hoc patiatur, videlicet si non sit ecclesiastica, & sic Laicus iurisdictionem habeat fundatam. Item l. Papinianus. in qua dictam conclusionem fundant, planè ex diametro illis repugnat. Ibi enim dicitur, cuius in agendo quis seruat arbitrium, eùm habere & contra se iudicem, in eodem negocio non dedignetur. Igitur à contrario sensu (à quo ductum argumentum est fortissimum. l. i. ff. de offi. eius cui manda. est iurisdic.) aliud obtinet si negocium sit diuersum: maxime ea diuersitate, vt in quæstione subiecta, quum summa sit discrepantia, inter causam feudalem, & aliam controuersiam, cum feudo nihil habētem commune. Sed glossa duce, reluctantur doctores, & vt fit, Cæcus Cæcam ducit: Aluarotus tamen glossæ opinionem iure non probari, velut per nebulam vidit, dum eam intelligendam esse dicat, in ea reconuentione, quæ fit super eodem genere causarum: secus si super diuerso, subiungit exemplum, vt si conuentio sit ciuilis, reconuētio non debeat esse criminalis. At dicti sui veritatem tam angusto exemplo circumscribere non debuisset, vt patet ex præmissis. Sed capistrum ori eius alligârat glossæ autoritas: Adeò nonnunquam veritas opinione pessundatur. Postremò quo in loco pares curiæ prælibati, causam cognoscere, & definire debeant, glo. in d. §. penul. inf. de prohi. feu. aliena. per Frede. sic variat, sic vacillat, vt Vertumnū quempiam eius autorē putes. Ego breuiter, locum eum iudicio inesse, de quo actum sit, puto. arg. l. si cum dies. §. si arbi. ff. de recep. arbi. Si nō appareat, de quo loco expresse sit actum, ille censebitur electus, in quo more maiorū, huiusmodi controuersiæ feudales agitari consueuerunt: si ne talis quidem habeatur, arbitror pares, quem voluerint locum, salua dignitatis ratione, iuri dicendo constituere posse, modò & commodus, & honestus vtrique parti ad eum sit accessus. argu. l. pennl. in fi. ff. de iusti. & iu. & d. §. si arbiter. cum sequen. his satis assentit Bal. in d. §. penulti. versicu. Quęro in quo loco. & cæt. inf. de pro. feu. alie. per Fride. Denique prætermittendum non fuerit id, quod inquit Bal. in c. I. infra, an apud iudi. vel curi. domi.

quæstio

quæstio. feu. debe. termi. in princip. videlicet, pares eligi debere, in quibus omnis cesset suspicio. Quare si eligantur propinqui, & familiares, aliáve iusta ratione suspecti, locum recusationi futurum, hic Præpositus in fine asserit, quia propinquitatis, & familiaritatis affectio veritatem impedire solet. c.accusatores.el.tertio.iij.q.v. Et consanguineum iudicem recusari posse, etiam si appellatione remota,ei negotium sit delegatum, notissimi iuris est. c. postremò, de appella.de his prolixius in libro nostro priore Progymnasmatum fori. i. & ij. capite.

De eo qui sibi, vel hæredibus suis masculis & fœminis inuestiturã accepit.

Titulus XVII.

QVI SIBI vel hæredibus suis masculis, vel his deficientibus, fœminis per beneficium inuestituram feudi accepit: vna tantùm filia superstite, nullo alio descendente relicto, decessit. Hæc marito paternum feudum in dotem dedit, & decessit, duobus filiis ex eo procreatis: quorum vnus duas filias reliquit, alter verò vno filio masculo relicto decessit. De prædicto itaque feudo vrgentem vidimus quæstionem, masculo quidem hoc feudum totum sibi, quia solus eius, qui primò inuestituram accepit, hæres masculus sit, vendicante. Fœminis verò totam sui patris partem sibi defendentibus, quia ex eo nullus extitit masculus. Cumque inter sapientes, sæpe super hac quæstione sit disputatum, tandem pro masculo pronunciatum est: non enim patet locus fœminæ, in feudi successione, donec masculus superest, ex eo qui primò de hoc feudo fuerit inuestitus.

Si feudum pro se, & hæredibus suis masculini sexus, & his deficientibus fœmini consecutus decedat, filia sola superstite, eáque feudum istud, patris obitu ad se deuolutum, marito in dotem tradat, & filiis, ex eo, duobus susceptis moriatur: Quorum alter duas filias, alter verò vnum filium post se relinquat, obtinuit, filij huius conditionem, quàm illarum filiarum, in feudi successione, potiorem esse: Quum enim ea lege concessum sit feudum, vt deficientibus maribus, hoc ad fœminas progrediatur, donec à primordiali acquisitione feudi descendens supersit masculus, fœminæ ad feudalem successionem aditus patere non poterit.

1. Ratio huius textus est in promptu. Nam pactum inuestituræ fœminas non vocabat, nisi masculorũ defectu: Quare tametsi filia primi acquirentis hoc feudum possederit, & marito in dotem dederit, idque ea de causa, quòd nullus extiterit masculus, qui eam submouere potuerit: Tamen eius neptes, de quibus in tex. altero filio procreatæ, pari iure non gaudebũt, quoniam superest iam nepos ex altero filio, cuius existentia (secũdum inuestituræ ipsius tenorẽ) à feudo arcentur. Neque hic oberit, quod feudum fœmineum esse controuerti posse videatur, posteaquàm per fœminam ad posteros est propagatum, sicque filiis eius quoque successionem competere: Nam explosa adulterina & vmbratica hac opinione, feudum re vera paternum esse censendum est: Quandoquidem licet domini beneficio, ad fœminam, deficiente masculo, fuerit delatũ, primæuam tamen naturam, simul & vim paterni feudi nihilominus retinuit: Feudi enim originem, velútque primam ipsam scaturiginem contemplamur, non autem aspicimus, quo tramite progredi, quóve alueo, hoc postea promanare cœperit. secundum Bal. hic, qui ait, hunc subtilem esse sensum huius textus. Et inquit. hic Aluarotus post alios, pacta inuestituræ, non solùm in primis hæredibus, sed

etiam in omnibus aliis succedentibus posteris, attēdenda & obseruāda esse. Quare non mirum, si iam filij masculi oborta natiuitas, filiarū successioni viam obstruat, quum sic cauente prima inuestituræ forma, id fieri permittatur. Hic est verus intellectus huius tex. licet Præpo. velut in via lubrica vacillet, nunc hunc recitans, nunc alium textui non quadrantem inculcans.

2. Proindè ex hoc tex. peruium est, ad successionē feudi, quòd pacto inuestituræ, deficientibus demùm masculis, fœminino sexui panditur, semper marem vocari, à primordiali inuestito, siue per masculinam sobolem, siue per fœmininam, descendentē: eóque existente, fœminis nullam feudi successionē patére posse: Quod singulari memoria est cōplectendum, quum persæpe vsuuenire queat, secundum glos. hic. Quæ etiam dicit, amitam superstitem à feudo per nepotem masculum excludi: Quare si filia primi inuestiti decesserit, filia, & nepote, ex altero filio defuncto, superstite: hic nepos amitæ suæ in feudo præferetur, per rationē prælibatam: Tum etiam, quia pater huius eam exclusisset, itaque & hic nepos, eius hæres, quem eiusdem potestatis & iuris, quo defunctus, esse conuenit. l. hæredem. ff. de regu. iu. Sed an nepos materteræ successionis commodum præripiat? magnus est nostrorum conflictus. Finge, nullis existentibus masculis, iuxta superius inuestituræ pactum, ad filias duas feudum recidisse, quarum altera, filio vno relicto, moriatur, an hic filius, idémque superstitis nepos, superstitem suam materteram, nempè matris suæ defunctæ sororem, à feudi successione remoueat? glos. hic id ait: & eam secutus And. ab Yser. Præposi. more suo, sibi non constat, sed lupum auribus tenet. Mihi placet Iacob. à Belui. Nicolai Neapolitani, Bal. Aluaroti, & aliorum creberrima sententia, quæ habet, acquisitam materteræ successionem, per superuenientem nepotis masculi natiuitatem, adimi non debere: quum id quod nostrum est, sine facto nostro, ad alium transferri non posit. l. id quod nostrum. ff. de regu. iu. & natura ipsa dominij exposcat, vt sit perpetuum. secundum Bal. argu. l. siue possidetis. C. de proba. Hæc opinio præsenti tex. fulcitur, per quem apparet, filiam primi inuestiti, quæ in feudo successit patri, ob ortum filiorum suorum masculorum ab eo feudo legitimè prius acquisito non fuisse remotam. Præterea textus ait, locum fœminæ in successione eius feudi, non patére, donec masculus superest, ex eo, qui primus de hoc feudo est inuestitus: ponderētur ea verba, donec masulus superest. Nam secundum eorum proprietatem, mulieres à feudi successione adipiscēda, sola masculi excludit existentia, non autem à feudo iam oblato profligare & depellere fœminas, superueniens marium natiuitas censetur: hoc enim æquitati consentaneum non fuerit. Quod & Alua. sentit. Cæterùm si agatur de successione feudi deferenda, mares iam nati, & existentes, ea pollent prærogatiua, vt etiam ad successionē illius feudi, quod copulatiuè, pro descendentibus masculis & fœminis acquisitum est, fœminæ, donec masculus supersit, aspirare non possint. vt suprà de succes. feu. §. filia. de quo latius ibi.

3. Probat insuper hic tex. Mulieres, & earum descendentes, speciali prouidentia inuestituræ, ad feuda obtinenda habilitari, & idoneas fieri posse. concor. d. §. filia. & §. hoc autem. suprà, de iis qui feu. da. pos. Porrò si tenor pacti habeat, defectu masculorum ad filiam feudum progressurum, & plures filiæ natæ fuerint: æquius est, vt domini sit gratificatio, cui scilicet earum huius feudi successionem permittere velit. Ita concludit Bal. in §. & quia vidimus. non procul à fi. versicu. quæro quid si actum est, quòd deficientibus masculis, & cæt. suprà, de iis qui feu. da. pos.

§. Nam

§. Nam & illud iudicatum scio: si ille qui proprium feudum suum militi pro beneficio dedit, duobus filiis relictis decesserit: quorum vnus filia tantùm relicta obiit, alter verò, filio masculo relicto superstite, defunctus est, quòd miles non debet feudum suum recognoscere per fœminam, donec superest masculus, ex eo qui primam inuestituram fecit. Alij dicunt, per filiam debere recognoscere, cùm de paterno allodio esset hoc feudum, alioqui si aliundè esset, verùm esset quod dicitur, per fœminam non debere recognoscere.

Quæ præcedens §. habet, etiam rei iudicatæ comprobat autoritas. Nam quidam de feudo, prælibata ratione inuestitus, videlicet, vt masculorũ defectu, fœminæ beneficio potiri valeant, hoc feudum alij per subinfeudationem concesſit: & postea ab hac vita decesſit, filiis superstitibus duobus: Quorum alter filiam vnam, alter verò marem filium post se reliquit, hac specie, iudicatum fuit, eum, eiusve hæredes, qui subinfeudationem accepit, feudum suum, donec à primo subinfeudante originem ducens masculus superſit, nec à filia recognoscere, nec inuestituræ renouationem petere ab eadem oportere: Manifesto videlicet argumento, nullum in feudo ius fœminæ competere, donec masculini quispiam sexus in humanis agat. Verùm enimuerò, si quis ex patrimonio suo proprio feudum nouum erigens, relicto filio, simul & filia, moriatur, vasallus feudum illud consecutus, tam à filia, quàm à filio mortui domini, infra tempora præfinita, id cognoscere, & inuestituræ renouationem petere debet.

Ratio huius posterioris dicti est, quia feudum erectum fuit ex prouentu allodiali, & libera substantia patris: in qua pari succesſionis commodo, & mares, & fœminæ fruuntur. l. maximum vitium. C. de libe. præte. Igitur in feudi sic erecti dominio directo, fœmina par ius cum mare censetur obtinere. Quare caueat sibi hac specie vasallus, nisi enim infra annum & diem, aut infra annum & mensem, si miles sit, (vt suprà, quo tempo. miles inuestitu. pete. debe.) etiam à filia, inuestituræ obtinuerit renouationem, feudo cadet. secundum Præpoſi. hic, per hunc textum.

De duobus fratribus à Capitaneo inuestitis.
Titulus XVIII.

DVO FRATRES, scilicet, Titius & Seius, à quodam Capitaneo de nouo beneficio, simul inuestiti sunt: eo videlicet tenore, vt quàm diu ipsi, vel eorum hæredes masculi viuerent, & masculis deficientibus, fœminæ si superessent, feudum haberent. Ex fratribus his vnus, vna filia relicta, altero adhuc viuente, decesſit. Quæritur, cui portio defuncti deferatur, vtrùm filiæ, an fratri? Respondetur, filiæ. Vnusquisq; enim sibi suisq; hæredibus videtur prospexiſse. Si tamen is, qui filiam reliquit, sine hærede decesſiſset, propter tenorem inuestituræ insertum, eius pars fratri, non domino, est quæsita.

In feudo nouo duobus fratribus, hoc pacto, & lege concesſo, vt scilicet ipsi, vita comite, vel donec eorum hæredes masculi, aut eorũ defectu, fœminæ vixerint, hoc obtinere posſint, mortuo fratri, relicta ex se filia, frater alter superstes non succedit, sed ad filiam defuncti portio defertur. Si verò frater qui filiam quidem genuit, morte tamen postea sublatam amisit (Sic enim hunc textum in fine supplere oportet, ne pugnantia contineat, quod & Aluarotus sensisse videtur) sine vllo hærede virilis, aut fœminei sexus

decesserit: eius pars, non dño, sed fratri est quæsita: idq́ ex vi & proprietate ipsius inuestituræ, quæ domino viam ad feudum præcludit, donec & quousq́ alter fratrum viuat: Siquidem non alterius, sed vtriusque fratris mors, nulla relicta sobole, regressum domino ad feudum præbet.

1. Dubitationẽ circa hunc textum fortè suggerat, quòd quum fratribus primò per hoc pactum, de quo in textu, sit consultũ, deindè ipsorum filiis: videri posſit, primo quoq́ loco, fratrem succedere fratri debere, & deindè, si frater superstes non sit, filiam demùm ad eius feudi succesſionẽ vocari, quasi per hunc tex. in versi, quàm diu ipsi, vel eorum hæredes, & cæ. ordine scripturæ, & inuestituræ, succesſioni modus existimari queat præfinitus. argu. l. cùm pater §. à te peto marite. ff. de lega. ij. Verùm contraria obtinuit sententia: videlicet filiam, hac specie, patruo excluso, ad feudalem patris sui portionem admitti. Cuius ea sit ratio, quòd vnusquisq́ fratrum, suis hæredibus consuluisse, & prospexisse videatur: Nam & iure ciuili, id actum inter contrahentes semper videtur, vt hæredibus consulatur: Adeò, vt iudicium etiam supremum, quod quis in fratrem suum apertè contulerit, in irritum cadat, filiis eidem natis. l. tale pactum §. vlti. ff. de pact.

2. Feudi noui inuestituræ, pacta insolita, & à cõmuni cõsuetudine exorbitantia, inseri posse, hoc textu manifestum est, in verbo tenorẽ inuestituræ, qui probat, fratrem in feudo nouo succedere fratri, sine liberis decedenti. Idq́ vi tenoris inuestituræ. Cõmemorat enim in præsenti casu, fratres, aut eorum hæredes, siue masculos, siue fœminas, donec vixerint, in eo feudo sibi succedere posse: Alioqui cessante pacto, fratres in feudo nouo ad mutuam succesſionem non vocari, perspicui iuris est. c. vni. suprà, de benefi. frat. Et inquit hic Bal. nota egregium tex. Quòd tenor inuestituræ, derogat omni feudorum naturæ. vt hic, & suprà, quid sit inuesti §. pe. & vlti. & infrà, de. feudo non haben. pro. feudi natu. Ex quo hic infert Præposi. ad definitionem cuiusdam dubij, de quo se dicit consultum respondisse. Sed tex. quem citat, & cui innititur. nempè §. & si clientulus. suprà, de aliena. feudi. intentionem eius non probat, vt patet textum inspicienti.

An remoueri debeant testes qui pares esse desierunt.

Titulus XIX.

EX FACTO quæsitum scio: si inter dominũ & fidelem de inuestitura feudi cõtentio emerserit, quia factam eam dominus neget, si vasallus offerat eos testes, qui tempore inuestituræ pares erant, sed postea qualibet ex causa pares esse desierũt, an ideo remouendi, quia nunc non sunt pares? Sed quamuis alij aliter sentiant, tamen mihi & quibusdam aliis videtur sufficere, eos tempore inuestituræ saltem pares fuisse. Quid enim peccauit, qui inuestituram accepit, si illi, quos eo tempore, vtpotè idoneos, adhibuit, postea pares esse desierunt?

Contentione inter dominum & vasallum, super inuestitura suscitata, domino videlicet eam factam esse negante, vasallus intentionem suam, per illos testes, rectè probabit, qui temporæ inuestituræ concessæ, pares fuerunt, licet postea, qualibet ex causa pares esse desierunt: Cur enim is mutatione parium, aliquod sustinueit detrimentum, qui nihil peccauit: sed vt debuit, tunc temporis idoneos adhibuit?

1. Regulare est, vt eam testium conditionem inspicere debeamus, quæ fuit quum actui adhiberentur: non quæ postea esse cœpit: Si igitur tunc,

tunc, quum adhiberentur, tales fuerint, vt adhiberi possent, nihil nocet, si quid postea eis cõtigerit. l. ad testium §. conditionẽ testium. ff. de testa. Id etiam obtinet in iis, qui hominũ opinione, quum adhiberẽtur, putabãtur idonei, licet postea inhabilis eorũ conditio detegatur. l. i. C. de testa. arg. l. Barbarius Philippus. ff. de offi. præto. Quare & in specie subiecta, eam testium conditionẽ, quæ fuit, quum inuestituræ adhiberentur, spectare conueniet. Si enim tempore eo, pares extiterunt: nihil refert, quacunq; ex causa pares esse postea desierunt: Quod tamẽ accipiunt nostri, nisi ex causa famosa, quæ infamiæ maculam irrogat, inter pares haberi desiissent: Quum vulgati iuris sit, infames testes esse non posse: quod Præpo. ex Bal. sentẽtia de notatis infamia iuris intelligit: nõ aũt de resperfis sola infamia facti, nulláq; rei euidentia, sententiáve conuictis. Nam talis facti infamia, apud vulgus ipsum super delicto cuiuspiam exorta (vt Bal. hic ait) falsa esse potest: quia, vt eleganter idem dicit, potest quis esse innocens, quicquid prædicet populus. Verumenimuerò presfsius mihi ea text. verba intuenti, videlicet, qualibet ex causa pares esse desierunt, simul & rationem hic in fi. subiunctam exactius perpendenti, DD. assertio non satisfacit. Nam tex. hic dicẽdo, qualibet, nullam exclusit: argu. c. solitæ. in fi. versi. nihil excipiens, qui dicit, quodcunq;. de maio. & obedien. cum simil. vulga. Itaq; quum placitum feudale generaliter statuat de qualibet causa, nec vllam distinguat, cõiectura capi potest, distinctionem nullam voluisse. l. de precio. cùm func. ff. de publici. Ratio quoq; huius text. latissimè patet. Nam quid & hic peccarit, etiamsi ex causa famosa, pares esse desiissent, quos inuestituræ adhibuit idoneos? Non moror, quòd ad testimonij fidem regulariter infames non recipiantur: nam hic alia versatur ratio: Quia inuestituram nouam (de qua apparet in hoc textu, fuisse controuersum) necessariò probãda est per curiæ pares. c. i. in prin. infrà, qui test. nece. sint ad pro. no. inuesti. igitur siue ex causa famosa, siue non famosa, pares esse desierint, æquè ad testimonium admittentur, propter vtilitatem necessarij vsus: ne ius vasalli, probationis defectu euanescat: Quum etiam secundum Imperatorum constitutiones, hæreticorum quandoque testimonia recipiantur, propter vtilitatem necessarij vsus, ne probationũ facultas angustetur. l. penul. in fi. C. de hæreti. & Manichæ. Quare, si vasallo alia probandi ratio non suppetat, quia fortè breue testatum non sit cõfectum, nec alij pares interfuerint, etiam eos, qui ob causam famosam pares esse desierunt, probationi suæ, super noua inuestitura, adhibere testes poterit, modò tempore concessionis inuestituræ, idonei fuerint. Idq; ne rei gestæ veritas probationis inopia pereat. per d. c. penul. in fi. & per hunc textum generaliter disponentem, in verbo, qualibet ex causa pares esse desierunt, iuncta ratione hic in fi. tex. expressa.

De controuersia inter Vasallum & Episcopum.

Titulus XX.

EX EO quod scriptum est, si inter dominum & vasallum, de feudo nascatur quæstio, quòd per pares eiusdem curiæ dirimenda sit. Quæsitum est, si quis dixerit, se à quodã Episcopo, fortaßis iam defuncto, de annua præstatione, aut qualibet alia re, per feudum inuestiturã accepisse, & cum successore, eius agat, & ille respondendo neget, hunc esse vasallum: vtrùm per pares eiusdem curiæ sit iudicandum super ista quæstione? Opponit enim vasallus, quòd dominus cum neget esse

vasallum,& ideo in ea curia pares non habet. Item dicit vasallus, quòd priùs de suo recto feudo debet inuestiri, quàm à nemine iudicari. Domino respondente, quòd quicquid inter eos, siue de inuestitura, siue de fidelitate, siue de principali causa agendum est, per suam curiam sit expediendum. Sed laudatum sæpe scio, pares illius curiæ, secundum præfatum modum esse eligendos priùs, ad quorum spectat officium, vt illum priùs de suo recto feudo inuestiri faciant, sed fidelitatis iusiurandum differatur, donec de principali causa cognoscatur. Ex illo enim apparebit, vtrùm iurare debeat, an non. Quod totum expeditæ quæstionis est. Sed si constiterit vasallum aliquid aliud, præter id, de quo quæritur, ab eodem domino tenere pro feudo Tunc, quin debeat de suo recto feudo inuestituram accipere, & fidelitatem iurare, & sic ad principalem causam accedere, non est dubitandum.

Hoc c. eiúsq; glossas difficiles esse præfatur hic Alua. Bal. & vetustiores parum adferũt, quod ad verum textus intellectum cõducat. Præposi. varios & pugnãtes intellectus cõglometat, & more suo, certo gradu non consistit. Quid multis? quasi arte quadam obscurantur omnia. Ego ceu paraphrastica explanatione, præsens c. sic exprimo: Quandoquidem superiùs, nempè in tit. de cõtro. feu. apud pa. termi. cautum est, vt inter dñm & vasallum exorta de feudo cõtrouersia, parium curiæ definiatur sententia, dubium exoritur: Quid si aliquis ab Episcopo, seu alio quouis domino feudi (nihil enim refert, secundum Alua. & Præposi.) de quadam annua præstatione ac reddito, ex ærario, horreo, aut vectigali, seu de re quocunq; alia feudi nomine, verbaliter & abusiuè inuestitus, mortuo paulòpost inuestitore, cum successore, aut hærede eius agat, vt ab eo inuestiturã propriam, hoc est, ipsam realem feudi possessionẽ (quam morte præuentus inuestiens præstare nequiuit) consequatur: & successor aut hæres defuncti, legitimam nullam ab inuestiente mortuo inuestituram esse factam, seu alia quapiam ratione, id quod actum est, iure non subsistere asserat: sicq; in effectu, hunc vasallum esse neget, dubium, inquam, exoritur, an huius causæ pares curiæ cognitionem & definitionẽ habere debeant, nec ne? Inuestitus, eam coram paribus agitandam non esse contendit, hac de causa, q; Episcopus vasallum eum esse non agnoscat, igitur causam ad parium tribunal non spectare: quum nullos pares in ea curia habere possit, quæ domini est, eum vasallum esse negantis. Quare coram ordinario Episcopi iudice, videlicet Metropolitano, negotium hoc potius discutiendum fore: Quinimò, priusquã ancipitẽ fori aleam subire cogatur, aut alicuius iudicium accipere, dicit, ante omnia sibi propriam feudi inuestiturã à successore fieri debere, hoc est, possessionis vel quasi traditionẽ: quam à prædecessore morte præmatura sublato consequi non potuit. Episcopus cõtrà replicãdo, negat se ad propriam concedendam inuestiturã obligari, quoniam verbalis & abusiua inuestitura à prædecessore facta non sit legitimè, nec alioqui iuris robore nitatur. Attamẽ si actionẽ aliquam sibi cõpetere inuestitus putet: curiam parium patére dicit: posse eum iuris ordine experiri, pares enim, & non alios, huius rei iudices, in litis euentum esse oportêre: siue agatur de inuestitura, facta sit, nec ne, siue de fidelitate, præstanda sit, nec ne, siue de principali causa, facta sit legitimè inuestitura, nec ne, controuertatur. In hac igitur facti specie, pronunciatũ Obertus meminit, pares curiæ iudices cõpetentes esse, eo modo electos, quem habet tit. sup. de cõtro. feu. apud pa. termi. Horũ autem parium officio incumbit, vt mox simulatq; de inuestitura abusiua à prædecessore facta, vel per breue testatũ, vel per curiæ pares, qui rei gestæ interfuerunt testes, constiterit, eum

eum de re feudali, cuius inuestiturã titulo recti feudi obtinuit, protinus inuestiant, & tradita reali ipsa possessione, verã & propriam inuestiturã ei concedant: Hoc tamẽ pacto inuestitus ad fidelitatis sacramentũ nõ adstringitur: Nam hoc differtur, donec principalis causa, quæ de subsistentia & iure, meritisq; inuestituræ mota est, diffinitiuæ calculo sententiæ dirempta fuerit: Eius enim perdocebit euentus, an vasalli loco sit habendus: sicq; fidelitatis, an ne, præstandũ sit iuramentũ. Cæterùm si in propatulo sit, vasallũ, præfato modo, cõtrouertentẽ, feudũ quoddã aliud, ab eodẽ Episcopo obtinere, illius recti scilicet feudi intuitu, constat eum fidelitatẽ successori, mox iurare, eiúsq; inuestiturę renouationẽ, infra statuta tẽpore, petere ab eodẽ debere, & deindè, ad feudi cõtrouersi prosecutionẽ, ea, qua dictũ est, via, se accingere.

1. Quoniam superioribus statutũ est placitis, inuestitura verbali, per breue testatũ, aut pares probata, in possessionẽ mittendum esse inuestitũ. c.i. suprà, si de inue. feu. cõtr. fue. talémq; inuestiturã à prædecessore factam, à successore ratam haberi, & possessionis traditione adimpleri oportêre. c.i. sup. qui succe. teneantur. ambigi non ineptè poterat, an ne dispositioni eorũ sit locus, cùm successor eam inuestiturã illegitimè factam, & iure refragante cõcessam, nullius esse momenti excipiat, séq; id iure probaturũ obferat? Quare ad huius dubiȷ diffinitionem præsens c. emanauit, quo statuitur, tali successoris obiectione non obstante, probata inuestitura abusiua, realem possessionem inuestito per curiæ pares consignandam esse, & deindè ad principalem causam, iure scilicet inuestitura sit subnixa, nec ne, progrediendum fore. Veruntamen hunc tex. And. ab Ysern. moderatur, vt non obtineat, si dominus im promptu habens probationes, inuestituram nullam & illegitimam esse mox conuincere queat. Potest enim dicere, hodie constat de nullitate inuestituræ, hodie agamus. l. si is à quo. ff. vt in posses. legato. quod & Aluaro, & Præpo. hic probant. Quare hac specie dominus audietur, nulla feudi possessione interim tradenda vasallo. Idem iuris erit, si difficilis postmodum fuerit traditæ possessionis recuperatio, finge iuxta speciem huius c. controuersiam inter Episcopum & vasallum esse, de arce quadam valdè munita, cuius possessionem, in principali causa succumbente vasallo. Episcopus ægrè recuperare posset. Nam secundum Præposi. qui Paulum Castrensem citat, possessio non tradetur vasallo, sed principalis causa, nempè inuestiruræ valor & subsistentia discutietur.

2. Porrò tametsi Præpo. in casu huius c. possessorio recuperãdæ actum fuisse putet, verba tamẽ, ipsáq; tex. series diligenter perpensa, magis adipiscendæ possessorium exprimũt. Est tamen manifesti iuris, vasallo feudi possessione spoliato, interdictum recuperãdæ possessionis cõpetere, eiq; secundum regulas iuris cõmùnis, possessionẽ restituendã esse, priusquã proprietatis quæstio discutiatur. l. si quis conductionis titulo. C. de loca. & conduct. Nam regula iuris. quæ habet, spoliatũ ante omnia restitui debere. c. in literis. c. cõquerente de resti. spolia. cum similib. in feudalibus quoq; obtinere dinoscitur, etiam si tituli colore possessionẽ suam vasallus non adornet, idq; non obstante proprietatis obiectione, secundum Præpo. hic. qui citat Oldra. in consi. ccxxiiȷ. incip. Istæ sunt allegationes. in i. colũ. & interdictum possessorium vasallo spoliato cõpetere, annotaui in §. si verò vasallus. sup. quid sit inuestitu. & in §. vlt. inf. de mili. vasal. qui cõtu. est. num. ȷȷ. circa fi. Sed hanc regulam, quibusdam casibus non esse perpetuam, cognitu dignissimum est. Primò igitur non obtinet, si proprietatis exceptio sit notoria, déq; ea ipso iure constet. secun. Oldra. in d. consilio. in vlt. colũ. versi. nec obstat, quod de

possessorio dicebatur. & per Fride.Senēsem,cōsi.cclxxxiij.incip.consilium latum per venerabilē virū.& per Fely.in c.ad petitionē.versi.& pondera tex. de accusa.Secundò non obtinet,si offendiculū,scandalū,aut peccati labes,ex ea possessionis restitutione immineret.secun.Frid.in d.consi.& Fely.in c.ij. i.colum.versi.sextò propter scandalū.de præscrip. Tertiò non obtinet,si eui denter constet,talem esse aliquē,vt iure ei restitutio fieri non debeat: veluti si spoliatus beneficio ecclesiastico,& agens possessorio recuperādæ,notoriè sit illegitimè natus,aut beneficij illius temerarius occupator fuerit,nullam eius maculæ detersionē,aut Pontificis indulgentiam cōsecutus.Huic beneficij restitutio non fiet. Secus tamē,si spoliati inhabilitas ita nō pateret, sed in ambiguo versaretur: tum enim,ante omnē causæ prosecutionē,restituendus foret spoliatus: ita pulchrè & clarè tradit Innocen.in c.constitutus.ad fi.de filiis Presbyte. Item in beneficialibus ecclesiasticis, agenti possessorio recuperādæ,notoriam obstare nullitatis obiectionē.;Fely.prosequitur in d. c.ad petitionē.versi.& pōdera tex.de accusa.& de consimili materia per Do. de Rota.decisio.xvi.incip.si cōtra agentē possessorio,in nouis. Quartò non obtinet,in eo spoliato,qui meam possessionē,me dn̄o ignorante,ingressus occupauit,& statim simulatq; id resciui,violenter à me eiectus,& spoliatus fuit: Huic enim sic pulso,restitutio non est facienda, quum interdictum ei possessorium non competat, quia vim vi repellendo,talem ex meo profligare & depellere potui. c.olim causam.de resti.spolia.l.idem est.§. cum igitur.ff.de vi & vi arma. Vbi si quis deiectus fuerit,eiectorem vicissim deiicere poterit,ex continenti. Idquando dicatur,vide ibi per DD. Mihi tamē videtur, hanc dictionem,ex continenti,interpretationem iuris accipere.Sicut alibi Iureconsultus dictionem, confestim,interpretatur, dum ait: Confestim autem sic erit accipiendum, vbi primùm potuit.l.ij §. confestim. ff. ad senatusconsul. Tertullia. Finge igitur,eiectum infirmitate fuisse detentum, vel auxilio amicorum,& necessariorum præsidio destitutum, mox spoliatorem eiicere non potuisse, æquitas postulat, vt eius quoque ratio habeatur.d.§.meminisse. quod & Ioan.Faber probat.in l.i. C.vndè vi. Vbi etiam idem tradit, possessionem annuæ præstationis, census, vel redditus, armis defendi posse. Proindè si Princeps quispiam vicinus, per impressionem, & de facto, à subditis meis contributiones, & pensitationes exigat, quas mihi ratione subiectionis, præstare & debent,& solent, potero vim vi repellere, meámque possessionem tueri manu armata, secundum eundem, per quod dictum, in consessu magnatum, Comitem quendam defensum commemini, qui exactores publicarum pensitationum, in suos subditos, præter consuetudinem, irrumpentes, manu collecta profugauit, capitibus probè contusis. Sunt & alij casus,quibus spoliatus ante omnia non restituitur, quos commemorat glossa præcla. iij.q. i. in summa. super verbo, quidam Episcopus. Quæ etiam recenset quatuor remedia spoliatis à iure prodita, quibus restitutionem petere queant. Quintò, non obtinet in spoliato, qui rem, qua se dicit spoliatum, verisimiliter præsumitur occupasse, eò quòd manifestum sit, illam de iure communi ad alium pertinere : Quare nisi euidenter docuerit, se possessionem eius legitimè fuisse assecutum: res nequaquam restitui debet. c. ij. de restitu. spolia. lib. vi. Denique an possessionis restitutio sit deneganda spoliato, si dominium se in continenti probaturum spoliator obferat: vide Felynum in c.exceptionem. versiculo, datur alia fallentia maxima. de exceptio.

Insuper

Insuper ex hoc tex.collige,inter Episcopum,seu quemuis alium ecclesiasticum feudi dominum,& vasallum, in materia feudali cognoscere pares curiæ, homines scilicet prophanos. Nam & ius canonicum feudali iudicio clericum submittit. c.ex transmissa.de foro cõpe.Est etiam hic aduertẽdum, vasallo contendenti, nec dum feudi possessionem assecuto, potestatem parium eligendorum competere, iuxta formam tituli. supra, de contro. feu. apud pa.termi. Similiter hic casum esse,quo vasallo feudi possessionem cõsecuto fidelitatis sacramentum defertur.

De milite vasallo qui arma bellica deposuit.

Titulus XXI.

MILES qui beneficium tenebat, cum esset sine liberis, venerabilem domũ intrauit, & seculo renunciando, arma bellica deposuit, habitumq; religionis assumpsit, & sic cõuersus factus est. Hic donec vixerit, feudum retinere conatur: quod dominus vel agnatus sibi pertinere contendit: Sed iudicatũ est, domini vel agnati conditionem esse potiorem, eo quod desiit esse miles seculi, qui factus est miles Christi, nec beneficium pertinet ad eum, qui non debet gerere officium.

Vasallus vitam monasticam professus, feudum non retinet, sed hoc vel ad dominum redit, vel ad agnatos successione defertur.

1. Hic textus indicat.monachum factum feudo cadere: Idem in eo qui clericus effectus est, obtinere contendunt.c.qui clericus.inf.si de feudo defunc. conten.sit.inter domi.& agna.vasal.& c.vni.versi.ex hoc illud.infra,de feu. fœmi. Horũ ratio exprimitur hic in tex.Quia desiit esse miles seculi,qui factus est miles Christi: Quodq; beneficum ad eum non pertineat,qui gerere non debet officium.& in c.vnico.inf. an mut.vel aliàs imperfect. feu. tene. Ideó clericus à feudo arcetur,quia feudo deseruire non valeat:Quæ rationes eo tendunt,vt clerici ad feuda obtinenda inhabiles esse censeantur, propter vitæ institutum, quod feudi obsequiis respondere non posse videatur, sed præfatis textibus ex diametro repugnat alius feudalis textus.nempe in .§. vlti.inf.de lege Corra.vbi tex.luculenter indicat, Episcopum vel Abbatem nõ solum respectu ecclesiæ,sed etiam intuitu personæ propriæ feudum à rege obtinere: Ex eo igitur cõuincitur,clerici personam habilem esse ad feudum obtinendum,non obstante cœlestis militiæ instituto,cuius contrarium hic dicitur: sed ambiguitatem ac scrupulum omnem sanctorum patrum eximunt decreta,simul & Romanorum Pontificum constitutiones,quibus nõ solum ecclesiarum prelatis,sed & monasteriis ipsis,ea obtinere feuda permittitur,quorum ratione,domino temporali,aut principi,à quo feudum obtinent,etiam personaliter fidelitatis sacramentum,& homagium præstare cogantur.c.vni.§. verùm quando de statu regu.lib.vi. Præstatur autem homagium ab homine ligio,qui vasallus omnium est obstrictissimus.glo.in verbo, homoq; ligius.c. pastoralis.§. Rursus.de feu.& re iudi.lib.vi. Quinimo & temporalem iurisdictionem,ipsaq; regalia,nihil cœlesti obstante militia, clericos obtinere posse,& moris & iuris est peruulgati.c.Romana.§. Debet autem.de appel.lib.vi.& c.vlti. Ne cleri.vel monachi.lib.vi. Nam vt dicitur in .§. ecce,quem præcedit.c.si in morte.23,q.8.notandum est,quosdam Episcopos,Leuitica tantum portione contentos esse,qui sicut in Dei sorte tantum numerantur,sic ipsum Deum solum in hæreditatem accipiunt dicentes: Dominus pars hæreditatis meæ. His nihil est commune cum Principibus

pibus seculi, quia temporalia penitus abiiciunt, ne eorum occasione, legibus Imperatorum obnoxij teneantur. Et paulo post: Porro alij sunt, qui non contenti decimis, & primiciis, prædia, villas, & castella, & ciuitates possident, ex quibus Cæsari debent tributa, nisi Imperiali benignitate immunitatem promeruerint: Quibus iam peruium fit, clericos à feudis etiam ligiis obtinendis, à temporali exercenda iurisdictione, ab habēda villarum, castrorum, ac ciuitatum, possessione, propter cœlestem militiam, neutiq̄ arcendos esse. Nec mirum id cuiquam videatur, quum & veteri testamento constet, quadraginta octo ciuitates Leuitis & sacerdotibus, in terra promissionis alioqui non latè patente, habitandas fuisse concessas, vt diuus Hieronymus ad Fabiolam de veste sacerdotali scribit. Et in populo Iudaico, octo millia Leuitarum, præter Pontifices, & sacerdotes, quotidie alendi fuerint. Quid ni & in lege noua clericis arces ac ciuitates habere liceat, vt cessantibus vmbris ac typis, veræ religionis præsente corpore, in omnibus vbiq; ecclesiis, iugiter subsistere cultus diuinus, & ab omni hæreticorum oppugnatione cōseruari queat illibatus, simul & in sancta tranquillitate incolumis conquiescat clerus Christianus, antelucanos hymnos (vt Plinius testatur in epistolis) Christo canens Deo, innocentiamq; apud omnes seruans? An non vineam dn̄i rerum humanarū præsidio circumsepire oportuit, ne eam ferus aper deuastet? prauorum procella adobruat, impiorū rapacitas diripiat, perdat, extinguat? Considerârunt hoc pientissimi Romanorum Imperatores, qui amplissimas donationes in ecclesiam contulerunt, quarum etiam optimam mensuram immensitatē esse testatur Iustinianus, idq; nimirum ea de causa, vt in sancta quiete, omniq; hostium reiecta formidine, & ali commodius, & vitam tutius ducere, grex Christi posset: Consyderârunt inquàm & perpenderunt optimi hi monarchę, variis multisq; impendiis ecclesiæ opus esse, tum ad exercendā hospitalitatē, tum ad sacerdotes, Leuitas, reliquumq; omnem clerum sustentandum, tum ad cultum, ornatum, perennemq; fabricam sacræ ædis conseruandam, tum ad explendas pauperum necessitates, tū ad hæreticos arcendos, tum ad propellendam vim hostilem, & quotidie magis, magisq; gliscentem impietatem. Quare abominor prophanos quosdam & alioqui doctos, qui clericis nihil præter vestem, ac tenuem victum reliqui faciunt, nescio quo verbulo Hieronymi aut alterius disceptātes, sed his Pauli illud ad Roma. occurrat: Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? domino suo stat, aut cadit. Sed vt Hierony. ait: Qui inimicus est, in scirpo nodum quærit. Animaduertant patrum decreta, vetustos ecclesiæ ritus, & generalē cleri statum, ante centenos aliquot annos, imò altius à Siluestri tempore repetant, & rectius discent sapere. Contueantur Gregorium magnum, Deus dedit, Ioannem quartum. Theodorum primum, Adeodatum, Agathonem, Leonem secundum, Cononem, Sergium, Gregorium tertium, Zachariam, Stephanum secundum, Paulum primum, Stephanum quartum, reliquosq; omnes & sanctissimos & laudatissimos pontifices Romanos, & hos omnes comperient in summo pontificatus apice diuitias, opes, thesauros, villas, arces, ciuitates, ac ditiones possedisse, quum tamen quidam ex his tam admiranda claruerint sanctimonia, vt etiam leprosos sibi obuios, vel solo osculo, à lepræ morbo protinus liberârint. At qui si temporaria subsidia Petri successoribus defuissent, quomodo magnum vt paruum iudicassent. c. nouit. de iudiciis. quomodo ecclesiam protexissent? quomodo pauperes aluissent? quomodo pupillos & viduas subleuassent? quomodo denique in offensam fidem, veramque Christi religionem, aduersus tot lupos palam

grassantes,

grassantes aduersus tot viperas clanculum sibilantes, conseruare, aut tueri cōmodè potuissent? Et quid iam Ecclesiis reliqui fore in Germania putàris, imò quam non ibi rerū omnium subuersionē conspexeris, si vel die vno, terrena ab eis præsidia sequestrētur? Si itaq; (vt regrediamur, vnde sumus digresi) ad feuda, cæteraq; temporalia consequenda, clerici, habiles, & idonei esse ex præmissis planè conuincātur: cur non eis per substitutū, & per intermediam personā, feudi muniis satisfacere permittetur, sicuti minori & adulto permittitur §. si minori, & §. si quis decesserit. inf. si de feu. defunc. conten. sit inter domi. & agna. vasal. Sed dices, tēporis successu grandescet adultus: & munere suo fungetur ipse. Fateor, verùm accidētalis muti exemplum mihi cōtuere: hic enim feudum retinet. inf. an mu. vel surd. c. vni. secun. verū intellectum, de quo dixi in §. mutus. sup. Epis. vel Abb. feu. da. non pos. Et tamē oneribus feudi interim per alium satisfaciet: Si id cōcedis fortuitæ calamitati, cur non pietati? vt clericus effectus idem posit, quod effectus mutus. Maximè, cùm non solùm consilio dn̄m, sed & re clericus iuuare posit, substituens idoneum quendā, & acceptū dn̄o virum, qui maiori, aut pari diligentia, fide, ac synceritate, feudi munia adimpleat: nimirū, vtriusq; domini veriturus autoritatē, & eius cui seruit, & eius, à quo delegatū ministerium suscepit: cùm alioqui cuiuis vasallo, etiam prophano, placitis feudalibus cōcedatur: vt in maximo seruitio, nempe expeditione publica, opera vti aliena possit, & substitutum mittens, in ocio domestico conquiescere §. firmiter. inf. de prohi. feu. alie. per Frede. Nec erit absonū per alium facere, quod clericus per se ipsum nequeat: nam hoc casu, id iure licet. c. vlti. ne cleri. vel monachi. lib. vi. vbi clerici temporalem obtinentes iurisdictionē, quàmuis per seipsos, causas sanguinis agitare prohibeantur, eas tamen poterint delegare. & ibi glos. vlti. ergo ait, potest quis per alium, quod non per se ipsum: Consilio autē dn̄m iuuare poterit: vt Beatus Augustinus Bonifacium Comitem, epistola cxciii. dum inquit, graui de pugna conquereris, dubites nolo: vtile tibi, tuisq; dabo consilium: Arripe manibus arma: Oratio aures pulset autoris. Et beati Gregorii imitari poterit exemplum: qui aduersus Arnolphum, manum militarē colligi iubet, anxièq; hortatur suos, vt si Arnolphum cognouerint excurrere, à dorso eius, sicut viros fortes condecet, laborent, vt in epistola ad Velocem Magistrum. Insuper consilium impensum & auxilio rectè prouehet. Nam clericos ratione feudi, milites in subsidium Principi mittere, glos. asserit xxiii. q. viii. in summa. Et hoc pacto ecclesiasticos Principes, regalia, maximáq; imperii feuda consecutos, eorum functionibus longissimo iam tempore satisfecisse conspicimus. Quinimò, si causa sic vrgeat, ratióq; exposcat, dixerim & ipsos clericos, ad arcēdam iniuriam vnà cum dominis suis progredi posse. Idq; Leonis Papæ fretos autoritate, dicentis: scire vos oportet, quòd nunquàm ab aliquibus nostros homines sinimus opprimi, sed si necessitas vlla incurrerit, præsentialiter vindicamus: quia nostri gregis in omnibus vltores esse debemus, & præcipui adiutores. c. scire vos oportet. xxiii. q. viii. & non rarò Episcopos ab Imperatoribus ad gerenda bella euocatos, & profectos, fuisse annales referunt. Meritò igitur censurā suam fascibus Pontificiæ dignitatis Obertus, feudalium placitorū collector, quantum ad diiudicandas clericorū personas, quid in cœlesti militia constituti, vel possint vel non posint, submittat: Nec arbitror quenquàm tam perfrictæ frontis exoriturū, qui hominis priuati iudicium, vetustis Ecclesiæ moribus, Romanorúmq; Pontificum non postposuerit autoritati: Quia, vt inquit Ioan. Papa, non à legibus publicis, non à pote-

statibus

ſtatibus ſeculi, ſed à Pontificibus & Sacerdotibus omnipotens Deus Chriſtianæ religionis clericos & ſacerdotes diſcuti voluit. c. ſi Imperator. xcvi. diſtinc. & ibi gloſ. in verbo diſcuti. ergo inquit, antequã aliqua eſſet conſtitutio, etiam clerici non erant de iuriſdictione ſeculari. Præterea, vt ad rem redeam, ſi formã fidelitatis ſpectes, nihil eſt, quod clericus, aut per ſuam, aut per ſollicitudinẽ alienam cõmodè obire non poſsit. Nam quum penè ſimilis omnium hominũ ſit natura, cur non etiam facta omnes, vel plus, vel paulo minus adimplere poſſint? vt inquit Imperator. in l. veteris iuris. in fi. C. de contra. & cõmit. ſtipu. Et quid tandem refert, quemadmodum feudo ſatisfiat, modò ſatisfiat? l. promiſſor Stichi. §. conſtituto. in fi. ff. de conſti. pecu. & æquè cõmodus in locum clerici ſurrogetur? arg. l. ſi quis domum. in princi. ff. loca. Ex quibus omnibus, quum liquidò probetur, & clerici perſonam feudo poſſidendo habilem & idoneam eſſe. & per alium feudi munia explere poſſe, conſequens eſt, vt non obſtantibus feudorũ placitis, ſuperiùs citatis, tum inter ſe pugnantibus, tum per ius Pontificũ, vſúmq; cõtrarium abrogatis, clerici & Prælati paternũ feudum retinere, & patri in feudo ſuccedere poſsint: niſi expreſſè inueſtitura ſit cautũ, perſonaliter vaſallũ, eiúſq; hæredes laicos, feudi muniis deſeruire oportêre: tum enim tenor inueſtituræ ſpectandus fuerit. c. i. ſup. de duob. frat. à Capita. inueſtitis. cum ſimil. aut niſi feudum ſit nouum, electa perſonæ induſtria conceſſum, hoc enim ſubſtitutũ non ferret. arg. l. vni. §. ſin verò talis. C. de cadu. tollen. Porrò ſi hæc opinio, DD. quoq; ſuffragiis ſit expendẽda, vix dies omnibus percenſendis ſuffecerit. Primò namq; eam probat gloſſa expreſſa, in c. vni. inf. de feu. fœmi. dicẽs, Clericũ in feudum paternũ ſuccedere, ſi per ſubſtitutũ paratus ſit ſeruire dño. argu. l. quiſquis cenſibus. & l. ad ſimilitudinẽ. C. de Epiſ. & cleri. & l. ſi arbiter. in fi. ff. de arbi. Et Innocen. Hoſti. Ioan. And. & Petrus de Ancho. cæteriq; plures concludunt in c. in præſentia, de proba. vaſallo monaſterium ingrediente, feudum ad monaſterium tranſire, ſi talia debeantur ſeruitia, quæ monaſterium honeſtè poterit, per ſe, vel per alium exhibere, per iura præallegata. Non igitur, vt hic tex. ait: ad dominum, vel ad agnatos, feudum illud mox relabetur: ſed apud monaſterium, mendicitati non obſtrictum, conſiſtet, donec vaſallus, factus monachus in humanis agat. Et hanc communem eſſe opinionem teſtatur Salycetus. in Auten. ingreſſi. C. de ſacroſan. eccle. & eam comprobat hic Præpoſi. Verùm enimuerò, ſi clericus aut monachus excuſſa veſte ſacra, inſtituti ſui fuerit deſertor (quod nulli licere, in quolibet eccleſiaſtico gradu conſtituto, Iuſtinianus ſanxit. in Auten. de ſanctiſs. Epiſc. §. hoc autem & ſuper aliis omnibus. col. ix.) feudi beneficio ſe reddit indignum, quoniam ea notatus infamia, in curia domini verſari non poſſet, per conſequens, nec feudum retinere. infrà, an ille, qui interfe. fra. dom. c. i. & per c. vni. infrà, de feu. fœmi. ſecus, ſi infra probationis annum ab inſtituto reſiliret. argu. c. beneficium. & ibi no. de regula. lib. vi. quod & Aluarotus hic probat.

De milite vaſallo qui contumax eſt.

Titulus XXII.

DOMINVS vocat militẽ, qui ab eo feudum poßidebat, dicendo eum in culpam incidiſſe, per quam feudum amittere debeat. Hic non reſpondet. Quæritur, quid faciendum ſit domino? Reſpondeo, eum ad curiam vocare debere, & ſi non venerit, iterum debere eum vocare, vſq; in ſpacio tertio ſeptem vel decẽ dierũ arbitrio,

arbitrio eiusdem curiæ terminãdo. Quòd si neq; venerit ad tertiam vocationẽ, hoc ipso feudum amittat, & ideo debet curia dominũ mittere in possessionẽ. Sed si intra annum venerit, restituitur ei possessio, alioquin & beneficium, & possessionẽ amittit. vt in Lombarda, de iis qui ad palatium venire cõtempserint. l. si cuiuscũq;.

Si vasallus, eo, quòd dignum aliquod feudi amissione facinus designasse prætendatur, à domino vocatus, aut sceleris conscientia, aut animi torpore, non respondeat, superest, vt à curia parium in ordinem redigatur: A qua, si trino citationis edicto, septem decemve dierum intercapedine (quemadmodum ius dicentibus visum fuerit) discriminato, ad domini petitionem excitus, non comparuerit, mox feudi possessione cadet, domino consignanda: Eam tamen infra anni spatium, iudicio se legitimè sistens, recuperare poterit: Verùm circulo eius temporis emenso, spe veniæ præclusa, & domini vtilis, & feudi possessionis iacturam patietur.

Dominus vasallum, ob crimen aliquod perpetratũ, ad se vocare poterit, vt hic. At si domino non respõdeat, ad parium curiam, in causis feudalibus, ordinaria fungentem iurisdictione, iudicium subiturus vocabitur: Ita videlicet, vt vocatio, & citatio ipsa vasallo, si eius personæ copia haberi queat, aut procuratori eiusdem insinuetur. c. causam quæ. & ibi glos. super verbo, ad domum. de dolo & contu. & c. vlt. de eo qui mitti. in pos. causa rei seruan. Vtroq; verò absente, ad dominũ vasalli denunciatio fiet, vt ibidem, domum scilicet, quam plærunq; inhabitare consueuit. clemen. causam electionis §. quòd si forsan, de elec. in clementi. aut vbi larem collocauit. l. 1. §. domũ. ff. de libe. agnoscen. Si verò domus in remotis existat, in loco feudi, de quo agitur, aut quo priuandus esse cõtenditur, citatio videtur publicanda. d. §. quòd si forsan. & c. tuæ. de cleri. non residen. Item si habitationem non habeat, ad ipsum feudi prædium erit denunciandum. l. iiij. §. prætor ait. ff. de dam. infec. sicq; more vulgato, ad valuas Ecclesiæ parochialis, eius vici, aut pagi, sub quo prædium feudale consistit, citationis literæ affigentur. Proindè si hoc pacto citatus non compareat, rursum, iterúmq;, & sic tertiò, citabitur, vnaquaq; citatione, septem, vel si ita videatur, decem dierum interuallo circumscripta, hanc aũt trinam citationẽ necessario fieri oportere, nec edictum, quod vnum pro omnibus appellatur (de quo in l. nonnunquã. ff. de Iudi.) sufficere, Alua. sentẽtia est, post glos. & Bal. hic. sed Præpo. vnicæ vocationi locum esse putat, si ea tantùm interuallum temporis cõplectatur, quantum tres istæ distinctæ citationes, iure complecti debuissent. c. constitutionẽ. de senten. excom. lib. vi. Cæterùm is qui ad primam citationem venire se nolle contumaciter responderit, denuò citandus non erit, vt tradit glos. super verbo, peremptorio. circa fi. in c. de illicita. xxiiij. q. iij. cùm enim per talem responsionem, se manifestè contumacem esse declaret, & apertè protestari videatur, se nolle litem suscipere, amplius à iudice citandus non fuerit. c. ij. de dolo & contu. lib. vi. quod & Aluaro. & Præpo. hic latius tractant. Tyrannum quoq; aliúmve quempiam formidabilem, & impotẽtis animi hominẽ, vnica duntaxat citatione vocari suffecerit. secundum Bal. hic. ex sententia Io. And. Tam barbaro enim ac fero quidam ingenio extiterunt; vt apparitores nonnunquam vi coegerint citationis literas deuorare, & deglutire, idque vulgò alicubi constat. Porrò licet vnaquæq; citatio, in casu huius tex. septem, aut decem dierũ interuallo sit discriminanda, vt hic. tamen plærunq; consuetudo ius dicentis relinquit arbitrio, vt pro conditione causæ, personæ, & temporis, hoc spacium vel arctius, vel laxius cõcedere possit. secundũ

glos.hic.sed si spacio nimis angusto pars grauetur,appellationi,iure canoni co,locũ esse,iuris est explorati,secun.Bal.hic.c.ad petitionẽ.de accusatio.Insuper ex glos.præfata colligit Alua.vniuscuiusqꝫ prouinciæ,& tribunalis cõsuetudinẽ,aut legem municipalem,quantũ ad citationes,instruendásqꝫ lites attinet,obseruandã esse,arg.l.1.C.de emanci.libe.& l.ij.versi.secundũ legem morésqꝫ locorũ.C.quemad.testa.ape.& l.iij.§.vlt.ff.de test.vbi dicitur,quod ad testes euocãdos pertinet,diligentiæ iudicãtis est,explorare,quæ cõsuetudo in ea prouincia, in qua iudicat,fuerit. Et alibi dicitur, morem iudiciorũ seruari intactum.l.si quando.in fi. C.de iniu. rursum alibi, obseruationem iudicialem permanere debere. l.generaliter §. in omnibus. C.de reb.credi.& iureiur. Cessante autem lege municipali aut consuetudine fori, præfinita à iure communi tempora,suo arbitrio iudex mutare non poterit. Nam,vt Bal.hic.versi.adde tamen,& cæt. cùm lex quippiam iudicis permittit arbitrio,hoc intelligitur in illis,quæ animi consilio reguntur,non in illis,quæ specificata sunt à lege.argu.l.1.§.sed non vtiqꝫ.ff.ad S.C.Turpilia. dum ait: facti quidem quæstio in arbitrio iudicantis est, pœnæ verò persecutio non eius voluntati mandatur,sed legis autoritati reseruantur, & luculentius in l.si in lege locationis.ff.loca.vbi inquit. Arbitrium non ad tempus prorogandum, quod lege præfinitum est,pertinet,nisi id ipsum lege comprehensum sit. Proindè si aliud loci non habeat consuetudo, citationis interualla, iuxta præfinitionem huius textus, parium curia præstituet.

2. Si tribus edictis,iuxta huius tex.dispositionem, aut vno pro tribus, peremptorio appellato,legitima tamẽ interualla (vt superius dixi) continente vocatus vasallus,præsentiam sui facere contẽnat,cõtumax esse cõuincitur.vt hic,& l.contumacia §.cõtumax. ff.de re iudi. Quare hanc cõtumaciæ pœnã sustinet,vt feudi possessione cadat,dño per curiæ pares tradenda. vt hic,& l.cõsentaneum. C.quomodo,& quan.iudex.vbi si ter citatus,cõtumaciter præsentiam sui facere negligat, bonorũ possessio cui incumbit,ad petitorẽ transfertur. Certum quoqꝫ est,petitorẽ in possessionẽ bonorũ latitantis,mittendum esse. l.satisqꝫ pœnæ.ff.de in ius vocan. & l.cùm proponas. cum Auten.seq.C.de bonis auto.iudi.possi. Verùm si infra coronam anni cõparuerit,possessionẽ suam recuperabit.vt hic. Quod intellige,modò cautionẽ det suscipiendæ litis.l.si quis emptionis §. sed & si quis.C.de præscrip. xxx.anno.aut fideiussorem de lite prosequenda præstet, omnéqꝫ damnum actori resarciat. Auten.& qui iurat. C.de bonis auto.iudi.possi. Non enim aliter iudicialis aditus patebit contumaci, nisi priùs omnia damna,ex contumaciæ vitio aduersariis inflicta, restituat, siue circa ingressus litis, siue circa honoraria aduocatorum, vel alias causas, quæ in iudiciis versantur, consistant,æstimatione iudicis,quantitate earum diffinienda, postquàm iuratum fuerit ab eo, qui fecit expensas, scituris iudicibus,quòd si hoc prætermiserint,ex sua substantia,huiusmodi detrimentũ læsis resarcire compellantur. l.sancimus.C.de Iudi. Computabitur autem hic annus, de quo superiùs, à termino vltimæ citationis,cuius lapsus eum contumacem reddidit: argu. l. contumacia §. contumax. ff. de re iudica. secundum Aluarotum. Atqui si annum integrum fluere sinat contumax, omne ius feudi, quod obtinebat,prorsus amittit: vt hic. Vasallo igitur per annum contumace,declaratoria feretur sententia, qua scilicet pares curiæ eum declarent, ob notoriam cõtumaciam,feudo eiusqꝫ vtili dominio priuatum esse, nec ad hanc audiendam sententiam vocabitur amplius,quia præuia eius contumacia processum conclusit,cuius occasione hæc sit proferenda sententia,quod

& Al-

& Aluaro.hic latius probat: deniq; hic contumax, appellationis etiam refugio destituetur. Nam si ex peremptorio per contumaciam absens condemnatus appellet, eum non esse audiendum constat. l.& post edictum §. vlti. ff. de iudi. & ei qui contumaciter abesse dinoscitur, nulla est prouocationis licentia. l. properandum §. cùm autem eremodicium. C. de iudi. cum similib.

§. Si verò vasallus conqueritur de domino, forsan quia feudum malo ordine intrauit, domino perperàm respondente, quid vasallo faciendum sit quæritur. Respondetur, eum curiam debere vocare, & in eadem curia de domino conqueri. Curia autem debet adire dominum, eumque salua reuerentia competenter cogere, vt vel possessionem restituat & acquiescat, vel iudicio curiæ se committat. Quòd si ter admonitus facere distulerit, tunc licet vasallo ad aliam maiorem potestatem ire, & sibi consulere, & si dominus ei iustitiam facere noluerit, poterit eum deprædare.

Quo pacto vasallus, dño prosequente, contumax puniatur, præcedenti §. accepistis: nunc, qua ratione, vasallo actore dñi cōtumacia in ordinē sit redigenda, cognoscite: Proindè si vasallo quid immineat, quod iustam ei de suo dño conquerēdi ansam suppeditet, vtpotè quia fortè nō iuris ordine, nō matre duce iustitia, sed impellente eius nouerca violentia, in possessionē feudi irruperit, aut etiam dolo quodā irrepserit, vasalli decebit modestiam, vt primò dñm adeat, se ei purget & excuset, ius suum benignè tueatur, deniq; feudalis rei, prætèr iuris ordinē ademptæ, restitutionē sibi fieri petat. Ad quam flagitationē, si vel perperàm, vel acerbè, vel iniquè dñs respōdeat, ita vt profecturū se nihil cōquerēs animaduertat: remedium ei hoc placito feudali proditur, vt corā parium curia de hac rei indignitate cōqueri possit: Qua de causa querimonia tali facta, pares curiæ, vt vasallos, officij etiam sui decet reminisci, vt scilicet dñm adeant, de querela vasalli sui cum eo colloquātur, simul & ciuiliter insinuent, quàm sit iure prohibita, quàm sit exemplo etiam perniciosa vasallorū spoliatio, causa indicta, nullóq; iuris tramite obseruato: in memoriam ei redigentes, mutua reciprocáq; fide ac beneuolentia dñm & vasallum obstringi, quódq; alter sibi nolit fieri, hoc & in alterius personā committendū non esse: cōsimilibus argumētis solerti industria collectis vrgebunt, & velut dicendi ac persuadendi vehementia cogent (saluo tamen semper reuerentiæ decoro) vt vasallum hoc incommodo liberet, eiq; feudi possessionē sine iudiciali cognitione ablatam restituat, aut si iure factum suum tueri se posse confidat, ordine iudiciario causam discuti sinat, & curiam parium, vt feudalia exigunt placita, instrui permittat, hoc est, vt cōmuni eius, vasalliq; electione pares eligantur: quorum se iudicio, & sententiæ, vt tenetur, submittat. vt suprà, ne contro. feu. apud pa. termi. Verùm enimuerò, si dominus hanc monitionē cōtemnat, aut surda etiam aure pertranseat, adeò, vt præfato modo, ter cōmonefactus, nec possessionē restituat: nec pares aliquos hac de re cogn/ituros nominet, sicq; iuri coram illis stare nolit: ad maiorem magistratum ac superiorē, vasallus sic oppressus rectè confugiet: sibiq; ratione qua poterit, prospiciet: At si nec huius autoritatem veritus spoliator, contumacia peruicaciter perdurescat: nec vllam vasallo iustitiam exhibere velit, restat extremum præsidium, scilicet manus armata, vt quod iustitia obtinere nequiuit, id vis armorum extundat. Quare huc, velut ad sacram anchoram, adactus vasallus, se contra dominum expedire, eiúsque possessiones deprædari poterit, vt hac tandem affectus molestia, quod alienum est, dimittat: malo enim nodo malus adhibendus est

cuneus,clauóq; pellendus clauus,vt tam obstinati cerebri,totiésq; frustra cō-moniti,plus quàm indigna cōtumacia,indignis etiam modis retundatur.

1. Primò omnium,hoc tex.perspicuum est, dñm malo ordine feudū ingredi non debere: malo aūt ordine ingreditur,cùm nulla vasalli culpa cōuicta,nec sentētia per curiæ pares pronunciata,hoc occupare præsumit. c.vni. sup.de feu.sine cul.nō amit.vt pulchrè declarat Bal.cōsi.cccxxiij.inci.proponitur, q; dñs de facto spoliauit vasallū. in.ij.parte voluminis mei, vbi etiam inquit,dñm si quam casam aduersus vasallū habeat,eam coram paribus intētare debere,non aūt erecta ceruice,ad spoliationis iniuriam prosilire.l.extat.ff.quod met.caus. Idcirco enim,vt idem elegāter subiungit,iudiciorū vigor,iurísq; publici tutela videtur in medio constituta, ne quisquā sibi ipsi permittere valeat vltionem,iuxta verba l.nullus. C.de iudi.Iudicibus enim hæc res cōmittēda est,qui animo ab affectibus remoto,secundū iuris formā, litem dirimāt,sciturí q; nō magis alios iudicāt,q̄ ipsi iudicabūtur. l.rem nō nouam.C.de iudi. Nec quisquā Princeps particularis tam magnus esse poterit,quin longè adhuc maior feudorū sit cōsuetudo generalis,cuius autoritas illum Principē sic stringit,vt cōtraire non possit. secun.eundem.citat c. inf.de natu.feu. Quapropter,si dñs vasallum malo ordine spoliet,vasallus incōtinenti restitui debet,citat l.inuasor.& plenè notata in l. si quis in tantam.C.vndè vi.& hunc præsentē tex.de mili.vasal.qui cōtu.est.Quo modo aūt hæc restitutio petenda sit, hic declaratur. Nam si dñs extra iudicium, à vasallo spoliato benignè compellatus restitutionē facere neget,coram parium curia,de domino conqueri poterit,quæ dominum impellet,vt vel possessionem restituat,vel nominatis paribus iudicium instrui permittat: sed an coram paribus interdicto, vndè vi. item & constitutione.l. si quis in tantam,aduersus dominum conqueri spoliatus vasallus posſit,non abs re erit dispicere. Quo ad primum: dicit Hostien. post Inuo.in c.cæterùm.in principi. de iudi. quòd si dñs non expectato parium iudicio,vasallum spoliarit, vi armata,coram paribus curiæ interdicto vndè vi,conuenietur, alioqui si vis non fuerit armata,actione in factum.l.§. interdictum hoc quia atrocitatem. ff.de vi & vi arma.atgumento sumpto de liberto ad vasallum: Quanquam enim intetdictum,vndè vi,famosum non sit.l.neq;.ff.vndè vi. tamen aduersus patronū non est reddendum liberto.l.ij. ff.de obseq. à lib.præstan. vbi etiam dicitur,honori parentum & patronorū tributū esse, vt nec actio de dolo, nec iniuriarū in eos detut. Licet enim vetbis edicti non habeantur infames ita condemnati,re tamen ipsa,& opinione hominum, non effugiunt infamiæ notam, datur igitur loco actionis de dolo in factum actio verbis temperanda,vt bonæ fidei mentio fiat. l. non debet. ff.de dolo. Famosam igitur actionem, vel quæ pudorem domini sugillet, liberto aduersus patronum non permittet Prætor. ff. de in ius vocan. l.sed si hac lege §. penult. veruntamen liberi libertíq; non sunt prohibendi, suarum terum defendendarum gratia, de facto parentum patronorúmve queri, veluti si dicant, vi se à possessione ab his expulsos, scilicet, non vt crimen vis eis intendant, sed vt possesſionem recipiant. l. hi tamen omnes. ff. de accusatio. Præfata tamen moderationem,& interpretationem recipiunt,ex d.l.sed si hac lege §. penul.ff.de in ius vocan.vbi inquit: Interdum etiam ex causa famosa permittere debet, pattonum in ius vocari à liberto, si eum grauissima iniuria affecit: vel flagellis fortè cæcidit. Hæc omnia, quæ in liberto obtinere dicta sunt,ad vasallum etiam paritate rationis, deriuanda esse, nonnulli, & quidem hoc seculo tam docto, quod miror, opinantur.

Iactatur

Iactatur passim Bal. in §. vlti. versi. Dubitatur tandem de aliquibus. infra, de prohi. feu. alie. per Frede. vbi visus est dicere, vasallum non posse agere furti contra dominum, actione furti in libello expressa: hoc dictum mordicus tenentes sic interpretantur, vt vasallus non possit agere actione famosa contra dominum, ad cuius cõfirmationem, quæ de libertis statuere iura (vt iam vidisti) contorquent. Verùm comparationem liberti & vasalli adeò perpetuam non esse, vt ne iuri quidem sit consentanea, si lege scripta deficiamus, naturæ ratio luculenter conuincit: Cur enim libertus non magis obstrictus sit patrono, à quo libertatem accepit (quæ res inæstimabilis est. l. libertas. ff. de regu. iu.) quàm domino vasallus, à quo feudum accepit, vt ipse, eiusq; hæredes fideliter seruiant? infra, ti. proxi. in fi. quis, oro. cui vel mica sani sit cerebri, non persentiscat, discrimen constituendum esse inter vasallum, qui feudum consequitur, operosum sane plenumq; periculis beneficium, & aleam plane anticipem tũ capitis, tum fortunarum, vt sup. quib. mod. feu. amit. patet, & inter libertum, qui seruitutis iugo depulso, & seruilibus exemptus ærunnis, gratissimam libertatis lucem est consecutus? Rectius iura ciuilia, parentum & patronorum honorem videntur comparasse. l. ij. ff. de obse. l. non debet. ff. de dolo. cum similibus. Etenim vt vitalem hunc spiritum, fauente Dei numine, à parentibus acceperunt liberi, ita noua libertatis vita, patronorum beneficio, renati sunt liberti. Quare glossemata plæraq; liberto æquiparantia vasallum, ratione & quidem fere naturali destitui videas. & quanquàm ad huius comparationis basim citetur §. prædictis. inf. tit. ij. tamen is hoc non probat, non magis quàm donatario vasallum esse conferendum: sed vt huius comparationis iniquitas omnibus luce clarius innotescat, in medium profero textum feudalem, qui sic habet: (postquam munia fidelis vasalli erga dominum recensuisset) dominus quoque in his omnibus, vicem fideli suo reddere debet, quod si non fecerit, merito censebitur male fidus, sicut ille qui in eorum præuaricatione, vel faciendo, vel consentiendo deprehensus fuerit, perfidus & periurus, quem textum sanctum ius continere, sed dominis terribilem esse, Bal. ibi dixit. Vides iam, quàm concinnè liberto vasallum compares, cui dominus vicem reddere debet, reciprocáq; fide in omnibus est obstrictus? an quid tale tu de liberto scriptum meministi? Ego Vlpianum dixisse scio, liberto semper honesta & sancta persona patroni videri debet. l. liberto. ff. de obseq. atqui dñi personæ, respectu vasalli, longè alia est ratio, vt ex præmissis liquet, & fine huius tex. probatur: nam dominũ vasallus impune deprædari etiam potest. Quare rectissime mihi videtur sensisse And. ab Yser. qui præter possessionis restitutionem etiam interdictorum pœnis, spoliatores feudi dominos vt alios quosuis teneri probat: Quod & ratione fulcitur. Nam quũ placitis feudalibus non sit definitum, an contra dominos interdicta competant: stabimus determinationi iuris communis, secundum Regulam feudalem in c. i. supra, de feudi cognit. & ita etiam ad secundam quæstionem respõsum in promptu est: an scilicet constitutione. l. si quis in tantam. C. Vndè vi. conuenire dominum vasallus possit. Equidem Bal. ait posse, c. i. sup. de inuestitu. in mari. fact. idem Aluarotus & Præpositus, hic in fine. Eóq; magis, quòd & patrem & patronum ea cõstitutione teneri Bal. scribat. in d. l. si quis in tantam. in iiij. quæstione: quia vt ait, in delictis, patria potestas, vel reuerentia patronalis nihil operatur: cuius tamen dicti veritatem, vt fidei articulum non defendo, propter l. hi tamen omnes. ff. de accusa. sed ideò cito, vt nebulas dispergam, quas ob oculos nobis congerunt isti plus

æquo reuerentiales feudalis domini admiratores, apud quos plus valet delinquentis reuerentia, quàm vasalli contra ius fasq; spoliati oppressio. Bal. tamen, Aluaro. & Præpo. vbi suprà, non coram paribus, sed coram ordinario iudice, constitutione d.l. si quis in tantam, agendum esse existimant: vno duce Innocentio, nec eo quidem rectè intellecto. Meus enim Inno. sic habet, circa fi. in c. cæterum. de iudi. Nota quod nunquam vel raro, si agatur condictione ex lege feudorum, imponitur alia pœna, nisi amissionis feudi, vel alia super re feudali: Si autem coram ordinario agatur, & iure communi, pœna legis, siue corporalis, siue alia imponitur. Intentio autem Inno. videtur fuisse, vt coram ordinario sit agendum, si ad legis pœnam agatur, quæ nihil habet commune cum feudo, vt est pœna corporalis, seu consimilis: secus si ad pœnam legis agatur, quæ tamen adaptari potest feudo, vt pœna constitutionis, si quis in tantam, vt scilicet dominus vasallum spolians, feudi proprietate priuetur, vasallo applicanda. Verùm enimveró tamensi coram paribus, ex dicta constitutione vasallus conqueri prohiberetur, quod nusquam probatur, tamen condictione ex lege feudali, siue placiti feudalis conquerens, effectum omnem dictæ constitutionis, si quis in tantam. consequetur, Nam dominus indicta causa, & malo ordine vasallum possessione feudi spolians, ius suum proprietatis amittere debet, vasallo applicandum, non secus atq; vtile suum dominium vasallus, si dominum spoliasset, perdere deberet. Quum enim vasallus iuret domino, in possessionibus eius se non futurum damno. c. i. de for. fideli. ergo reciprocè dominus obligatur in hoc vasallo. d. §. vlti. de for. fideli. dum ait: Dominus quoq; in his omnibus, vicem fideli suo reddere debet. ita hic adstruit Aluaro. Et quæcunque causa vasallum vtili dominio nudat, eadem vicissim directo & proprietate dominum exuit §. domino. infra, si de feu. defun. conten. sit inter domi. & agna. vasal. Merito igitur Bal. consi. xcvij. incip. Proponitur quod domini. in tertia parte voluminis mei. dignitatem vasalli, dominum tueri debere, non maculare, nec conditionem eius deteriorem facere.

2. Porro tamensi prælibatis remediis aduersus dominum experiri potuisset vasallus, tamen in specie huius tex. ad iudicum subsellia itum non fuisse ab vtraq; parte constat. Hærebat enim negocium ob domini contumaciam, nec restitutionem facere, nec se parium iudicio subdere volentis. Pares enim nominare recusabat, qui secundum præscriptam formam, in c. vni. suprà, de contro. apud pares termi. inter eum & vasallum cognoscere debuissent. & sic intelligó hunc tex. quicquid alij hic senserint, quorum dicta, vt penitius intuenti claret, textui quadrare non possunt. Domino igitur sic contumace, & post trinam admonitionem pares non eligente, non iudicium subeunte, non restitutionem faciente: maiorem aliquem magistratum, siue vt textus ait, potestatem supplex conquerendo adire poterit, & sibi remedio opportuno prospicere: sed quæ maior hæc sit potestas, aut qua via sibi apud eam consulere spoliatus possit, nullus hic aperit. Ego nomine huius potestatis eum intelligo, à quo spolians suum obtinet feudum: hic enim per querelam à vasallo sui vasalli aditus, spoliantem autoritate sua coget, vt possessionem vi ademptam restituat: & seuere cōminabitur, præcipietq; ne præter ius fasq; vasallum amplius grauare præsumat: & si hic quoq; iubentis contemnat imperium, feudo etiam rebellis exuetur. secundum ea quæ pulchre notat Bal. in §. publici latrones. infrà, de pace tenen. & eius viola. & Guido Papæ quæstione lxij. vbi inquit, Principem posse aliquem omnino eximere à iurisdictione Baronis, si indignis modis, & atrociter à Barone

tractetur

tractetur. Verùm si & hic superior feudi dñs frigidus planè sit, ac remissus, ita vt non nisi ad Calendas Græcas, subsidium aliquod ab eo sperari posit: aut si clanculum cum spoliatore colludat, aut in regione nimis longinqua, & marinis fluctibus æquoréque vasto disiuncta regione degat, ita vt malo facilè mederi non possit: aut deniq; omnino facultate sit destitutus, vt in ordinē redigere spoliatorē non queat: sicq; miserū vasallum egére & algére sinat. ius publicū inuocabit, & aliquem potestate præditū, cuius iurisdictioni ordinariæ & coertioni spoliator subiacet, adibit: hic enim vtiq; vim eum pati prohibebit. l. vlt. in prin. ff. de eo, quod met. cau. At si huius quoq; subleuamen & præsidium desit, spoliator autē ferocia magis intumescat, cristas erigat, iustitiam nullam vasallo exhibeat, superest vt armentur ensibus iura. Nam vasallus manu militari dñm impunè deprędari poterit: vt hoc tex. quo permittēte, hoc est licitū, igitur pœnam nullam meretur. l. Gracchus. C. de adult. & ita hunc tex. intelligit Bal. & quidā alij, vt refert Præpo. quanquā Alua. alium nobis intellectum hic somniet, & si diis placet, genere Grāmatices inaudito nouam hic verbi deprædare significationē confingat. Ratio autē huius placiti est, vt iuri ac iustitiæ rebellis cōpescatur: sicq; deprædationis incōmodo, & molestia affectus, frenatā discat habere mentis libidinē: rationi iuris parére: quod suum nō est, non appetere, sed restituere inuasum, quod alieni est iuris. Ex quo colligit hic Bal. per statutū siue constitutionē dari posse deprædandi licētiam. Et And. ab Yser. in Cathelania, & Hispania, moris esse refert, vt vasalli arma aduersum dños moueant, si iustitiam aut quod suum est, aliter consequi non posint. Ait quoq; hic Bal. restituta à dño possessione, vasallū restituere nō cogi deprædata, vtpotè legis autoritate accepta. Præterea, si vasallum dñs non spoliet, sed spoliatā ab alio feudi possessionē eius inuadat, hoc à domino possessore, rectè quasi vendicabit, aut agere contra eum remedio. c. sæpe. de resti. spoli. & c. reintegranda. iij. q. i. vasallus poterit, secund. Præposi. Possessoria nanq; hæc remedia magis ei conuenit & expedit intentare, quàm vtili rei vendicatione, propter petitorij sarcinam, experiri. l. rem alienam. & ibi Bar. & alij. ff. de pigno. actio. §. retinendæ. Insti. de interdic. Contra primum autem spoliatorē, interdictum, vndè vi, ad interesse competet. l. i. §. rectissimè. & §. ex interdicto, vndè vi, etiam qui non possidet, restituere cogitur. ff. de vi & vi arma. Postremò, an vasallus, sine venia dominum in ius vocet, iudicia variant. Iason in l. generaliter. ff. de in ius vocan. intrepidè id negat: summa argumentorum eius consistit in æquiparatione liberti, & vasalli, sed quàm ea probabilis sit, paulò antè accepisti. Idem in l. si non sortem §. libertus. ff. de cond. inde. dicit cōmunē opi. DD. esse in contrarium, tamē suam cōtra communē tueri pergit: sed glos. hic in verbo, salua reuerentia, putat huiusmodi ambages iuris ciuilis, in hisce feudorum cōsuetudinibus locum non vendicare. quam glos. sequitur simpliciter Angel. Are. in §. pœnales quoq;, versi. quæro, quid in vasallo. Insti. de actio. & Bal. hic, quia vasallus non comprehenditur edicto Prætoris, igitur istæ prohibitiones pœnales, siue potiùs, vt idem hic in fine dicit, ambages in casibus duntaxat suis obtinebunt: quum longè aliam vasalli, quàm liberti conditionem esse, superiora probent.

Deinde verbum deprædare hic legitur in fine tex. hoc tamen idem quod deprædari significat: tametsi Aluaro. circa verbi eius vim egregiè ineptiat: Nam & in sacris literis prædo verbum reperitur. vt in lib. Iudith, Prædauit quoq; omnes filios Tharsis, id est, deprædatus siue depopulatus est.

FINIS.

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI, AMPLISSIMOQVE HEroi D. Hermanno Archiepiscopo Coloniensi, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellario, & Principi Electori, Vvestphaliæ, Angariæq; Duci, &c.

FRIDERICVS SCHENCK E BARONIBVS A TAVTENBERG, S. P. D.



LEGES OPORTERE PRIMVM ESSE IVSTAS, deindè vtiles, postremò sibiipsis consentaneas, ad Nicoclem, de Imperio scribens testis est Isocrates. Reuerēdiss. Archipræsul, simul & Elector, Princeps amplissime. Iustas quidem, vt cum natura, cum virtute, cum ratione, cum honestate congruant. Vtiles porrò, vt luce quadam, ac necessario duntaxat frugiferoque ducta: superfluis resecatis, eâdem prorsus facie, cunctos respiciant: morum normam, vitæ disciplinā, rei gerendæ regulam omnibus ex æquo præscribant. Consentaneas denique sibiipsis, vt perpetuo velut concentu, in iustitiæ harmoniam coeant: non posteriores priores abrogent, non obscurent, non inuoluant, non implicent, non per dissonātiæ & contrariorum anfractus lectorem circumducant: non denique variatione quapiam, à recti calle, iustique scopo, ciuem bonum in diuerticula, in auia trahant. Hæc profectò, vt præclarè, ac salubriter ex Isocratis dicuntur sententia, ita in hisce feudorum placitis ægrè dinosci posse, nec temerè quidem, nec impudenter se profiteri putant. Equidem primò omnium, quantum ad iustitiam attinet, in propatulo esse dicunt, res plerasque feudorum moribus increbuisse, quæ cum ea, velut ex professo, diametroq; manifestè pugnent. An non id peruium reddat, quòd æqua successionis perrupta lance, mares ad feuda soli, seclusis fœminis, admittantur? quòd pacto, feudum viuentis, improba spe, cuipiam confirmetur: quòd liberi prioris matrimonij, sobolem nonnunquam thori subsequentis, à successione parētum exturbent: quòd ob patris peccatum, feudum sine domini licentia videlicet à se abdicantis, filiorum innocentia graues iacturæ dispendiiq; luat pœnas: quòd delictum aliquod vasalli, innocuorum punitione, vel in quartam vsq; generationem expietur: quòd denique Monomachia omni iure prohibita & explosa, locis hic aliquot permitti videatur? Sed longum sit, hoc pacto cuncta prosequi, quæ primiori facie, nihil plus societatis cum iustitia & æquitate videntur habere, quàm vel cornix cum pauone, vel cum allio punicum malum. Iam verò quid de vtilitate attinet dicere? quum hæc placita pleraq; obsoleta, multa sic inuoluta, sic perplexa legentibus appareant, vt sæpius Delio quopiam natatore magis opus fuerit, quàm interprete: plurima quoq; repetita, & crebrò congeminata, nullo fructu legentis, vno eodemq; volumine consarcinentur: vt interim taceam, quædam ad priuata dominorum ac vasallorū compendia frequentius detorqueri, quàm ad publicam accommodari vtilitatē. Postremò, quàm parum sibiipsis hæc constent dogmata, multis titulis euidens esse cōtendunt: Certè in speciem videri contraria, quæ de causarū feudalium controuersiis, ipsisq; iudicibus, quæ de alienationibus, de successionibus feudi vitio culpâve perditi, de testibus inuestituræ, de iuramenti delatione, de sacramentalium, vt vocant iureiurando, deq; multis aliis sparsim hic tractantur, nullus, vt aiunt, ibit inficias. Hæ ferè sunt

rè sunt causæ, quibus vituperandæ feudalis rei fenestra nonnullis aperta est, vsus hosce tanquã rationis expertes, & ceu cõfusaneum quoddã cahos, rudi massa, barbarè, ineptè, ac insulsè congestum exibilantibus. Quo factum, vt etiam animi candidioris nõ pauci nouissimũ hunc iuris partum, perquàm raro, nisi carptim ac vellicatim in lectionẽ admiserint, præter superiores scrupos, dictionis insuper offensi immunditia, quam seculi infœlicitas castiorẽ esse non permisit. Verumenimuerò, quæcunq; prætẽdi possint criminationes, incõmoda, & perplexitates à tam difficilis quidem, sed vtilis, frequentis, honorificæ, lateq; patẽtis rei inuestigatione, studium meum deterrere non potuerũt: Etenim multos esse qui reprehendant quod ignorant, non iudicio, sed adfectu ducti, iam puer sæpe didiceram: audieramq; frequenter, Ardua quæ pulchra. Et nihil propemodum, vel laude, vel emolumẽto dignum, nisi magno coustitisset labore, parari posse: Sed nec inuicem sic pugnare res plærasque, quin vel distinctionis fœdere, vel exactiore quapiam indagine, conciliari possint, ipso nonnuuquam rerum vsu periculum feceram. Quapropter placitorum feudalium libros, eorumque interpretes, quantumuis barbaros, obstreperos, verbosos, tenebricosos, multis iam annis euoluere, excutere, rimari, librare, perpendere, velutque ad Lidium lapidem explorare, & nonnunquam, si dicere phas sit, aurum ex stercore colligere sedulò perrexi: Nec me longi fregit molestia laboris, quin rerum omnium difficultatibus deuictis, superni ductu numinis, ad metam pergerem animo destinatam. Tametsi priusquàm eò pertingerem, inter opinionum fluctus, nonnunquam & perplexarum spinas quæstionum, penè mei ipsius substiterim oblitus: simul & in densa rerum multarum caligine vacillans, titubansq;, tantùm non animum desponderim, receperimq; rursum, sic apud me inquiens:

At tu contrà audentior ito:

Sæpe etiam mentem illud subiit poetæ.

Qui studet optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitq; puer, sudauit, & alsit.

Sæpe agricolarũ æstus, sæpe pancraticorũ agones, sæpe militantium pulueres, sudatas æstates, & hyemes sub pellibus actas mihi proposui. Quid multis? in suscepta me continui palæstra. Et tandem in omnes feudorũ libros interpretationem quandam, ceu breues cõmentarios, absolui, non ambitiosa vulgataq; iuris ostentatione refertos, sed ea tractantes, quæ nos iure tueri posse confidimus: his textum, cum re ipsa, tum dictionis eius seculi impolitie, Cimmeriis frequenter tenebris coopertum, si non eleganter, certè clarè, limpideque explanamus: suæ rationi, ac iusticiæ reddimus: suæ vtilitati, suo vsui, suo ornamento, suo denique concentui (facessat iactantia) pro nostra virili restituimus: ita vt confixis, magna ex parte, cornicum oculis: profligataque veteri calumnia, nihil ferè iam in re feudali supersit, quin clarò ac probabili intellectu, à mediocriter erudito percipi queat, redactum, quantum fieri potuit, ad iustitiæ limam, & libripendium æquitatis. Qua de causa, quum tu Archiepiscopus, & Imperij Princeps Elector, celeberrimam habeas, amplissimamque Curiam vasallorum, & in iure dicundo, summam operam insumere soleas, hoc vnum curans, vt legum moderatione, tuis in ditionibus cuncta administrentur, operæ precium me facturum existimaui, si fœturam hanc meam, in vltimum feudorum volumen, Tuæ Celsitudini, vt æquitatis omnis legiferæ patrono ac antistiti, dedicarem. Quantus enim iustitiæ zelus, quantus ardor recti, quanta honesti piis tuis præcordiis insideat cupido, inter alia, laudatissimus ille conatus patefecit, quo METROPOLITICA SYNODO

labascentis

labascētis Ecclesiæ rebus, ceu DOMINICI aliquod tabernaculi columē, superiore biennio succurrere studuisti: Doctos vndiq; , & præcipuè diuini, humaniq; iuris peritos in cōsilium vocans, eorū censura rem omnē exequens, eorū quoq; monitis fasces tuæ dignitatis submittēs. Tu enim instar SCIPIONIS, tuos PANAETIOS: instar AVGVSTI, tuos ATHENODOROS: instar ALEXANDRI, tuos VLPIANOS, tuos habes SABINOS, POMPONIOS, ALPHENOS, CALISTRATOS, METIANOS, CELSOS, PROCVLOS, MODESTINOS. Inter quos nō postremas obtinet GROPPERVS ille apud D. GERIONEM COLONIAE SCHOLASTICVS, facundia, eruditione, pietate, prudentia cum paucis conferendus. Hæc tibi ELECTORI IMPERII laus cum summis IMPERATORIBVS est communis, videlicet, AVGVSTO, CLAVDIO, HADRIANO, M. ANTONIO, ALEXANDRO, aliisq; ROMANIS PRINCIPIBVS LAVDATISSIMIS, qui & doctis semper impēdiò fauisse, & viros grauitate, prudentia, vitæq; sanctimonia præcellentes, in cōsilium adhibuisse legūtur: sine quorum, nihil aut ageretur, aut diceretur suffragio: hac nimirū ratione, illi Monarchæ res Imperij non quiete solùm tenuerūt, sed fœlicibus etiam auspiciis propagarūt. Et vulgò notum est, Lacedæmoniorū, Atheniensium, & Romanorū floruisse potentiam, quàm diu apud eos viguit domi, rectum cōsilium, foris, iustum imperium. Postremò, nuncupationis institutæ fiduciam, tua in me auxit etiam beneuolentia: quam de re synodali, non semel ad me scribens, humanissimis literis palàm indicare dignatus es, huic vt aliqua ex parte respōdeam, arrabonis loco, perpetuæ meæ erga Celsitudinē tuam obseruātiæ, feudalis rei vltimū hunc partū eidē dedico cōsecroq;. Quem si læta fronte susceperis, tuiq; nominis autoritate à quorundā Cynicorū latratu vindicaueris, magnum mihi repensum esse beneficium existimabo. Valeat Reuerendissimæ Celsitudinis tuæ dignitas: cui me etiam atq; etiam commendo.

Traiecti ex ædibus nostris. Calend. Augusti. ANNO post salutiferū partū, supra Millesimum, Quingentesimum, XXXVII.

INTERPRETATIO IN LIBRVM TERTIVM CONSVETVDINVM FEVDORVM,

AVTORE D. FRIDERICO SCHENCK.

HIC TERTIVM LIBRVM totius præsentis operis exordiri testatur Aluarotus. Equidē feudales hasce consuetudines, in partes tres diuidendas esse And. ab Yser. Nicola. Neapolit. & Aluaro. sentētia est: Quarū prima, vsq; ad titulum de feudi cognitione. Secūda, vsq; ad præsentē titulū protēditur. Tertia, vsq; ad finē operis ducitur. Quare tametsi recepta exemplaria, hic nullum caput libri præ se ferant: Tamen quum iam noua, & à superiore disiuncta inferatur epistola, cōsequens est, vt iuxta traditiones maiorum, Tertij hic libri exordium cōstituamus: idq; vel ea de causa, ne tam negligētes fuisse digestores voluminis huius videantur, vt nulla æqualitatis seruata ratione, Primū librū paucis absoluerint: Secundū verò sic distēderint, vt duplo triplóve densior cōspiciatur: separatim quippe, & ordine quodā res quasque tractare cōuenit, vt scilicet dilucidius intelligi possint. l. 1. ff. de doli ma. & met. exceptio.

IN QVIBVS CAVSIS FEVDVM AMITTATVR.
Titulus Primus.



BERTVS DE ORTO, ANSELMO FILIO SVO SALVTEM.

COGIS me, & super hoc sæpe scribendo multum vrges, vt causas quibus beneficium amittatur enumeratas, tibi significarem. Quod ideo distuli, quia sæpius circa nostræ Reipublicæ curiam occupatus, & multis priuatorum causis, aliisq; rerum innumerabilium impedimentis detentus, onus illud subire non valebam. At ne videar preces tuas paruipendere, & studium discendi, tibi nunc imminens, negligere: quid mihi super hoc videatur, paucis explicabo: dummodò memineris causas illas sub aliqua certa regula aut definitione rotunda non posse cõprehendi. Nam sicut de probationibus in Digestis scriptum reperimus: sic & de his causis sine calumnia dicere possumus. Si quis enim dixerit, quæ causæ quemadmodum alicui domino ad ingratitudinem alicuius vasalli probandam possunt sufficere, nullo certo modo posse definiri, nihil errauerit. De illa tamen ingratitudine loquor, per quam beneficium amittatur, non enim ad hoc sufficit omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficij videtur ingratus: sed sunt quædam (vt ita dixerim) egregiæ ingratitudinis causæ, quibus beneficium secundum mores curiarum solet adimi. Quomodo enim vasallus, quàm humiliter, quàm deuotè, quàm benignè, quàm fideliter erga dominum suum debeat se habere, potius ex naturalibus & bonis curiarum consuetudinibus potest percipi, quàm lege aut scripto aliquo possit comprehendi.

OBERTVS à filio suo creberrimis literis, & quidem impensè rogatus, vt vir, iuris prudentia singulari, multoq; rerum vsu percelebris, ingratitudinis causas, quibus feudi beneficium amitti cõsueuit, delinearet: scriptoq; libello complecteretur: dilatum eius desyderium, silentiumq; suum, ob frequentes Reipub. curas, atq; causas priuatorum, simul & innumeras aliarum occupationum moles, purgat & excusat. Verùm ne diutius, aut filij preces negligere, aut indefessam eius discendi cupiditatem remorari videatur, rem toties expetitam in præsentiarũ aggreditur: quantum videlicet de ea compertum habeat, paucis in medium allaturus. Primo igitur loco, hoc in propatulo apud omnes esse voluit, certa quadã stataq; regula, causas omnes ingratitudinis, in subiecta specie, circumscribi non posse: Nam sicut testante Calistrato, in l.ij.ff.de testi.nullo certo modo, satis definiri potest, quæ argumenta, ad quem modum, probandæ cuique rei sufficiant: ita in re feudali etiam, quæ argumenta & quemadmodum, ingratitudini cuiq; vasalli probandæ sufficiant, nulla ratione certa posse definiri, rectè quis dixerit. Hoc tamẽ extra controuersiam est, ingratitudinẽ non quamuis, non vulgarẽ, qua fortè quis accepti beneficij immemor arguatur, sed eam hic spectari oportere, quæ feudi priuationem irrogare meritò debeat, talibus scilicet causis prognata, quæ, vt sic dicã, extra gregem, vulgaremq; aleam, vitium istud constituunt, quod, iuxta receptam curiarum consuetudinẽ, exauctoratione, ac beneficij iactura sit expiandum: Quandoquidem ex laudatis curiarũ moribus ipsaq; natura, & ratione duce potius quàm lege aliqua scripta, probi vasalli munus colligere licebit: quo videlicet obsequio, qua deuotione, qua benignitate, qua fide dominum prosequi debeat.

1. Hoc textu euidenter liquet, certam regulam circa ingratitudinis causas, quibus feudum sit reuocandum, tradi non posse: sicuti nec ad amussim diffiniri, quatenus se erga dominum vasallus exhibere debeat: hoc enim potius à curiarum moribus peti quiuerir, simul & ratione naturali, quàm lege aliqua comprehendi: quanquam enim casus quidam ingratitudinis tradantur.inf. titu.proxi.& sup.quib.mod.feud.amit. tamen quia plures insuper aliæ, vel similes, vel maiores, secundum locorum consuetudinem, rectæq; dictamen rationis, esse poterint.§. sed quia natura.inf. titu.proxi. meritò hic dicitur, eas certa regula contineri non valere. Istud tamen memorabile est, quod textus hic dicat, non ob quamlibet, sed præcipuam aliquam, & magnam ingratitudinem, feudi beneficio, quèm priuandum esse: quemadmodum & beneficium ecclesiasticum, quod iustè adeptus quis fuit, non nisi graui culpa, coram Episcopo canonica seueritate, alicui fuerit adimendum. c. inuentum est. xvi. q. vij.

§. In primis te illud scire oportet, beneficij illius, quod est genus, talem esse definitionem: Beneficium nihil aliud est, quàm beneuola actio, tribuens gaudium capientibus, capiensque tribuendo: in id quod facit, prona & sponte sua parata, vt ait Seneca. Huius autem generis species quædam est beneficium illud, quod ex beneuolentia ita datur alicui, vt proprietas quidem rei immobilis beneficiatæ penes dantem remaneat: vsusfructus verò illius rei ita ad accipientem transeat, vt ad eum, hæredesque suos masculos, siue fœminas (si de his nominatim dictum sit) in perpetuum pertineat: ad hoc, vt ille & sui hæredes fideliter domino seruiant: siue seruitium illud nominatim, quale esse debeat, sit expressum, siue indeterminatè sit promissum.

Quasdam ingratitudinis causas, quibus feudi beneficio vasalli cadunt, prosecuturus, primò beneficium, vt genus, deindè feudum, vt beneficij speciem diffinire pergit: & quidem rectè. Nam, vt Cicero ait, omnis quæ à ratione suscipitur de re aliqua institutio, debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit de quo disputetur. Verùm enimuerò quàm difficilis in iure sit diffinitio, vel hoc potissimùm indicat, quòd ne Seruius quidē summus Iureconsultus dolum malum diffinire potuerit, absq; Labeonis & Vlpiani iusta censura.l.1. §. dolum malum. ff.de dolo ma. Apud Dialecticos etiam operosum diffiniendi est negotium. Sed hos scrupulos aliis cōmitto: mihi enim in re feudali, illa satisfecerit diffinitio, quæ genere & differentiis vtcunq; constat, aut certè cōmoda suffecerit descriptio. Nam secundum Bal. in Rubrica. C.qui admit.ad bono.posses.possunt, autore Boetio, Diffinitio essentiam, descriptio intelligentiam rei claudit. Porrò quum præter huius textus diffinitionem, à DD.feudum multifariam diffiniatur, Iason in præludiis feudorum hac in re sequendus videtur, qui ex sententia Ioan. Raynaldi super Rubri.inf.de prohi.feu.alie. per Frideri. in repetitione feudum propriè dictum sic diffinit: Feudum est beneuola, libera, & perpetua, immobilis, vel æquipollentis rei concessio, cùm dominij vtilis translatione, proprietate retenta, sub fidelitate & exhibitione seruitiorum, scilicet honestorum. licet hoc postremum non ponat. Agè, nunc singula diffinitionis verba perstringamus. Primò dicitur, beneuola, quoniam à domini beneuolentia proficiscitur, vt hoc tex. Item libera, quia non incusso metu, non violentia, non coactione, imò ne pecuniæ quidem prætextu, sed amore & honore domini acquirenda.c.v.ni. sup.de feudo da. in vicem. l.commis. & quanquam feudum emptionis titulo acquiri possit, vt dixi ibidem, & per Bal.in

c.i.versicu. Deinde videtur, de benefi.frat.tamen non erit feudum proprie dictum, quum non sit beneuole & libere concessum, secundum veram, propriamque feudalis contractus naturam. Proinde inquit Bal.in l.si quam. versicu.& sic est argumentum. C. de ope. liberto. si quis emerit prædium aliquod à domino in feudum obtinendum; hoc non proprie dici beneficium, quum non sit gratuitum, citat præsentem text. Sed quanquam emptitium sit feudum, tamen quo minus simplicis rectique feudi natura censeatur, nihil vetat, vt suo loco dicemus: Item ideo libera feudi concessio, quia ratione eius, nihil annui census penditur, & hoc modo discriminatur ab emphyteusi: quam sub annua pensione concedi manifestum est. c. constitutus. de religio.domib.cum simili. Quare si diploma inuestituræ cōtineat, rem aliquam in feudum esse concessam, pro annua frumenti quantitate: non id proprie feudum, imo emphyteusim potius, aut innominatum contractum æstimandum esse Bal.asserit.l.liberti, non procul à fi.versi.item nota, quod si instrumentū.C.de ope.liberto. His cōsequens est, vt feuda ab ecclesiis quibusdam concessa, quorū ratione nullum personale seruitium, sed annuum quid, certáve pecuniæ quātitas præstatur, magis ad emphyteutici cōtractus, quàm feudalis naturam accedere censeantur: eaque ratione & mutum, & surdum, & aliàs naturâ imperfectum, & quemuis etiam hæredē ad talium successionē admittendos esse, nisi vel tenor inuestituræ, vel ecclesiæ repugnet cōsuetudo, secundū ea quæ pulchre habet Bal.in §. libellariæ, in fi.inf.de pace Constan. Secūdò dicitur in diffinitione, perpetua, quia sic alicui cōceditur vt ad eum, eiusque hæredes, masculos siue fœminas (si ita inuestitura permittat) in perpetuum pertineat, vt hic. Appellatione aūt legitimi hæredis in materia feudali, filius masculus intelligitur §. sed diuersum, sup. de natu.feu. fœminas quoque regulariter in feudū non succedere dixi. in §. & quia.sup.de his qui feu.da.pos. Item vel ideo perpetua, vt differat à feu. guardiæ, castaldiæ, & consimilibus, quæ vel annalia, vel temporalia sunt: iuxta cōuentionem vtrinque initam: quæ improprie feuda dicuntur. sup.de feudo guard.& castald.& ibi dixi. Tertiò dicitur, rei immobilis vel æquipollentis cōcessio. Nam beneficium non nisi in rebus soli, aut solo cohærētibus, aut in iis, quæ inter immobilia connumerantur, consistere potest §. vlti. & ibi dixi. sup.de feudi cogni. Quartò dicitur, cùm vtilis dominij translatione. Nam re vera vtile feudi dominium in vasallum transfertur: illo namque fretus tanquam dominus, feudum suum à quolibet possidente recte quasi vendicabit §. rei aūt.& ibi dixi.sup.de inuesti.de re alie.fact. Quintò dicitur, proprietate retenta. Nam domino proprietas & directum dominium reseruatur: Quare si vasallus rei feudali seruitutem aliquam imposuerit, hoc domino præiudicium non pariet: etiam feudo post longa tempora ad dominum redeunte. Ratio, quia proprietati dominicæ deperire nihil vasalli facto potuit §. quid ergo, & ibi dixi.sup.de inuesti.de re alie.fac. Sextò dicitur, sub fidelitate. Quoniam nulla feudi inuestitura conceditur ei qui fidelitatem iurare recusat: quum à fidelitate & fide dictum sit feudum, nisi iuramentum fidelitatis pacto remittatur §. vlti. & ibi.dixi.sup.per quos fiat inuesti. Septimò dicitur, exhibitione seruitiorum: nam feudum ad hoc datur, vt vasallus eiusque hæredes fideliter domino seruiant, vt hic. Quare si detur nulla certa cōditione expressa, feudum appellatur simplex, siue rectum, secundum Aluaro.hic, & glos.in §. vlti.inf.de Capi.qui curi.vendi.& seruitium secundum propriam feudi naturam exhibebitur, & secundum ea, quæ complectitur titulus de forma fideli.sup.cum tit.seq. Deficientibus enim pactis specialibus,

cialibus, præsumitur, feudum concessum fuisse, secundum receptam loci consuetudinem: aut ea cessante, secundum regulas communes placitorum feudalium, vt dixi in §. vlti. per illum textum. sup. quid sit inuestitu. quod & Panormitanus per eundem text. asserit, consilio lxxxij. incip. Conditoris. versiculo, ad secundum respondeo. Si verò ad certum detur seruitium præstandum, non feudum rectum, nec simplex, sed conditionatum appellatur, secundum glos. in d. §. vlt. inf. de Capita. qui curi. vendi. veluti si ea conditione & pacto sit concessum, vt vasallus vxorem domini sacram ædem accedentem festiuis diebus, honoris gratia, comitari debeat §. præterea. suprà, quid sit inuesti. & ibi dixi. vel simile quid certi obsequij impendendum fuerit. Nam ad certum ac specificum seruitium, feudum concedi posse, nulla dubitatio est. infrà, de Capi. qui curi. vendi. in fine. Cæterùm si eo pacto concedatur, vt nullum planè seruitium exhibere sit opus, feudum erit improprium, iure tamen feudi, quo ad omnia censebitur, sola seruitij immunitate exempta: secundum Andream ab Ysern. sicque iisdem culpis amittitur, quibus & feudum aliud. argu. c. feudum ea lege. si de feu. defunct. conten. sit inter dom. & agna. vasal. & hoc genus feudi appellatur franchum, quia liberum à seruitiis, sed non impunè maleficiis siue committendo siue omittendo fiant, veluti, si dolo malo insidias domino structas detegere omiserit. secundum Bal. in præludiis feudorum: quare franchum feudum assecutus, ad ea quæ sacramentum fidelitatis continet, obligatur: eo tantùm excepto, quòd nullo seruitiorum onere sit adstrictus. de quo per Oldra. consilio cc. lxxxiiij. Vltimò dixi & addidi in diffinitione, honestorum, quia & honestatis habendam esse rationem feudorum dictant placita. inf. de for. fide. versiculo, honestum. Probroso igitur & inhonesto pacto seruitij feudum concedi non potest: & quid iuris, si turpi interueniente conditione sit obtentũ, dixi in §. præterea si aliquis. sup. quid sit inuesti. Habes itaque iam diffinitionem feudi satis enucleatam: in genere quidem: nam si in specie velis, tot diffinitiones, quot feudorum sunt species, constituas necessum est. Multiplices autem variasque eas esse à Bal. & Aluaro. in præludiis, necnon Præpos. Iaso. aliisque vel ad sacietatem accipies. Denique feudum an contractus nominatus, an verò innominatus sit, Iason in præludiis feudorum discutit, versiculi. Quartò principaliter vltra doctores quæro, & ibi post Barto. Bal. Angel. & Imol. concludit, id esse contractum nominatum, vocabulo proprio, & natura discretum; huius differentiæ vtilitatem venari licebit in saltu. l. vltim. ff. de condi. cau. da. cau. non secu. quam nos repetendo, vt aiunt, disputauimus, dum iuris vtriusque candidatum ageremus, annis iam plus quindecim elapsis.

Quæ fuit prima causa beneficij amittendi.

Titulus II.

PRIMA autem causa beneficij amittendi hæc fuit, & adhuc est in plerisque Curiis: sed in nostra curia Mediolanensi non obtinet: quòd si vasallus per annum & diem, domino suo mortuo, steterit, quòd hæredem domini sui, inuestituram petendo, fidelitatem pollicendo, non adierit, tanquam ingratus existens, beneficium amittit: & è conuerso, si domino superstite, vasallus decesserit, & filius eius per iam dictum tempus neglexerit petere inuestituram, beneficio carebit.

Infra coronam & diei, vasallus ab hærede domini, aut vasalli successor, à domino renouationem inuestituræ non petens, nec fidelitatem promittens, feudi beneficio cadit, sententiæ tamen super hoc intercedente prolatione, vt nota. sup. de feu. sine culpa. non amit. c. i.

1. Quanquam feudum antiquum, sine inuestitura noua, ad proximiores deferatur, vtpote patris, aui, aut maiorum inuestitura in beneficium succedentes. c. si Capitanei. sup. de feu. March. & §. vlt. sup. de feu. cogni. tamen in successoris persona coalescere & constabiliri non potest, nisi infra spacium anni & diei inuestituram, hoc est, inuestituræ veteris renouationem petat, fidelitatemque promittat, vt hic, & inf. de Capi. Corra. in princip. Nam hæc recognitio & petitio, ceu vasalliticæ subiectionis argumentũ, quandam censualis professionis imaginem referre videtur, qua non agnita, tempore legitimo, nempe feudorum vsibus præfixo, consequens est, rem veluti in commissum cadere, sicque feudo successione delato, vel supinum vel cõtumacem vasallum rectè priuari. Hanc consyderationẽ & Bal. habuit in l. i. in iiij. quæstione. ff. de rerũ diuisio. Est prætetea in successore vasalli ratio quædã alia. Nam cùm is recens feudum acquirat, idque sacramẽto fidelitatis non præstito retineri nequeat, quoniam à fidelitate & fide appellatũ est feudũ §. vlti. sup. per quos fi. inuesti. necessariò inuestituræ renouationẽ petere, & fidelitatem polliceri coniunctim debet, quod & Præpos. hic confirmat, licet Aluaro. solum inuestituræ petitionẽ sufficere putarit, sed vtrunque fiet. vt text. hic ait, & inf. de Capit. Corra. in princip. vbi copulatiuè dicitur, fidelitatẽ pollicendo, & inuestituram petendo: Nec polliceri tantùm, sed etiam explicitè fidelitatis sacramentum præstare hunc vasalli successorem oportuerit, tum quia fidelitatem anteà nullam, eius feudi ratione præstitit, tum quia plus timeri solet quod singulariter promittitur, quàm quod generali sponsione concluditur. c. quanquam omnes. xxiij. distinct. Insuper cuilibet successori fidelitatis iuramentum, siue homagium, de iure præstari debere Speculator asserit in §. quoniam, circa finem, versiculo, Forma, ego talis de feudis citat. l. si vsusfructus. la. i. ff. vsufructua. quemad. caue. sed limpidius probatur in c. qualiter. versiculo, recipiendo tam à clericis, quàm à laicis iuramenta, de electio. & c. his quæ. versicu. Cardinali qui nunc est in ipsa Ecclesia, & qui fuerit per tempora, manualem obedientiam, & reuerentiam, & honorificentiam omnem exhibeant, de maio. & obe. Quamuis enim vasallus (de quo in c. veritatis, de Iureiu.) iurans Roma. Pontifici, successoribus eius iurare non cogatur, tamen eum textum sua specie metimur, nec ad aliorum vasallos traducimus, propter expressas in contrarium feudorum consuetudines, etiam si iuratum esset domino, & successoribus eius, licet Iacobus à Belui. hoc casu, contrarium putarit, per d. c. veritatis. sed hoc ibi non probatur, & c. illud claudendum est fine suo, quod & Præpo. hic sensisse videtur, de illius dicti veritate subdubitans. Speculator autem, vbi sup. cuilibet successori, de consuetudine specialiter iurari testatur. Porrò cùm hic tex. dicat, vasallum adire dominum debere, petendo inuestituram, & fidelitatem pollicendo, hoc intellige, siue per seipsum adire, siue per procuratorem velit. Nam inuestitura & per se, & per nuncium dari, & accipi potest §. item inuestitura. inf. de notis feudo. similiter & fidelitatis sacramentum per procuratorem speciali suffultum mandato præstari posse, diximus in §. sed vtrum. sup. per quos fi. inuestitura.

2 A regula huius text. quæ habet, vasallum, qui infra anni & diei spacium inuestituram, hoc est, eius renouationem non petit, nec fidelitatem pollicetur,

licetur, feudo cadere, casus quosdam exceptos in medium proferre, non abs re fuerit. Primò igitur excipitur omnis, qui non dolo malo hæc distulerit, dolus autem abesse videtur, si iusta causa fuerit impeditus, quo minus infra præfinitum tempus, ea subire potuerit. inf. de prohi. feu. alie. per Lothar. Quæ autem hic iustæ dicantur causæ, vide. c. vni. & quæ ibi dixi. sup. quo tempo. mil. inuesti. pete. debe. Iustum enim impedimentum, ac fatalis casus necessitas, nemini obesse debet. l. præses. C. de appella. l. cum à matribus. C. qui pe. tuto. nec contra legem fecisse videtur, quem casus aliquis inopinatus excusat. l. Cæsar. ff. de publica. & de legitimis excusationibus eorum, qui se die vel loco certo non sistunt, elegantissimus est tex. in. l. ij. ff. si quis cautio. Secundo excipitur ille, qui vel dominum feudi, vel eum, cui in feudo successit, probabiliter ignorauit esse mortuum. Quia vt Bal. ait, tempus hoc textu præfixum, demum fluit à die scientiæ: concor. l. quidam decedens. §. fi. ff. de administra. tuto. vbi periculum tutelæ spectat ad tutorem, ex quo ei innotuit se tutorem esse. Innotescere autem qualitercunque sufficit, vt ibi: concor. l. quinquaginta. C. de excusa. tuto. Tertio excipitur vasallus, qui post mortem domini, neminem repperit hæredem, a quo renouationẽ inuestituræ peteret, nam eius temporis inculpatam esse moram constat. l. pecuniæ fœnebris. §. vlti. ff. de vsur. Proinde si domino mortuo de eius hæreditate duo contendant, ita vt non constet, vter domini habendus sit loco, inuestituram petere ab altero contendentium, lite pendente non tenebitur, nisi alter sit in possessione, de quo per Præpo. sup. quo tempo. mil. penul. col. versic. quæro quid si duo. Sed quid iuris, si dominus decessisset hærede nullo superstite, relicta vxore grauida, vterumq; gestante? Præpo. dicit à iudice dandum esse curatorem ventri, ab eoq; renouationem inuestituræ petendam. argu. l. qui in vtero. ff. de statu. homi. & eorum quæ attigit Bal. in. l. vlti. in fin. C. de testa. mili. sed ego partus euentum expectandum dixerim, si enim filiam pareret, ad proximos agnatos feudum illud deuolueretur. §. his vero, sup. de gradi. succe. in feu. igitur ab his inuestituræ renouatio petenda foret. Quarto excipitur is cui domini adeundi nulla, interea temporis, fuit facultas. argu. l. i. §. dies. ff. quando appel. Et quamuis in ea textus specie, iudicis adeundi facultas accipiatur, si in publico sui copiam faciat, nec opus sit iudicis domum accedere, nec hortos, nec villam suburbanam, in qua agit. Tamen in casu præsenti textus, & domi, & vicinis in locis, & aliis eiusdem tamen prouinciæ, dominus accedendus videtur: cæterùm cogi vasallum de prouincia in aliam prouinciam, durum existimo. argu. l. sed & eæ. §. non solum. ff. de procu. quod & Iacob. Ardizo. sensit, & Alua. deinde Præpo. refert, dum aiunt dominum accedendum esse si agat in remotis. Putant quoq; vasallum contestatione publicè proposita sibi prospicere debere, quum domi aut in prouincia, dominum, inuestituræ renouationis obtinendæ gratia, quæsitum non inuenerit. argu. l. ij. C. de iis qui per met. iudi. non appel. Sed ego consuetudine curiarum hæc diiudicanda putarim. Afferuntur circa hæc & alia quædam, verùm eatenus doctoribus fidem habeo, quatenus iure fidem dictis adstruunt. Quinto excipitur miles, huic enim tempus anni & mensis indulgetur. sup. quo tempo. mil. c. vni. cui textui nõ censetur derogatum, nec per hunc præsentem, nec per. l. Friderici. inf. de prohi. feu. aliena. per Fride. §. præterea si quis infeudatus, secundum Bal. in d. c. i. quo tempo. mil. in fi. quod & Aluaro. Præpo. aliiq; sequũtur. Sexto, impubes, nam fidelitatem nec ipse, nec alius pro eo facere cogitur, donec ad pubertatem peruenerit. §. si quis decesserit, inf. si de feu. defun. conten. sit

inter

inter do.& agna.vasal.Post pubertatem vero,hoc est completo decimo quarto ætatis anno, inuestituram infra spacium anni & diei petere cogetur.d.§. præterea si quis,inf.de prohi.feu.alie.per Fride. Septimò,excipitur vasallus,qui iustè ignorauit rem esse feudalem,finge enim filium,aut alium defuncti successorem,multos annos in academia,militia,negociatione,principis aula, aut alioqui apud exteras gentes egisse,& domum reuersum amplã hæreditatem adiisse,cui & feudalia pleraq; bona fuerint permixta, hocq; filio nõ tam cito innotuisse,æquum est vt anni lapsus ei nõ præiudicet,ignoranti enim subuenitur.argu.opti.in §.vasallus feudum.inf.si de feu.defun. conten.sit inter do.& agna.vasal.hæc rationem habent. Nam qui in alterius locum succedunt,iustam habent ignorantiæ causam. l.qui in alterius. ff. de regu,iu.& in alieni facti ignorantia tolerabilis error est, quo ad eum qui iure hæreditario alicui succedit.l.vlti.ff.pro suo: quare dixit Bal.in §. si vasallus.in fi.inf.si de feudo defun.conten.sit inter do.& agna.vasal,hæredem emphyteutæ vendentem ignoranter feudum emphyteuticum, non cadere iure suo. Quapropter domino eum vendicare volenti probatio incumbet, alienationẽ rei emphyteuticæ scienter, & non ignoranter esse factam. hoc memorabile verbũ Bal.etiam Decius refert. in d.l.qui in alterius. Octauo excipitur vasallus,qui feudi possessionem obtinere non potuit, vtpote per alium inuasam & occupatam. Nam is iuramentum nullum præstare nec renouationem inuestituræ petere cogitur,donec feudum ipsum non possideat.ita Bal.post Guil.de. Cu.in l.solennibus.C.de rei vendi.in fi. And. de Yser.Aluaro. Præpo.hic: non enim dolo malo iuramentum videtur distulisse,quem ablatæ possessionis excusat incommodum, itaque feudum non amittet.§.vlti. inf.de prohi.feu.alie.per Lotha. Imo superstitiosam gerit sollicitudinem,ne sibi tempus à iure præfinitum cedat, quàm diu per facti quæstionem cum aduersario possessore contendit.l. quam diu.C.qui admit.

Nono excipitur is,quem dominus requisitus ad renouationem inuestituræ noluit admittere,infra tempus præfinitum,est enim quod sibi,non quod vasallo dominus imputare possit: & quãquam hac specie dñm etiam proprietate priuari glo.putet.sup. per quod fi.inuesti.§. vlt.tamẽ id non credo: quid enim vasallo feudũ obtinenti deperit, etiamsi non iuret: secus si vltra dominus progrederetur,vasallum spoliaret,nomen eius in albo vasallitico dispungeret, eum vasalli loco dimoueret. Alioqui si dominus requisitus, annũ fluere tacitus sinat, nec inuestituræ renouationem cõcedat,potius iuramentũ vasallo remittere voluisse arbitrabor. Decimo excipitur is, quẽ consuetudo loci excusat,vt hic in tex. de Mediolanensibus expræssum est. Si enim specificæ locorum consuetudines circa temporis huius præfinitionem aliter se habeant, eas scriptis his feudorum placitis præponderare manifestum est, secũdum And.ab Yser.& Aluaro.argu.l.venditor §. si constat, ff.commu. prædio. Deniq; vasallus anni & diei pendente tempore,nihilominus domino ad fidelitatis obsequia tenetur: Quare si ei requisitus non seruiret, aut facinus priuatione dignum interea patraret, perinde ac si iam fidelitatem iurasset, feudo exuendus foret, secundum Iacob.à Belui. Alua. Præpo. hic. argu.§. prædictis, & §. sed non est alia,inf.eod.tit.

§. Est & alia ingratitudo notanda,si dominus inuestituram pollicendo, vasalli fidelitatem petierit: & illo non præstante, dominus tribus vicibus, conuenienti tempore interposito, forte septem dierum spatio, ad curiam suam super hoc reclamauerit: & vasallus tribus vicibus citatus à suis paribus, iurare noluerit: si tamẽ beneficium

beneficium tale sit, ut pro eo iusiurandum fidelitatis fieri debeat. Sunt enim quædam feuda ita data, ut pro his fidelitas non sit præstanda.

Si vasallus de feudo nouo verbaliter & abusiuè (sic enim in subiecta materia loquendum est) inuestitus à domino realem inuestituram pollicente, ad præstandum fidelitatis sacramentum inuitetur: & hoc differens, re ad curiam parium à domino relata, vocatione trina legitimè excitus, nec comparere, nec iuramentum subire voluerit, ius feudi, quod per talem inuestituram obtinuerat, contumaciæ vitio, vel vt ingratus amittit, modò fidelitatis sacramentum, eius ratione, præstari debeat. Aliquando enim, nullo prorsus iurisiurandi vinculo, feudum dari constat.

Huius text. facti species sic declaratur: Dominus vasalli operam desyderans, alicui de feudo nouo abusiuam concessit inuestiturã, propriam & realem subsequenter, iuramento fidelitatis præstito, eidem concessurus: At hic vel desidia torpens, vel pœnitentia ductus, nec iuramentũ fidelitatis obfert, nec realem inuestituram efflagitat. Quare dominus, ne ociosum habeat vasallum, eum ad se vocat, & possessionem feudi, simulatq; iurauerit, se ei daturum spondet (debet enim prius iuramentũ fidelitatis præstari, quàm feudi traditio fieri. c. i. sup. quid præcede. debe. & c. si facta. inf. si de feudo defun. conten. sit inter domi. & agna. vasal.) sed non comparet, nec respondet quicquam, quo modo in ordinem redigetur? Profectò, rem ad curiam parium dominus referet, & per eam vasallum citari curabit. Quòd si trina citatione, legitimo spacio, putà septem, vt hic, vel decem. (vt sup. de vasal. qui cõtu. est, c. i.) dierum discriminata, non cõparuerit, nec fidelitatis iuramentũ præstiterit, æquum est, vt ob tam insignem contumaciæ notam, feudi iure cadat per abusiuam inuestituram acquisito. Pari modo, si feudi noui propriam & realem inuestituram, sine præuio fidelitatis sacramento, dominus cuipiam concessisset, eum, iuxta formam huius textus, ad iuramẽti præstationem aduocare posset, & non iurantem etiam feudo priuare, nec tempus anni & diei hic dabitur, sed mox pro domini arbitrio, iuramentum exigetur: ne deterioris sit conditionis, inuestituram realem bona fide cõcedens, quàm si verbalem concessisset: secundum Bal. & Aluarotum.

2. Ex hoc textu collige, Pares curiæ iudices esse competentes inter dominum & vasallum, etiam reali inuestitura nondum concessa. Secundò, Recusanti præstare fidelitatis sacramentum, feudi possessionem, ipsamq; realem inuestituram & propriam concedi non debere. de quo in §. nulla. sup. per quos fi. inuesti. nisi feudum sit tale, cuius ratione fidelitatem nullam esse præstandam conuentũ sit: feudum enim sine fidelitatis iuramento, per pactum constitui potest, d. §. nulla. & inf. qual. domi. proprie. priue. in fi. & inf. de Cap. Corra. in princip. & sup. de contro. feu. apud pa. in fi. sed quanquam ipsa iuramenti præstatio sit remissa, non tamen fidelitatis debitum & obsequium censetur remissum. Fidelitas enim, hoc est, ipsa fidei integritas feudo sic est insita, vt separari ab eo neutiquam possit: Quapropter fidelitate violata, ex his causis quibus & verum feudum, amittetur: secundũ Aluar. argu. c. vni. inf. de feu. non haben. propri. feu. natu. & c. veritatis, extra de iureiuran. Nam quamuis ibi vasallus Roma. Pontificis, non cogatur iurare successori: tamen homagij & fidelitatis puritatem non secus ac si iurasset, omni tempore, absq; tergiuersatione aliqua fideliter obseruabit.

§. Item qui dominum suum, cum quo ad prælium iuerit, in acie periclitantem dimiserit, beneficio indignum se iudicauit.

Vasallus

Vasallus dominum (cum quo ad exercitum profectus fuit) in acie periclitantem deserens, feudi exauthoratione punitur, sententia tamen super re ea prius lata, secundum Aluarotum hic, & glos. in §. callidis. inf. de prohi. feu. aliena. per Fride.

1. Sicuti iure ciuili, qui præpositum suum non protexit, in pari causa factori habendus est: & quemadmodum animaduerti in eos placuit milites, qui præfectum centuriæ circumuentum deseruerunt. l. omne delictum. in §. fi. ff. de re milita. ita & feudorum placitis, in vasallos, qui dominum in acie non protegunt, sed deserunt, animaduerti placuit. vt hoc textu, ex quo tamen Præposi. à contrario sensu, hic colligit. vasallum feudi priuationem effugere, si dominum in acie reliquerit non periclitantem: quum duo hic videantur requiri copulatiuè: & quod in acie reliquerit, & quòd reliquerit periclitantem: sed fallitur bonus pater. Nam textum habemus in contrarium in §. i. sup. quib. mod. feu. amit. vbi si dominum in prælio campestri constitutum vasallus dimiserit, feudo priuatur: non enim à domino se poterit subducere, nisi vel mortuo, vel mortiferè vulnerato: ita, vt de vita eius quasi iam sit conclamatum. Nec refragatur ei præsens textus, nam semper periclitatur, qui in acie ipsa versatur. Porrò, si vasallus iste domini desertor fugam prior in acie faciat spectantibus militibus, propter exemplum, capite etiam puniendus erit, nedum feudo exuendus. d. l. omne delictum §. qui in acie fugam. ff. de re mili. Quin imò, si Imperium exercitúmve populi Ro. deseruerit, lege Iulia maiestatis tenebitur, l. iij §. Eadem lege, ff. ad legem Iul. maiesta. Canon etiam promiscuè, & indistinctè, de bellis publicis fugientes, infamiæ nota perstringit. c. infames. vi. q. i. Verùm enimuerò, si nec resistere vasallus, nec opem in acie domino ferre potuerit, parcendum est ei. d. l. omne delictum §. fi. & inf. eo. titu §. sed non est alia. Idem obtinebit, si (vt dictum est) dominum iam mortuum, aut lætaliter in acie vulneratum (quasi tunc spes nulla salutis reliqua sit) deseruerit. d §. i. sup. quib. mod. feud. amit. Vbi latius huc pertinentia sum prosecutus.

§. Præterea si vasallus præscierit aliquem contra dominum suum assaltum vel mortem, vel captionem, aut patrimonij grandem iacturam facere molientem: debet dominū super hoc quàm citius potest certiorare: vt proindè dominus sciens prudensque periculum valeat declinare. Quòd si non fecerit, doloque, vel negligentia sua, vel fraude celauerit, beneficio se cariturum agnoscat.

Si vasallus aliquem esse resciuerit, qui dominum suum vel assilire, vel occidere, vel captiuum abducere, vel deniq; magna patrimonij iactura adficere conetur, eum super hoc, quàm poterit celerrimè, reddet certiorē, vt prudens ac sciens, euitare, & machinationem omnem effugere possit. Quòd si non faciat: sed aut dolo malo, aut negligentia, aut fraude quapiam celet ac dissimulet, velut ingratitudinis vicio respersus, beneficio carebit.

1. Hic textus secundum ordinem iurisiurandi fidelitatis, accipi debet, vt sup. de noua for. fideli. Ibi enim iurat vasallus, se prò virili restiturum & impediturum, quo minus domino quid aduersi, prauorum molimine contingat. & si impedimentum præstare nequeat, se, quàm citò poterit hoc eidem indicaturum, auxiliumq; suum impensurum. Primò igitur conatus omnes maleuolorum pro viribus subuertet, deindè, si hoc non possit, domino quid rerum geratur, quidve discriminis cōcinnetur, aperiet. Culpæ siquidem obnoxius est, qui cùm resistere potuit, non restitit. l. idem quæritur §. exercitu veniente. ff. loca. & conduc. Et negligere, cùm possis perturbare peruersos, nihil

nihil est aliud quàm fouere. Nec caret scrupulo consensus occulti, qui manifesto facinori desinit obuiare.c.facientes.lxxxvi.distinct.Resistendi autem facultate non data, rem omnem domino, vt hic textus cauet, denunciabit: Quòd si dolo aut negligentia dissimulet,ac prætermittat, feudi merito priuatione punitur. cùm & iure ciuili grauiter puniatur, nempe crimine legis Iuliæ maiestatis, cuius dolo malo sit factum,quo minus hostes in potestatem populi Romani veniant. l.iiij.ff.ad l.Iul.maiesta.& in insulam relegandus sit is, qui hostem occultari sciens diu dissimulauerit. l.Metrodorum.ff. de pœn. Veruntamen, si ne denunciare quidem vasallus potuit, culpa non tenebitur. d.l.item quæritur §.exercitu. ff. loca. secundum glos. & Aluarot. Porrò quæ in hac textus specie,patrimonij grandis iactura censeatur, iudex pro modo cuiusque facultatum constituet,secundum Aluarotum.

§. *Rursus si domini vel dominæ filiæ, vel nurui, aut sorori in domo adhuc manenti, quæ in capillo dicitur, sese immiscuerit: feudo, quo se monstrauit indignum, carere debet.*

Cum domini vxore,filia,nuru,aut sorore nondum extra domum nuptui elocata, sed virgine adhuc, & capillitio (iuxta morem gentis, velut castimoniæ puellaris insigni) redimita, vasallus congrediens stuprúmque patrans feudi beneficio se reddit indignum.

Hunc §. post Iacobum Ardizo. Aluarot. & Præposi. obtinere intelligunt,nisi dominus huiusmodi permittat, aut ad ea conniueat, fortè doctus & ad calicem vigilanti stertere naso: quasi nulla sit iniuria, quæ in volentem fit. l.i. §. vsque adeo. ff. de iniur. Sed fucum tam ignauum, turpémque lenonem, vnà cum suibus, in volutabrum aliquod cœnosum non indecenter ablegaris. Circa materiam huius §. vide quæ dixi. in §. item si fidelis. sup. quib. mod. feud. amit.

§. *Porrò si dominum assalierit, vel vicum, in quo est, per vim aggressus fuerit: vel impias manus in personam domini vbicunque ingesserit: vel alias graues vel inhonestas iniurias intulerit: vel morti eius veneno, vel gladio, vel aliter insidiatus fuerit: beneficium amittit.*

Enumerantur quinque casus, quibus in dominum impius vasallus feudi beneficium amittit. Primus, si dominum assiliat,vel in eum irruat. Secundus, si vicum,aut locum,in quo dominus est,hostiliter,& per vim aggrediatur: de his duobus modis vide in §. similiter.sup.quib.mod.feu.amit.Tertius, si impias & violentas manus in dominũ iniiciat,hæc enim atrox est iniuria: quare feudi priuatione digna. Sic & filius parentibus manus iniiciens fit exhæres.in Authentico.vt cùm de appel.cognosca.§. causas autem iustas. Sic in donatorem manus inferens,recadit donata.l.vlti.C.de reuocan.dona. verùm si manus non iniectæ in dominum,sed aduersus eum leuatæ fuerint quasi vapulaturum, huius §. pœnæ locum non esse putat Aluarotus, tum quòd feudũ nisi ex magna & egregia ingratitudinis causa,non amittatur, vt sup. Quæ fuit pri.cau.benefi.amit.c.i. & inf.eo.tit.§. illud enim. tum quòd sic minatus,se continuerit,nec ad offensionem processerit: sicque feudum non amittat §. si voluerit. inf. de capit. qui curi.vendi. Quod ita demùm recipi potest, nisi frequentatis vicibus, & sæpe, dominum quasi vapulaturum sic terreat. argu.opti.in l.item apud Labeonem §. si quis pulsatus. ff.de iniur. Non enim impunè, quem reuereri oportuit, crebrò leuatis manibus territare permittetur. Cæterùm si legitima ratione, iustáque causa, in do-

P minum

minum manus iniiciat, hoc ei fraudi aut præiudicio non erit: veluti si ob tutelam corporis sui id faciat, vim atq; iniuriam propulsando. l. vt vim. ff. de iusti. & iu. nam is qui aggressorē, vel quemcunq; alium, in dubio vitæ discrimine cōstiturus occiderit, nullam, ob id factum, calumniam metuere debet. l. ij. C. ad l. Cornel. de sica. etenim defensor propriæ salutis in nullo peccasse videtur. l. iij. ibidem. Par ius obtinet, si ob tutelam pudicitiæ suæ, vel suorum, id fiat: cùm eum, qui stuprum sibi vel suis per vim inferentē occidit, dimittendum rescripserit Imperator. l. i §. penulti. ff. ad l. Cor. de sica. nam viris bonis iste metus maior quàm mortis esse debet. l. isti quidem §. quòd si dederit. ff. de eo quòd met. caus. Item nullam irregularitatis Canonicæ maculam contrahit, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat inuasorem. clemen. vnica. de homici. Quartus casus est, qui latius patet. scilicet, si graues & inhonestas iniurias domino irrogârit. Eo modo, filius quoq; in patrem delinquens, sucessionis cōmodo priuatur. d. §. causas. In Authentico, vt cùm de appel. cognos. & donatarius re donata. l. fi. C. de reno. dona. Quintus, si veneno aut gladio domini vitæ nefarius vasallus insidietur. Grauius autem & plus est, hominē extinguere veneno, quàm occidere gladio. l. i. C. de malefi. & mathe. Cur igitur non exquisito pœnarum supplicio, scelus tam enorme punitur? cur non acerrimis quæstionibus, imò & commodis delatori vel ex publico constitutis, eruitur? cur non prorsus damnato veneni mali cōmercio, à Repub. eiicitur & profligatur? Quid impunè venerarij virus diuendunt? Quid pigmentarij cicutā, salamandram, aconitū, pityocampas, buprestim, mandragoram, aut vlceramenti causa sine supplicio impunè vendunt cantharides? Quid arsenicum, quid Mercurium, vt vocant, sublimatum circulator in foro circumfert? si mures abigere velis, adsunt feles, & domestica ad manum sunt tendicula: Sed (heu scelus, proh pudor) Christi sanguine redempti homines appetuntur, ô facinus, nullis vnquam flammis satis expiandum. Expergiscimini igitur per Deum immortalem, expergiscimini Reipub. moderatores, nocendi occasionem edictis frenate, nocendi libidinē exemplis domate, nocendi pestem dignis suppliciis condemnate: & sic vestræ cōmuniq; saluti consulite, ne sanguis innocentum è manibus vestris aliquando requiratur. Siquidem nos omnes sisti oportet ad tribunal æterni iudicis, de factis omnibus rationem reddituros. An non maleficiorum quorundam exacerbanda sunt supplicia, quoties nimis multis grassantibus, opus est exemplo? l. aut facta, in fi. ff. de pœn. Idq; vt vnius pœna metus esse possit multorum. l. i. C. ad l. Iul. repe. simul & mali coerceantur, & boni quietè inter malos viuant. c. non frustra. xxiij. quæst. v. Cùm hoc solùm bene agatur, vt vita hominum corrigatur. c. prodest. ibidem. tutáque inter improbos innocentia consistat. Porrò, qui hac nefaria peste grassatur, pœna legis Corneliæ de sicariis tenetur. l. i. & l. iij. ff. ad l. Cornel. de sica. quique gladio humanæ vitæ insidiatur, etiam homicidio non secuto, pœnæ legali subiicitur: multo magis feudo priuatur, vt hic. nam qui cum telo ambulauerit hominis necandi causa, sicut is qui hominem occiderit, vel cuius dolo malo factum erit commissum, legis Corneliæ de sicariis pœna coercetur. l. is qui cum telo. C. ad l. Cornel. de sica. Legis autem Corneliæ de sicariis & veneficiis, pœna est, vltimum supplicium, in humilioribus: In loco autem honestiore positis, deportatio. l. eiusdem §. legis. & l. pe. ff. ad legem Corneli. de sica. & quamuis nonnulli iactitare videantur d. legem, is qui cum telo, consuetudine esse abrogatam: tamen lex est sanctissima & omni obseruatione constitutio dignissi-

dignissima: Contraria autem consuetudo, est corruptela perditissima, fomes peccati, nutrix violentiæ: charitatis Christianæ pernicies visceralis. Igitur quantocunque temporis lapsu defendi non poterit, per rationem c. ij. Consuetud. lib. vi. & in Authentico vt nul. iudi. lice. habe. loci seruato §. I. colla. ix. vbi dicitur, malè adinuenta, malæque consuetudines, omnino, neque ex longo tempore, neque ex longa consuetudine confirmantur. Quapropter rectè Diuus Adrianus in hæc verba rescripsit, In maleficiis voluntas spectatur, non exitus. l. Diuus. ff. ad legem Cornel. de sicca. Rectè etiam Roma. Pontifex & concilium generale, omnes qui hominem Christianum per siccarios occidi mandant, quanquã mors nõn subsequatur, ordine, & dignitate, & honore, ipso facto exutos, cum bonis omnibus, à toto Christiano populo diffidatos esse decernũt: adeò vt diffidationis, aut depositionis nulla contra eos sententia requiratur, postquam de hoc scelere perpetrato, probabilibus constiterit argumentis. c. I. de homici. lib. vi. Rectè denique lex ciuilis igni cremandos tradit, non seruos tantùm, sed & liberos plebeos, qui saluti dominorum suorum insidiauerint. l. capitalium §. igni cremantur. ff. de pœnis. Quæ omnia, sanctè, iustè, salubritérque sunt constituta, vt metus pœnæ, meta nocendi existat.

§. *Illud tamẽ non lateat, quod si quis suo domino iustitiam facere noluerit, feudum quod tenebat, perdet: sicut in alio libello tibi scripsisse hoc credo.*

Vasallus domino ius dicere, & iustitiam administrare negligens, vel recusans, feudum ingratus amittit.

1. Huius textus exemplum petere licebit ex §. insuper. inf. de prohi. feudi aliena. per Frideric. vbi sic habet textus. Insuper si filius vasalli, dominũ offenderit, pater à domino requisitus, deducat filium ad satisfaciendum domino, vel à se filium separet: Alioqui feudo priuetur. Si autem pater vult eum deducere, vt satisfaciat, & filius contemnit, patre mortuo, in feudum non succedit, nisi prius satisfecerit domino: pariq; modo vasallus pro omnibus suis domesticis satisfaciat, hæc ibi. Verùm non vno hoc exemplo circumscribi debet præsens textus, sed generaliter, in vasallo iudice, non administrante iustitiam domino, accipiendus erit. Finge enim quem esse vasallum, qui tamen ratione dignitatis sibi commissæ, aut iure hæreditario, ac more maiorum tribunali præsit, territorium ac iurisdictionem in subditos habeat, & hunc à feudi domino, propter causam, cuius ad eum cognitio spectat adiri, & ab eo requisitum, iustitiam administrare nolle, certè feudi beneficio ob tam insignem ingratitudinem se reddit indignum: nec distinguo, feudalis ne, an ciuilis, an criminalis actio sit instituta, quia hic text. indefinitè & generaliter disponit, ergo etiam indefinitè & generaliter intelligendus. c. quia circa. de priuile. l. I. §. generaliter. ff. de lega. præstan. quod & Andre. ab Ysern. probat. quicquid gloss. Aluarot. & Præposit. hic dicant. Est enim crimen denegatæ iustitiæ, tum atrox, tum odiosum: Adeò, vt ea de causa, repræsaliæ, vt vulgus ait, & pignorationes etiam concedi possint, vt no. Bal. in c. vni. sup. de milite vasal. qui contu. est, super verbo, hic non respondet, vbi post. Andre. de Ysernia dicit, repræsalias concedi posse, non solùm propter iustitiam expressè denegatam, sed etiam propter iustitiæ non exhibitæ moram, de qua tamen legitimè constare debet. Quanquam enim pignorationes, quas vulgus repræsalias nominat, quibus alius pro alio exigitur & grauatur, legibus prohibeantur in Authen. ne fiant pigno. col. v. & Canonibus explodantur. c. vni. de iniuriis & dam. da. libro sexto, vtpote naturali repugnãtes æquitati, qua dictante, nemo alterius odio prægrauari; nec

cum alterius iactura locupletari debet. c.non debet aliquis, de regu.iu.lib.vi. l.nam hoc natura. ff.de con.inde. Tamē, vt dictum est, propter administrationem iustitiæ denegatam concedi poterint: hac enim specie, & iusta solent bella indici, quæ vlciscuntur iniurias. sic gens & ciuitas peti solet, quæ vel vindicare neglexerit, quod à suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. c.dominus noster.xxiij.q.ij. quod c.non censetur esse correctum, secundum glos.super verbo concedi, in d.c.vni.de iniur. lib.vi. & ibi Archidia.qui etiam ait, hac specie pignorationem esse licitam, proprij iudicis autoritate, quando scilicet vrbs quæpiam, aut dominus requisitus, de violentia per suos subditos perpetrata, vel iniuriis illatis, iustitiam non administrat. Alij tamen omissis his pignorationibus, eorum superiorē, contra quos agitur, accedendum esse putant, ad obtinendum iustitiæ complementum. quoties enim iudex iustitiæ munus alicui non impartitur, res ad superiorem referri præcipitur, in Authētico, vt diffe.iudi §. 1.col.ix. quod & mihi probabilius videtur, nisi vel desit, vel palàm constet, frugiferum non futurum remedium superioris, vtputà, quia res agitur contra tyrannum, populum, aut ciuitatē quæ temeritatis erecta ceruice, & perruptis obedientiæ repagulis, imperium superioris excussit, leges temerauit, parēdi necessitatē in peccandi libertatem cōmutauit. Nam si monstra huiusmodi legitimè requisita, iustitiam exhibere, aut malignè tergiuersentur, aut apertè recusent, optimo tum iure, tum ratione, ad retundēdos rebelles, repræsaliæ & pignorationes concedentur. d. c. dominus noster, modò tamen sententia præuia, super requisitorum rebellium contumacia, negligentia, iustitiæque defectu declaratoria proferatur. His sunt consentanea quæ habet Io.And. in c. non debet aliquis, de regul. iur. lib.vi. & Bald. in Authentica, sed omnino. C. ne vxor pro marito. Ego tamen proprij iudicis autoritatem, ad hasce pignorationes concedendas sufficere non existimo, quum per eas arma moueantur, & ad bella res procedant, sicque Principis consultatione sit opus, vt in l. vni. C. vt armor.vsus inscio Princi. interdict. sit, per quam legem, opinor nulli in Imperio repræsalias & pignorationes licitas esse, nisi Imperatore permittente. Si itaque tam indignum est facinus, administrationis iustitiæ neglectus, cur mirum sit præsentis §. textum generaliter intelligi, vt scilicet vasallus quomodocunque iustitiam domino exhibere denegans, feudo priuetur, velut aperto ingratitudinis vitio notatus?

§. *Sed nec alia iustior causa beneficij auferēdi, quàm si id propter quod beneficium datū fuerit, hoc seruitium facere recusauerit: quia beneficium amittit. Aliud est, si fortè ideo non seruierit, quia nō potuerit. tunc enim feudum non amittit.*

Iustissima feudi perdendi est ratio, si ea propter quæ datum fuit, seruitia non præstentur, nisi causa quapiam legitima, quo minus illa præstare vasallus potuerit, excusetur, hac enim specie feudum retinebit.

1. Quandoquidem nihil tam congruum est fidei humanæ, quàm ea, quæ placuerunt inter partes, seruare. l.i.ff.de pact. contrà verò, graue est, fidem fallere. l.i.ff.de consti.pecu. consentaneum erit, vt sicut à donationis acceptore conuentiones quas spopondit non implente, res donata repetitur. l. vlti. C. de reuocan.dona. ita & feudum à vasallo pacta seruitia non præstante reuocetur, vt hoc text. ad certum quippe seruitium feuda cōferri posse diximus in §. in primis, sup. in quib.cau.feud.amit. Illud iuris est explorati, ad exhibenda feudi obsequia, vasallum à domino requirendum esse, nec vltrò seruitium ei obferre teneri §. licet vasallus. inf. si de feu.defunc.conten. sit inter

domi.

domi.& agna.vasal. Vocari enim debet §. firmiter. inf.de prohi. feudi alie. per Fride.& denũciandum ei fuerit.inf.an ille qui interfe.fra.domi.in fi. Igitur quantocunq; tempore vasallus se domi contineat, & nullum seruitium exhibeat domino, modò petenti seruire paratus sit, feudum non amittit.d. §. licet vasallus: quod tamen non obtinet, si magnũ ei periculum imminere sciat, veluti obsidione presso, aut aliàs in vitæ discrimine cõstituto, tũ enim vltrò suppetias auxiliumq; dño ferre debet.inf.hic finitur lex §. ad hoc quãtocunq;, & d §. licet vasallus. Item non obtinet, si statis diebus, certoq; anni tẽpore, seruitia debeantur, secundũ And.ab Yser.& Aluaro.quum hoc casu, ea quæ promisit, ipse in memoria sua seruare, nõ ab aliis sibi manifestari debeat poscere, vt inquit Iustinianus, in l.magnam, in fi.C.de cõtrahen.& commit.stipu. Vasallus aũt vel per se ipsum, vel per vicarium domino acceptabilem, feudi muniis respõdere poterit, etiam ad expeditionẽ publicam vocatus §. firmiter.inf.de prohi.feu.alie.per Fride. Acceptabilis aũt domino esse debet, si æquè cõmodus & idoneus substituatur, vt ibi nota. arg.opti. in l.si quis domum.ff.loca.secundum Aluaro.in §. si quis decesserit, versicu. Oppono ab extra.inf.si de feudo defun.cõt.sit inter do. & agn.vasal. Quinimò etsi inuestitura cautum sit, vasallum ipsum in persona propria, seruire debere, tamen si casu quòpiam accidentaneo, ad feudi functionẽ inhabilis reddatur, adhuc ei per substitutũ seruiendi licentiam cõpetere Aluaro. ibi putat, quod etiam dicit sensisse And.ab Yser.argu.l.quisquis censibus, & l.ad similitudinem. C.de sacro.eccle. sed ego, domino inuito, hoc fieri non posse reor, eius enim voluntas, hac in re sequenda fuerit. argu. l. si ita fuerit seruis duobus.ff.de manu.testa.quæ ex verborum inuestituræ conceptione luculenter deprehenditur : igitur seruanda specifice. l.vnica §. ne autem, versic. si verò talis. C.de cadu.tollen.quum alioqui contractus etiam ex conuentione legem accipere nullus ignoret. l. i §. si conueniat. ff. deposi.

2. Porrò cùm textus hic dicat, vasallum feudo non priuari, si ideo non seruierit, quia non potuerit, intellige si nec per se, nec per vicarium potuerit, per ea quæ superius dicta sunt, & §. similiter. inf. de prohi. feu.ali. per Fride. At si culpa sua comparare subitutum nequeat, veluti si homo tam sordidus, auarus, aut intractabilis sit, vt ei impedito operam suam nemo velit obstringere, non excusabitur : hac enim specie, damnum quod sua culpa sentit, sibi, & non aliis imputare debet. c.damnum, de regul.iur.lib.vi. Quapropter si cùm possit, nec opera sua, nec aliena, feudi munus, ob quod datũ est, vasallus obeat, hoc ab eo reuocare dominus poterit, vel directa rei vendicatione, vel, quod verius puto, condictione causa data, causa non secuta, secundum Andream ab Yser.argu. l.qui se debere §. vlti. ff. de condic. caus. da.cau.non secu. & est textus expressus in c.i. sup.de feu.sine cul.non amit. feuda siquidem obsequiorum & seruitiorum nomine dari constat. suprà titu. proxi. in fine.

§. *Item si delator domini sui extiterit: & per suam delationem graue dispendium eum sustinere fecerit: vel si cognouerit dominum inclusum, & eum, cùm potuerit, non liberauit: feudum perdit.*

Dominum suum vasallus sic deferens, vt grauem aliquam iacturam eius delationis causa sustineat, aut dominum inclusum, cùm potuerit, non liberans, feudo priuatur.

1. Verba textus huius traducta sunt ex §. causas autem in Authentico. vt cum de appel. cognos. col. viij. vbi si delator contra parentes filius

extiterit, & per suam delationē grauia eis dispēdia sustinere fecerit, eorū successione priuatur. Est enim delationis crimē in personis familiaribus valdè odiosum, adeò vt & seruus dñi delator, in exemplū omnium proditorū, seuerissimæ sentētiæ subiugetur, etiam si obiecta probauerit, excepto crimine maiestatis.l.vlt.C.de delato.lib.x. Quod in delatore hic tex. statuit, multò magis in accusatore criminalis causæ accipiendū erit, vt in d.§. qui cùm maior.ff.de bon.liberto. vbi patronus libertū accusans, eius hæreditate se reddit indignū, si videlicet tali eum iudicio appetat, cuius pœna aut supplicium habuit, aut exilium quod sit vice deportationis, vbi ciuitas amittitur.§. Is demùm ibidē, quod tēpera, nisi dñm propter crimen aduersus Principē, vel Rempub. perpetratū accusare vasallus instituat, vt in d.§. causas: Item nisi vel suam, vel suorū iniuriam prosequatur. d. l. qui cùm maior .§. si patris mortē.ff.de bon.liber. Item nisi à dño impetitus, in eum crimina retorqueat. Ignoscendū est enim ei, si voluit se vlcisci prouocatus. d.l. qui cùm maior. §. si libertus. Porrò tametsi Aluaro.& aliŋ post glos.putent hunc textū obtinere in delatore duntaxat calumniante, non aūt in eo qui crimina intentata probauit. Tamen hoc à sensu textus est alienissimum, si enim delator crimen non probaret, dominus in nullum graue dispēdium, sed vasallus ipse, nempe in pœnas calumniatoris, incideret. At si vasallus delationē probaret, tum demùm pœna & dispendium irrogaretur dño, quod hic fieri prohibetur. Ratio aūt huius text. consistit in reuerētia domini conseruanda, quam delator omnis violare & temerare censetur, vt facilè colligitur ex tex. Authentici. vndè præsens .§. emanauit. Indignū quippe est facinus, eum, quem peculiari adfectu & amare & revereri cōuenit, accusare & deferre. d.l.vlt. C. de delato.lib.x. nisi in casibus exceptis vt dictum est, quod & Dyn.sensit in d.l.qui cùm maior, in fi. Quemadmodum igitur deferens & accusans dominum, feudo priuatur, ita quoq; si vel accusatorem subornet, vel accusatoris intentionem suo testimonio confirmet, vel accusatori assistat, vel deniq; fideiussor pro eo existat.l.post legatum.§. his verò.ff.de iis quib.vt indign. & d.l.qui cùm maior.§. si tamen.versi.sed si non accusauerit. Idem fuerit, si aduocationē accusatori præstet, quanquam enim aduocatus non accusat. d.l. qui cùm maior .§. si patroni filius, tamen indecorum est vasalli studiis oppugnari dominum, cui iurat se non futurum damno de sua iustitia, vel de aliis causis, quæ ad honestatem eius pertinere videantur. sup.de forma. fide. c.vni.versiculo, honestum: nā & clericus contra ecclesiam, à quo beneficium obtinet pro extraneis, aduocatus, vel procurator existens, tanquam ingratus ecclesiastico beneficio priuatur. c.vlti. de postulan. Vasallum tamen aduocatum fisci, qui intentionē delatoris exequitur, in omnibus, officiŋ necessitas satis excusat.l.post legatū.§.aduocatū fisci. ff.de iis quib.vt indign. Pari modo, si vasallus iudex aduersus dominum pronunciet, & appellatione intercedente, sententia retractetur, feudi beneficio se reddit indignum. d. l.post legatum.§. quidam & præsiden. quod intellige, si causa grauis sit dispendiŋ, vt hic in textu. & appareat vasallum, vel dolo malo, vel crassa ignorantia pronunciasse, nec in consilium, quum potuerit, peritiores, & doctiores adhibuisse. Deniq; si minor vigintiquinq; annis, dominum vel deferat, vel accusat, feudo priuandus esse non videtur, secundum Aluaro.& alios hic argu.d.l.qui cùm maior.ŋ.respon.quasi ætati sit ignoscendū. arg.d.l.post legatum.§. ætati. Sed hoc mihi non fit verisimile: si enim maior quatuordecim annis vasallus, ob præsumptum domini contemptum, quia scilicet infra annum & diem inuestituram ab eo non petit, feudo priuetur.§. præterea

si quis.

si quis,inf.deprohi.feu.alie.per Fride. quanto magis ob domini contemptũ tam manifestum,vt etiam ad eius accusationem prosiliatur.

2. Vasallus dominum vi inclusum esse cognoscens,& eum, quum potuerit non liberans, feudum amittit,vt hic. Et intellige tex. de potẽtia tam facti,quàm iuris.Id enim posse dicimur,quod iuste possumus.Inclusus autem vincto comparatur: quia nihil interest,parietibus,an compedibus quis teneatur. l.succurritur,in fi.ff.ex quib.cau. maio. Verùm an dominum, ob æs alienum inclusum,pecuniis impendiisve suis liberare debeat,feudali placito nusquam expresse diffinitum est.Sed tex. Authenticæ & Nouellæ cõstitutionis,vndè verba præsentis §. sunt deprompta,satis innuit fideiussione succurrendum esse. Tex. enim in authentico. vt cum de appel.cognos.§. Iustas autem causas.col.viij. sic habet inter cætera. Si quemlibet de prædictis parentibus inclusum esse contigerit, & liberi qui possunt ab intestato ad eius successionem venire,petiti ab eo,vel vnus ex his,in sua eum noluerit fideiussione suscipere, vel pro persona, vel pro debito, in quantum esse qui petitur,probatur idoneus.&c. Quare tametsi filius secundum iura Pandectarum,ratione naturali,parentem alere quidem teneatur,non etiam æs alienum eius exuoluere.l.si quis à liberis.§. parens.ff.de libe.agnoscẽ.tamen ratione inclusionis,quæ & molesta,& ignominiosa est, Nouella constitutio, fideiussione pro parentibus inclusis,filios onerare conspicitur. Idem in vasallis obtinere, probabiliter quis dixerit: vt scilicet fideiussione interposita,dominum inclusum liberare,& redimere teneantur. secun. hunc tex. qui generaliter disponit: maximè si feuda sint opulenta. Cur enim vasallus fideiubendo eum iuuare recuset, quem cum vitæ necisq; discrimine,vel in acie ipsa,inter confertissimos hostes protegere,& ad extremum vsq; defendere tenetur.§.i.sup.quib.mo.feu.amit.& §. Item qui dominũ:sup.hoc præsenti titulo. Nec fideiussionis onus vsq; adeo graue censebitur: quum prius domini præsentis discutienda & inquirenda sit substantia,quàm vasallus fideiussor conueniri queat, in omnem euentum contra domini facultates regressum habiturus. Authentica præsente. C.de fideiusso.& mandato.

§. *Prædictis modis beneficium debere amitti, tam naturalis quàm ciuilis ratio suadet: quæ potest colligi, si quis nouam constitutionem iustas exhæredationis causas enumerantem, & alias constitutiones veteres iustas ingratitudinis, & repudij causas quibus matrimonia rectè contracta soluuntur, & donationes iure perfectæ reuocantur, subtiliter scrutatus fuerit. Sed quia natura nouas deproperat edere formas, potest multis modis contingere, vt aliæ emergant causæ, quibus videatur iustè adimi posse feudũ, ideoq; iudex solers & discretus & æquitati obsecundare solicitus cuncta subtiliter dispensans prouideat, si qua fuerit antiquioribus causis similis seu maior: vt proinde sciat, vtrum beneficium sit amittendum, an nihilominus retinendum.*

Ob causas iam enumeratas,feudum adimi vasallo posse, tum ciuili, tum naturali congruit rationi:vt facile peruium erit,diligentius constitutiones excutienti,quibus & filij exhæredantur,& matrimonia dissoluuntur,& donationes reuocantur,vt habes in Authentico,vt cum de appel.cognos.§. causas autem iustas.col.viij.& in l.consensu.cum l. sequẽ. C.de repud.& l.vlti. C. de reuo. dona.verùm quum nouas rerum formas quotidie natura producat: & infœlicitate nescio qua generis humani, seculum semper in peius vergat, euenire facile potest, vt nouæ ingratitudinis causæ feudi priuatiõe dignæ succrescant.Proinde iudex æquitatem ante oculos habens, ius fasq;

ſpectans:& in dictamen rectæ rationis ceu ſcopum quendam collimās: ſollicita mētis indagine, ſimul & acri iudicio, velut iuſtæ conſiderationis æquilibrio, cauſæ recens obortæ naturam trutinabit, perpendetq́, an vel ſimilis, vel maior ſit cauſis antiquitus feudorum placito comprehenſis: vt porro ſicut rationi congruit, circa feudum vel retinendum, vel amittendum, legitimam iuſtamque ferre ſententiam poſſit.

1. Hoc tex. perſpicuum eſt, ob maiores, aut ſimiles expreſſis ingratitudinis cauſas, quem feudo priuari poſſe. Aequitas enim in paribus cauſis, paria iura deſiderat. inf. de allodiis, c. vni. & cum eadem ratio vtrobiq́ interuenit, ſequitur, vt idem debeat exiſtimari. l. illud quæſitum. ff. ad l. Aquil. Et æquitatis ratio ſimilia ſuadere videtur. l. vlti. in fi. C. ad l. Falcidi. Item ſicuti prætor reſtitutionem indulget ob cauſas ædicto expreſſas, ita etiam, ſi qua alia iuſta ei cauſa eſſe videbitur. l. i. in fi. ff. ex quib. cau. maio.

§. *Illud enim eſt certum, quod non ex omni cauſa, ex qua opinio vaſalli grauatur, beneficium amittitur: nam & ſæpe deierat, & beneficium nihilominus retinet: vt puta qui beneficij portionem alienat abſq; domini ſcientia, beneficium quidem retinet, ſed fidem promiſſam ſeruare non videtur.*

Hoc neminem latere oportet, non qualibet ex cauſa vaſalli exiſtimationem apud bonos & graues viros onerante, feudum amitti: Quapropter etiam ſi deieret, beneficio tamen non cadet: hoc vel ex eo cernere licet, quod tametſi fidem promiſſam violet, ſine domini conſenſu feudi partem alienans, nihilominus reſiduam partem retinere permittatur.

1. Quemadmodum non omnis ſufficit occaſio, per quam vaſallus accepti beneficij videtur ingratus, vt feudo priuari poſſit. vt ſup. titu. proxi. in princi. ita nec omnis ſuffecerit cauſa, per quam eius grauatur opinio. Quare ſi fidem violet, ac deieret: ſicq́ famæ ſuæ labem aliquam aſpergat, feudū tamen non amittit, vt hic. Et videntur placita feudalia in vaſallis, hominum videlicet genere plerunq́ militari, iuramenti tranſgreſſionem ſic æſtimaſſe, vt in l. ij. C. de reb. credi. & iureiu. vbi dicitur, iuriſiurandi contempta religio ſatis Deum vltorem habet. Eſt igitur magna quædam, & egregiæ ingratitudinis cauſa ad vaſalli priuationē neceſſaria. c. i. verſi. de illa tamen. ſup. tit. proxi. & plane talis, propter quam amplius in Curia domini. ſalua honeſtate, & conſuetudinē, verſari non poſſet, vt inf. an ille, qui interfe. fra. domi. c. vni. Vaſallus tamen ſic deierans, vt in delictum manifeſtum incidat, feudi priuatione expiandum, neutiquam excuſabitur. ſecund. Alua. hic in fi.

2. Porro quum hic tex. ſupponat vaſallum iurare & promittere, ſe feudum abſq́ domini conſenſu non alienaturum: hoc in ſacramento fidelitatis non explicitè, ſed implicitè continetur: Iurat quippe ſe domini non offenſurum vtilitatem, offendit aūt cum abſq́ domini conſenſu feudū alienat ac imminuit: nam minus aptus, & idoneus facultatibus, ad ſeruiendū domino, efficitur. inf. de prohi. feu. alie. per Lotha. l. i. Licet igitur feudi partem ſic alienās, iureiurando ſuo non reſpondeat, tamē ob hoc reſidua feudi parte non cadit, vt hoc tex. Eſt eñ recepta ſentētia: ob partē feudi alienatam, totū feudū nō amitti. per tex. expreſſum in c. i. inf. de. vaſal. qui cōtra cōſt. Lotha. Male igitur dixit Bal. in §. ſi verò. vel in totū. ſup. quib. mo. olim feu. po. alie. toto feudo quē cadere, ſi vnū ceſpitē ſine dñi conſenſu alienârit. Sed in d. c. l. dicit, contrarium approbatum eſſe, vt ſcilicet ſola pars alienata perdatur.

§. *Deniq; ſæpe quæſitum eſt, vaſallo propter iuſtam culpam à feudo cadente, vtrum ad dominū, an ad ſucceſſorē vaſalli beneficium pertineat. ſed hæc diſtinctio*

tam

tam ratione quàm moribus comprobata est, vt siquidem vasallus ita in dominum peccauerit, vt feudum amittere debeat, non ad proximos, sed ad dominum benefici um reuertatur, vt hanc saltem habeat suæ iniuriæ vltionem. Si verò non in dominum, sed aliàs grauiter deliquerit, vel graue quid commiserit: sicut ille qui fratrem suum interfecit, vel aliud graue crimen (quod parricidij appellatione continetur) commiserit, feudum amittit: & non ad dominum, sed ad proximos pertinet: si tamen beneficium fuerit paternum, sic enim sæpe pronunciatum scio. Si vasallus contra constitutionem bonæ memoriæ Lotharij Imperatoris, beneficium alienauerit, quia dominum contemnere videtur, ad dominum beneficium pertineat. Scriptum est enim, vt precio se cariturum agnoscat.

Si vasallus crimen in dominũ patret: cuius ratione feudum amittere debeat, hoc nõ ad eius successores, sed ad dñm ipsum reuertetur: vt hanc saltẽ illatæ cõpensationẽ iniuriæ, & quandã veluti vltionẽ consequatur. At si nõ dñm lædat, sed aliàs graui culpæ fiat obnoxius, aut scelus quodpiam enorme designet: vtputa, vel fratrem suum interimens, vel alioqui nefandum parricidij crimen cõmittens, feudum perdit, non domino, sed proximis pandendum agnatis: si tamen sit paternum. Verùm enimuerò, si ea ratione feudo cadat, quòd sinc domini consensu, contra Lotharij Imperatoris constitutionem, hoc alienarit, ad dominum, quem contempsisse videtur, beneficium remigrat, quod tamen suam recipit interpretationem, vt mox attingam. Precium nihilominus emptori bonæ fidei vasallus alienator restituet: Ipsum siquidẽ, lege prohibente, contractus initi cõmodo frui, non decet.

1. Quotiescunque dominum vasallus sic offendit, vt feudi priuatione, crimen ac genus offendiculi sit expiandum, omnibus descendentibus & agnatis vasalli submotis, ad dominum liberè feudum reuertitur: siue paternum, siue nouum fuerit. vt hoc text. qui generaliter disponit. secuudum veram sentẽtiam Aluaroti, & aliorũ. Ratio hic in textu redditur: vt scilicet hanc offensæ compensationem, ceu quoddam vltionis solatium consequatur.

2. In extraneum grauiter delinquente vasallo, feudum paternum, quo priuari meretur, ad dominũ nõn redit, vt hòc textu, nec ad filios aliósve descendentes: sed ad agnatos deuoluetur; quare licet textus hic dicat, proximos: non tamen per hoc intelligit filios, imò ne agnatos quidem: nisi eos qui gradu demùm quarto delinquentẽ contingunt, vt hic probat & declarat. §. si vasallus culpam. inf. si de feu. defunc. conten. sit inter dom. & agna. vasal.

3. Fratrem suum necans: aut horrendum parricidij reatum incurrens: feudum amittit, vt hic. & inf. an ille qui interfe. frat. domi. Quapropter patrem, matrem, auum, auiam, fratrem, sororem, patruelem, matruelem, patruum, auunculum, amitam, materteram, consobrinum, cõsobrinam, vxorem, nurum, generum, socerum, vitricum, priuignum, priuignam, patronum, patronam occidens, vt pœnis legalibus subiicitur. l. i. ff. ad l. Pompe. de parrici. Ita feudi dispendio subiacebit, vt hic. Imò & is parricida censetur, qui emerit venenum vt patri daret: quamuis non potuerit dare, d. l. i. Item pecuniam subministrans ad veneni mali comparationem, vel vt latronibus, aggressoribúsque daretur, qui patrem interficerent, parricidij pœna tenebitur. l. si sciente. ff. ad l. Pompe. de parrici. per cõnsequens feudi priuatione adficietur: Cui etiam sit obnoxius, si fratrem, aliósve iam commemoratos in captiuitatem durissimam, horrore & acerbitate morti comparandam, prodat, ac tradat, secundum Bal. & Præposi. hic.

4. Si feudum nouum vasallus absque domini consensu alienet, domino id aperitur,

aperitur,& ita vendicabit hic text.locum in feudo nouo, similiter & in feudo antiquo si nulli supersint agnati, si verò supersint, non ad dominum, sed ad eos feudum sic alienatū relabetur, per c. Titius filios. inf. si de feu. defunc. conten. sit inter do. & agna. vasal. secundum intellectum Iaco. à Belui. quem ibi sum secutus, & hanc moderationem præsentem §. accipere, receptissima DD. est sententia. videlicet Py. Iacob. à Belui. Andr. ab Yser. Nico. Neapo. Iacob. Ardizo. Aluaro. Præpo. & aliorū. post glos. in verbo parrem suam. in fi. in §. hoc quoque. & ibi dixi, sup. de feudi succes. tametsi Bal. Petrum à Cer. secutus nonnunquam variarit, Aluaro. hic multis conclusionibus tractat, ad quos feuda iure reuerti debeant. prolixa & perplexa est tela: & magna ex parte, magis opinionibus quàm expressis feudorum placitis suffulta, nos quæ iure probantur suis locis huc pertinentia, tractare non grauabimur. Hoc tamen iam prætereundum non puto, vasallo quocunque modo sic delinquente, vt bona eius in fiscum sint inferenda, feudum nec fisco, nec domino (nisi eum iniuria respiciat) cedere debere: Sed ad agnatos deuolui, per hunc textū, & in c. vni. inf. an ille qui interf. fra. domi. Quod igitur quidam aiunt, vel apud dominum, vel apud fiscum saltem viuente delinquente feudum interim collocari, à feudalibus placitis est alienum. Proindè mox, non expectata morte delinquentis, hac specie, agnatis hoc aperitur, secundum Iacobum Ardizo. & Aluarotum hic, conclusione xi. & conclusione xxxv. quicquid dixerint alij Doctores. Nam vsus feudorum nullam hic distinctionem prodiderunt.

Si de feudo vasallus interpellatus ab aliquo fuerit, & dominus eum defendere noluerit.

Titulus III.

NEGOTIVM tale est: quidam vasallus à domino tenebat feudum, de quo ab aliquo interpellatus fuit: & sic vasallus dominum vocauit, vt eum defenderet, domino renuente ad iudicem venire, vasallus amisit causam per sententiam. Nunc verò vasallus cambium feudi à domino petit: ad quem dominus respondēs ait, illum nunquam ab eo hoc feudum tenuisse: nec ab eo inuestituram accepisse, contra quem vasallus dicit, se hoc feudum ab eo tenuisse, & inuestituram recepisse, & ab eo petiuisse, vt eum in iudicio defenderet, nec tunc temporis inficiabatur illius esse, quod idoneis totum testibus probat vasallus.

Respondeo: Super negotio isto quòd literis insinuasti nobis, tale est sapientum nostræ ciuitatis consilium: videlicet Oberti de Orto, & Girardi Capagisti: vt si vasallus cùm de feudo interpellabatur auctorem suum, id est, dominum, vt eum defenderet vocauit, & hoc probare posit: si in eo iudicio vasallus fuerit victus de re aliena inuestitum fuisse: vt dominus vasallo eiusdem æstimationis quod erat tempore rei iudicatæ, feudum restituat, vel nummos in feudum dandos numeret, & hoc cùm certum est, vasallum de feudo victum fore. Sed si dominus neget hoc feudum nunquam ab eo tenuisse, nec ab eo domino ipsum vasallum vel eius antecessores vnquam inuestituram accepisse, & hoc vel per instrumentum publicè confectum, vel per pares curtis vasallus poterit probare, dominus ad restitutionem feudi tenebitur, alioquin dominus sacramentū subire cogetur, istum qui est in causa, vel eius antecessores à se vel à suis antecessoribus nunquam hoc feudum tenuisse, vel inuestituram accepisse. quo facto, dominus absoluendus erit.

Si va-

Si vasallus de feudo, velut de re aliena interpellatus, dominum vt se defendat, vocauerit, idque constet, & eo nō defendēte, in causa succubuerit, aliud feudum æquiualens à domino consequetur, æstimatione videlicet ad tempus latæ sententiæ referenda, aut certam adipiscetur nummorum quantitatem æquiualenti comparando feudo necessariam. Et hæc obtinent, quum liquet feudum vasallo concessum fuisse, & nunc ab eo velut rem alienam, euictum esse: item si dominus comparens neget se, vel maiores suos vllam vasallo feudi eius inuestituram concessisse, vasallus verò contrarium probet per instrumentum publicum, aut per curiæ pares, simili modo, feudi refusionem, à domino, vt dictum est, obtinebit. At non probante inuestituram vasallo, dominus iusiurandū subit affirmaturus nec à se, nec ab antecessoribus suis, hunc qui in lite est, eiusve maiores, de eo feudo inuestituram accepisse. Quo sic præstito dominus ab impetitione actoris absoluetur. Intellige hoc obtinere, præsumptionibus certis iudicem ad sacramentum hoc domino deferendum impellentibus, secundum glo. & Aluaro.

1. Vasallus lite sibi de feudo mota, domino suo videlicet authori vt se defendat denunciare debet, vt hic si non denunciet cum possit, dolo id prætermisisse videtur, sicque ex stipulatu agere non potest. l. si fundo .§. ij. ff. de euictio. quod tamen non obtinet, si vel pacto remissa sit denunciandi necessitas. l. Herennius. ff. eo. tit. vel si dominus curet, ne sibi denunciari possit; vel si vasallus vbi dominus agit, cognoscere non valeat. l. si dictū .§. si præsente. ff. eo. ti. Casu tamen hoc posteriore, amicis, aut procuratori, aut ad domum denunciandum videtur. l. aut qui aliter .§. & si fortè non sit. ff. quod vi aut clam. Denunciari vero quolibet tempore potest, dum tamen non propter ipsam condemnationem, hoc est, circa tempus ferendæ sententiæ id fiat. l. si rem, la. 1 .§. vlti. ff. de euictio. Porro non solum ignoranti domino, sed etiam scienti litem esse motam, & præsenti denunciandum esse tutior imo verior est opinio secundum Aluarotum hic. & Ioan. And. in addi. ad Speculum. titu. de emptio. & vendi .§. vltimo, versi. vlti. quia denunciatio ea, non solum fit rei insinuandæ causa, sed etiam defensionis obtinendæ gratia, ad quam non tenetur nisi requisitus, vt patet hoc tex. versiculo dominum vocauit, vt eum defenderet, & l. si parentes. C. de euictio. vbi dicitur. Empti sane iudicio, pro euictione si conueniri cœperitis, nec vobis negocium vt defendatis, denunciatum probetur, intelligitis quatenus vosmetipsos tueri debeatis, per quam l. ait Ioan. And. vbi supra, non sufficere si lis denuncietur, aut indicetur, nisi etiam author vt defendat requiratur: item c. vltimo, de emptio. & vendi. clare indicat, denunciationem fieri debere, vt res defendatur.

2. Lite super feudo suscitata, dominus ad defendendum vocatus, post euictum à vasallo beneficium, ei ad feudum æquiualens, aut summam pecuniariam æquiualenti comparando feudo sufficientem obligatur vt hic. & in c. i. supra, de inuestitu. de re alie. fac. modo tamen rei alienæ scientiam inuestitus non habuerit, nisi hoc etiam casu, de euictione stipulatus esset, de quo latius ibi. Aestimatio vero feudi, ad eam accommodabitur qualitatem, quam fuisse constat tēpore rei iudicatæ, vt hic. Sic & eorū habebitur ratio, quæ in rem feudalem vt melior fieret, à vasallo sunt erogata. l. si controuersia. C. de euictio. Denique circa materiam euictionis, & quibus casibus emptori de euictione non teneatur venditor, vide. c. vlti. & ibi glo. & Docto. ex. de empti. & vendi.

Si de

Si de feudo defuncti contentio sit inter dominum & agnatos vasalli.

Titulus IIII.

SI de feudo defuncti militis sit cõtentio inter dominum & agnatos defuncti, domino nouum feudum, agnatis verò paternum esse contendentibus, agnati in possessione feudi de quo quæritur constituendi sunt. Eo facto, super principali quæstione cognoscendum est. Vtroque autem deficiente in probatione, electio iurisiurandi agnatis danda est

Si mortui sine liberis vasalli feudum vt nouum dominus vendicet, agnati verò tanquam paternum hoc ad se pertinere contendant, ante omnia, in possessionem feudi mittentur agnati, qua missione facta, res iuris ordine disceptabitur. Vtraqꝫ autẽ parte suam intentionem non probante, iurisiurandi electio dabitur agnatis, vt scilicet vel hoc paternum esse iurent ipsi, vel domino sacramentum deferant contrarium iuraturo.

1. Ratio tex. est, quia possessio defuncti, quasi coniunctim descendit in hæredem, vt alio fine dicitur. in l. cum miles in princip. ff. ex quib. cau. maio. Quare dominus eam interrumpere non permittitur, cum non feudum, sed feudi qualitatem neget, sicqꝫ vasallum tempore mortis possedisse fateatur. Et quanquam Iacob à Bel. Bal. & alij dicant rationem quoqꝫ huius tex. esse diutinam & vetustam feudi possessonem, quæ iuris præsumptionem suppeditat feudum esse antiquum, nisi contrarium probetur, tamen ex tex. colligi non potest, longo ne an breui tẽpore, defunctus illud possederit. Porro missis in feudi possessionem agnatis, principalis causa, videlicet vtrum feudum antiquum, an verò nouum sit, discutietur vt hic. Simile quiddam continet. l. vlti. C. quorum bono. vbi per interdictum quorum bonorum, in petitorem corpora transferuntur, secunda actione proprietatis non exclusa. Cæterùm si domino probationes sint in promptu, quibus cõuincere possit feudum nouum esse, & cognitionem obferens, dicat hodie constat, de feudo hodie agamus, dicendum est possessionis traditionem cessare. l. si is à quo, ff. vt in pos. lega. secundum And. ab Yser. in §. seq. dolo enim facit qui petit quod redditurus est. l. dolo. ff. de doli. & met. ma. except. Intelligendus igitur hic tex. est, cum ius domini non ita versatur in propatulo, sed altiorem, ac prolixiorem poscit indaginem, tum enim possessionis frui commodo permittentur agnati, donec res iuris tramite dirimatur. d. l. fi. & ibi glo. & docto. C. quorum bono. & hoc modo etiam intellige duos §. proximos.

2. Quod autẽ tex. hic dicat, vtraqꝫ parte in probatione deficiente, iurisiurandi electionem agnatis dari, sicqꝫ iuramento possidentium, causam expediri, hoc non solum fauor possessionis, sed & ius præsumptũ quod pro agnatis militabat operatur. supra, de contro. inuestitu. in princip. & §. item si vasallus. & sup. si de inuestitu. inter do. & vasal. lis oria. in l. fi. Alioqui si potiores domino præsumptiones adstitissent, ei sacramentum deferendum fuisset §. sacramentum, inf. de consue. recti feu.

§. Inter filiam defuncti, & agnatos eius de quodam prædio mota est quæstio, agnatis feudum, filia verò allodium siue libellarium esse asserentibus, super possessione, apud quem manere debeat, quærebatur. Responsum est, apud filiam possessionem interim esse collocandam, definientibus verò hincinde probationibus, per iusiurandum causa cognita res decidetur, electione danda agnatis.

Contro-

Controuersia de prædio inter filiam, & agnatos defuncti suscitata, his feudum hoc esse contendentibus, illa autem liberum seu emphyteuticum asserente, in prædij possessione ipsa videlicet filia constituetur. Deindè meritis causæ discussis, & vtraque parte, plena probationis luce destituta, iurisiurandi electio agnatis dabitur, sicque negotium sopietur.

Rationē huius textus Bal. esse dicit, qualitatē possessionis paternæ, quæ talis præsumitur in filia, qualis fuit in patre, iuxta nota. in §. sui. Insti. de hæredi. quæ ab intesta. defe. præsupponit igitur constare, patrem filiæ, iure & dominio proprio hoc prædium de quo cōtrouertitur possedisse. Ego arbitror aliam esse rationem, videlicet, præsumi non debere seruitutē aliquam rebus paternis inditam, quo minus filia, dictante natura, hæres sit in bonis paternis. l. maximū vitium. C. de libe. præte. quare cùm regulariter sola feudalis qualitas, paternæ successionis cōmodo filiam priuet §. hoc quoque. sup. de iis, qui feu. dare poss. consequens est, eam in paterna hæreditate non præsumi, nisi probetur, qua pendente probatione, æquum est, vt interim possessio filiæ permittatur, quæ post patris obitum tanquā domina, liberā omnium bonorū administrationē consequi debet. l. in suis hæredibus. ff. de libe. & posthu. Proindè si vnica filia, à patre vasallo hæres instituta, in totam defuncti hæreditatē, se immitti petat, agnatorū oppositione non obstante, in omnium passim bonorū possessionē, etiam si feudalia eis sint permixta, immissio fiet, post factam verò immissionem, de meritis causæ, iudicialis erit cognitio. Et si vel consuetudo loci, vel ius aliquod in feudo suffragetur filiæ, in possessione eius defendetur. Alioqui hoc cedet agnatis: ita pulchrè Ioan. And. in addi. ad Specul. tit. de tèstamentis §. penulti. In vltima additione post Guil. de Zusa. per hunc §. asserit, quod intellige, nisi eu estigio de iure suo probare possent agnati, vt dictum fuit in §. præcedenti.

Porrò tametsi textus dicat, deficiente vtrinque probatione, per calculum diffinitiuum, iurisiurandi electionem dandam esse agnatis, scilicet per se & duodecim sacramentales iuraturis, vt inf. de contro. inter mascu. & fœmin. de feud. c. i. tamen id suppletione ea temperari & accipi debet, si verisimiliora, & præsumptiones magis opitulentur agnatis, quàm filiæ. Sic etiam intelligitur & suppletur §. si contentio. inf. de Capita. qui curi. vendi. nam si potiores coniecturæ & præsumptiones filiam iuuent, non agnatis, sed ei sacramentum fuerit deferendum. vt inf. §. proxi. secundum gloss. Iacobum à Beluiso, & Aluarotum hic.

§. *Defuncto milite, inter dominū & filiam illius, super quodam feudo quærebatur: domino feudum, filia allodium siue libellarium esse allegante. Respondi, filiam in possessione feudi manere debere, donec de eo iudicetur: probatione verò hinc indè cessante, electio iurisiurandi filiæ danda est.*

Dèfuncti filia in possessione prædij, quod vel iure proprio, vel titulo emphyteutico suum dicit, permanere debet, licet aliquis, feudi iure, defunctum hoc à se possedisse cōtendat. Re porrò in litem deducta, & neutra parte dominium probante, iurisiurandi electio filiæ datur. Intelligendus est hic textus, quòd præsumptiones, filiæ magis adstiterint, quàm aduersario, secus autem, si ei restitissent, tum enim parti aduersæ iusiurandum datum fuisset, vt sup. §. proxi. Et ita textus isti, qui pugnare prima facie videntur, in consonantiam rediguntur, secundum gloss. Aluarotum, & Præpositum.

§. *Moribus receptum est, dominum de feudo militis sui, quod post mortem ipsius ad dominum reuerti sperabatur, in alium militem inuestituram facere posse:*

se: quæ inuestitura tunc demùm capiet effectum, cùm feudum domino aut hæredi suo fuerit apertum. Secus est in ecclesiasticis personis. nam si ecclesiastica persona talem faciat inuestituram: non aliter valebit, nisi sibi, non etiam successori suo feudum aperiatur, & in tali inuestitura consensus eius, de cuius feudo sit, exquiri non oportet.

Consuetudine feudorum increbuit, vt etiam vasallo non consentiente, de feudo, quod post mortem eius ad dominum speratur rediturum, alicui Inuestitura concedi possit. Quæ si facta sit à prophano, suum consequitur effectum, cùm ad eum, hæredémve eius feudum redierit. Ab ecclesiastico verò cōcessa, ita demùm rata erit, si viuenti inuestitori, hoc fuerit apertum, successor enim hac specie prædecessoris non constringitur, quod à futuro pendens euentu, nec dum in vita eius ad perfectionē productum fuit.

1. De materia huius §. tractatū est sup. qui succes. feu. dare tenean. c. vni. sed quia tum spopondimus nos de ratione huius c. nonnihil hic cōmentaturos, paucis rem absoluemus. Equidē non ociosè tex. hic inquit, moribus receptum esse, vt dn̄s de vasalli viuētis feudo, vti iam dictum est, aliquem possit inuestire: nam iure & legibus, id nec receptum, nec licitum esse censetur. Etenim, si Vlpiano teste, casum aduersamq; fortunā expectare hominis liberi, neq; ciuile, neq; naturale sit. l. inter stipulantē §. sacram rem. ff. de verb. obliga. quomodo naturale & ciuile erit, hunc inuestitū de feudo alieno, mortem expectare possessoris? Certè non probè de hæreditate viuentis agi constat. l. ita tamen §. à patre. ff. ad S.C. Trebel. Quare enim quodam viuente, & ignorante, de rebus eius quidam paciscentes conueniunt? l. vlt. C. de pact. Et quanquā in casu text. præsentis dominus de iure suo disponat, in euentum scilicet feudi ad se deuoluendi, aliisq; modis, quàm per mortem, feuda aperiri possint, tamē negari non potest, quin paciscatur super re, quæ adhuc vasalli est viuentis: igitur pactio talis censeri debet odiosa, cōtra bonos mores, plenaq; tristissimi & periculosi euentus, vt dicitur in d. l. vlt. ergo nullius erit momenti. l. ex eo instrumento. C. de inuti. stipula. vbi etiam dicitur, Ex eo instrumento nullam dari actionē, in quo contra bonos mores, de successione futura, interposita fuit stipulatio. Hac de causa à sanctis patribus in cōcilio Lateranēsi saluberrimè statutū fuit, Ecclesiastica ministeria, seu beneficia, tribui, aut promitti, antequàm vacent, nō posse, ne scilicet desyderare quis mortē proximi videatur, in cuius locum & beneficium se credit successurū. Turpe enim est, & diuini plenū animaduersione iudicij, si locum in Ecclesia Dei futuræ successionis expectatio habeat, quam ipsi etiam gentiles condemnare curarūt. c. nulla, de cōces. præbē. Hæc cùm ita se habeant, dura videtur prælibata feudalis consuetudo, cōtra sacras humanasq; leges, atq; adeò naturalem ipsam rationē, quæ ad delinquendum inuitat, spe lucri innocētiam polluit, improbam cupiditatē incendit, & velut esca quadam vulturem illectat. Quapropter dixerim, huic textui locum nusquam fore, nisi illis duntaxat in locis, in quibus specialiter moribus est receptus. Cùm enim consuetudo sit ius moribus constitutū, quòd videlicet sine vllo scripto, iudicio populi receptum est. l. de quibus. ff. de legib. cum simil. verisimile fit, in eo populo, apud quem prælibatæ inuestituræ concedendæ mos obtinuit, vigere innocentiam, mores coli inculpatos, & vitam Christianā duci, & Saluatoris illud, tum re, tum verbo celebrari, Quid prodest homini, si mundū vniuersum lucretur, animæ verò suæ detrimentū faciat? Nam si mores patrios probè ciues non cognouissent, nec perspectam hominum naturā habuissent,

buissent, rem tam periculosam, cõmuni consensu neutiquam recepissent, igitur quantum ad hos attinet, consuetudo vtcunque defendi potest. Cæterùm hanc ad omnes vbique populos, ceu ius scriptum propagare, præsertim refrigescente iam proh dolor pietate, & periculosum, & iniquum puto: Nec est insolitum hæc feudalia placita, suis duntaxat locis, in quibus vigent, circumscribere, secundum Aluaro. Præpos. & omnes in §. mulier. inf. eod. tit. in c. I. inf. de filiis natis ex matri. ad morgana. contracto. Idque propter exorbitantem rationis defectum, quo laborare conspiciuntur.

§. Vasallus si feudum, vel feudi partem, aut feudi conditionẽ ex certa scientia inficiatur, & inde conuictus fuerit, eo quod abnegauit feudum eiusve conditionẽ, expoliabitur: alius autem vasallus, quamuis hoc sciens non patefaciat, feudum tamen retinet, aut si aliam rem domini celauerit vasallus, feudum tamẽ non amittit.

Si vasallus aut feudum totum, aut eius partem, aut eius conditionem & pacta, sciens, ac fraudulenter abnegans, mendacii fuerit conuictus, feudo priuandus erit. Alius tamen vasallus, qui cùm feudum falso abnegari sciret, hoc domino non aperuit, feudi iacturæ ac dispendio non subiacebit, sicuti nec is, qui rem aliam domini non feudalem celauerit.

1. Si fuerit inter dominũ & vasallum, de beneficio controuersia, Domino dicente, hoc quod tenes in feudum, à me habes: vasallus autem id prorsus neget, probationibus conuictus, feudo cadet, si fraudulenter, hoc est, sciens, feudum abnegasse comperiatur, vt hic. & inf. de lege Corra. §. vlt. Et hac specie feudum abnegatum cedet domino, si nulli supersint abnegantis filii, seu agnati, secundum Præpos. hic, in fi. in §. si. sup. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. in quarto membro. vbi refert And. ab Yser. generaliter dicentẽ: Quoties non agitur de felonia, sed de culpa duntaxat, solum vasallum feudo priuari oportere, non etiam filios, nec agnatos eius: quod intellige, nisi feudalibus placitis aliud expressè cautum inueniatur. Porrò scienter negans feudũ, eo cadit: secus, si ignorãter, secundum hunc text. à cõtrario sensu, nisi ignorantia esset crassa & supina: nec enim supina ignorãtia ferenda est factum ignorãtis. l. nec supina. ff. de iur. & fac. igno. neque excusabitur, si aliqua sit causa propter quam intelligere deberet, hoc feudum se à domino tenere. l. quòd te mihi. in fi. ff. de reb. credi. & si cer. peta. Item si mente titubante, & dubio, incertoque animo neget, pœnam huius text. euitabit, argu. l. vlti. C. de condict. inde. nam hic §. negationẽ ex certa scientia requirit. Scientiam aũt neque curiosissimi neque negligentissimi hominis accipimus, verùm eius, qui rem diligẽter inquirendo notam habere possit. l. regula. §. sed facti ignorantia. ff. de iur. & fac. ignoran. Sed quamuis dubitet vasallus, tamen post deliberandi tempus impetratum, positionibus & articulis, certum quid, per verbum credit, aut non credit, respondere cogetur. l. qui interrogatur. ff. de interro. actio. & nota. in c. ii. de confess. lib. vi. & c. cùm ad sedem. versiculo, ad quæ respondit, de resti. spolia. Idque vt litis cõtestatio fiat, secundum Bal. hic. Verùm enimuerò negantem scienter vasallum, ante litem contestatam pœnitere posse, ad hoc, vt feudi euitet iacturam, Iacobi à Belui. & cæterorum frequens est opinio. argu. l. is qui se obtulit. ff. de rei. vendi. cum similibus. sumptibus tamen ac impensis, circa litis instructionem, domino refusis. Post litem verò contestatam, ita demùm pœnitẽtiæ locus erit, si iusta quæpiam causa patrocinetur: aut certè dolus malus latáve culpa non aduersetur, secundũ Bal. proindè si rei veritas, post litem contestatã, vasallo primùm innotescat, æquum est, vt ei succurratur. l. de ætate. §. ex causa. ff. de interroga.

actio. Et culpari non meretur, qui cognita rei veritate, nolens in lite improba perseuerare, suum negotium deseruit. l. destitisse. ff. de iudi.

2. Quemadmodum feudum totum, ita & eius partem, aut conditionem abnegans, de mendacio cõuictus, feudo priuatur. sententia tamẽ præuia, secundum Præpo. Cæterùm si partẽ neget, non toto feudo, sed parte cadet negata, secundũ glos. & Aluaro. argu. in f. de vasal. qui contra consti. Lotha. c. vni. At quando feudi qualitatem inficiatur, totum perdet, verbi gratia. si dominus contendat feudum esse conditionatum, id est, datum ad certum seruitium, vasallus autem id neget, & de mendacio conuictus fuerit: iam feudo toto exuetur, cùm negatio totam feudi naturam respiciat, nec diuisionem aliquam admittat: hac tamen specie, mendacij cõuictum intellige, qui per testes aut fidem instrumentorum, conuictus fuerit conditionatum feudum accepisse. Secus si iuramento domini. argu. l. eum qui. ff. de iureiur. Quare si domino semiplenè probanti, sacramentum probationis suppletorium deferatur, sicq; vasallus negans succumbat, non censebitur conuictus, vt iuxta huius §. dispositionem feudi beneficio priuetur, secundum Præposi. hic. Nam, vt Bal. ait, confessio, & iuramentum non sunt propriè probationis species, sed potius releuamina quædam ab onere probandi.

3. Vasallus sciens ab aliquo rem feudalem indebitè negari, hoc tacens, & non reuelans, feudi priuationem haud sustinet, vt hic. Nam secundum Bal. aliud est negare, aliud tacere. Quinimo scienter rei veritatem negantis improbus est animus. Tacentis verò, etiam probus & rectus esse poterit: Quid enim si causa maioris offendiculi vitandi, quid si pacis & concordiæ conseruandæ gratia, rem sibi notam tacitus dissimulet? Item qui tacet animum suum non declarat, quare si taceat hodie, rem poterit indicare die crastino, aut occasione oblata, quandocunq;: igitur taciturnitatẽ hanc feudi dispendio, præsens tex. non percellit. Idem obtinet, si vasallus non feudalem, sed aliam quampiam domini rem celauerit, nam feudo non priuabitur, vt hic. Celans quippe non semper præ se fert scelus, quum & bono pioq; proposito rem domini celare quis possit: veluti si dominũ prodigum conspiciens, liberorum eius gratia, res quasdam celet, ne profusionis vorago cuncta absorbeat: aut alioqui ad bonum intentionis scopum feratur, secus autem, si dolo malo, prauoq; consilio rem domini celauerit: nam hac ratione, iurisiurandi sui temerator effectus, rectissimè feudo priuabitur, & hoc temperamento, præsentem tex. accipi oportere glos. Aluaro. & cæteri comprobant.

§. *Si quis per triginta annos rem aliquam vt feudum possedit, & seruitium domino exhibuerit: quamuis de ea re non sit inuestitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest.*

Quanquã nullam feudi inuestiturã quis obtinuerit, tamen si per spacium triginta annorum, rem aliquam tanquã feudum possederit, & eius ratione, seruitium domino præstiterit, præscriptionis exceptione tutus erit.

Hic textus primò exposcit præscriptionẽ triginta annorũ completam: Dictio enim Per, totam temporis cõsummationẽ denotat, secundũ Bal. arg. l. vrbana familia §. vlti. ff. de verbo. & rer. signifi. quare vltimus annus cœptus non habendus fuerit pro cõpleto, secundũ Præpos. argu. l. in omnibus temporalibus. ff. de Actio. & obliga. & per gloss. super verbo exegerit. in. c. cùm in cunctis, de electio. Præscriptionem etiam hanc triginta annorum continuam, non autem interruptam esse oportet. glos. mag. in fi. sup. de vsu Mediola. c. vnico, & ibi per Aluar. Verùm enimuerò probare, se cõtinuò possedisse

sedisse est impossibile: igitur probare suffecerit, se à principio possedisse, & in fine spacij temporis prælibati, & quandoque tempore intermedio. vt ait glos. super verbo inconcussam, in c. volumus. xvi. q. iiij. Testes nihilominus probationis fidem obtinebunt, si dicant, se vidisse semper Titium per xxx. annos possidere. Nam hæc verba vidisse semper, partim referentur ad sensum corporeum, partim ad intellectum, secundum Bal. Cæterùm si quis vel reipublicæ, vel ecclesiæ feudum iuxta speciem huius textus possederit, non triginta sed quadraginta annorũ curriculum exigi Præpos. arbitratur. argu. Authenticæ, quas actiones. C. de sacrosanc. eccle. & l. vlti. C. de fundis patri. lib. x. Sed contrarium defendi posset, tum propter generalem, & indistinctam huius textus feudalis dispositionẽ. argu. l. cùm de precio. ff. de publicia. in rem actio. tum propter consensum præsumptum Ecclesiæ & Reipublicæ, quæ tam diu seruitia, & obsequia à vasallo sponte receperũt. Porrò tametsi Bal. hac etiam ratione, innuere videatur, bonam fidem, in hoc feudi possessore non esse spectandam: tamen non recipimus. Non enim sic prophana tuemur placita, vt offendamus diuina. Notum quippe est illud diuiniloqui Apostoli ad Roma. xiiij. omne quod non est ex fide, peccatum est, per quam Vasis electi authoritatem, synodali iudicio diffinitum est, absq; bona fide, præscriptionem nec ciuilem, nec canonicam valere, nam omni tum consuetudini, tum constitutioni derogandum est, quæ absque noxa mortifera, seu mortali peccato nequit obseruari, quare præscribentem, in nulla temporis parte, rei alienæ conscientiam habere oportet. c. vlti. de præscrip. quod vtrique foro legem præscribit, secundum receptissimam Angeli, Pauli de Castro, Imolensis, Hostiensis, Ioan. And. Antho. à But. ac cæterorum opinionem, vt latius per Præpos. hic, & quidem rectè, non obstantibus hic per Aluaro. coloratè, prima facie, deductis: quoniam humani omnis ingenij perniciosa est subtilitas, cuius ductu vel peccati labes imminet, vel animæ salus periclitatur. Rectissimè igitur Iustinianus noster, suas quoque leges sacrarum & diuinarum regularum sequi ductum non dedignari, scripsit §. si verò ecclesiasticum in Authen. vt cleri. apud pro. Epis. colla. vi.

2. Desyderat secundò hic textus, vt rem tanquam feudalem possederit præscribens. Non igitur sat fuerit, si testes probent, rem esse possessam triginta annis, nisi etiam probet eam vt feudalem esse possessam. Tertiò requirit seruitiorũ præstationem, tanquã ex re feudali a vasallo impensam, & eo nomine per dominũ sponte receptam, non tamen annuum spectabitur seruitium, secundũ And. ab Yser. sed vnicum suffecerit, cum possessione triginta annorũ subsecuta: si frequentius à domino interea temporis non fuerit interpellatus, quod & Aluaro. & Præposi. probant per glos. in verbo trium episcoporũ. in c. cùm ecclesia Sutrina de caus. possess. & propri. & c. cùm de benefi. de præbẽ. lib. vi. Quartò ad subsistentiam huius tex. desyderatur etiam, vt & ab initio, tẽporis progressu, res feudi titulo, & nõ alio sit possessa, proindè si fundum cœpero possidere titulo pignoris, & temporis progressu, illum feudi titulo me contendam possedisse, seruitiaq; domino feudalia per triginta annos exhibuisse, ita demùm mihi patrocinabitur præscriptio, si cum duodecim sacramentalibus iurem, patrem meum, vel me, de re possessa feudi titulo, inuestiturã à domino accepisse. c. vni. sup. de vsu Mediola. Verùm in textus præsentis specie, nullum requiritur iusiurandum, sed sola quietæ, bona fide, possessionis triginta annorum probatio, cum seruitij vasallitici exhibitione. Adeò, vt præfati temporis lapsu, etiam nullo subnixus titulo, & contra dñm, & contra quoscunq; se tueri, ac possessionẽ suam

defendere queat,secundum And.ab Yser.& Aluaro. Pari modo,si dominus feudum sui vasalli triginta annorum spacio,velùt rem propriam & liberam, sciente & non contradicente vasallo possederit,vtilis dominij cum proprietate consolidationem censebitur præscripsisse,secundum Bal.hic in vlt.colum.& clarius per Præpos.circa fi. Postremò,tempus hoc tex.præfinitum, municipij lege coartari & restringi posse, idem Bal.& Alua.hic asserunt.

§. *Qui clericus efficitur, aut votum religionis assumit, hoc ipso feudũ amittit.*

Hic text.obtinere non censetur,si per vicarium aut substitutum clericus, vel monasterium seruire Domino,& feudi muniis respondere velit,secundum glos.in c.vni.inf.de feu.fœmi.vt latè hoc tractauimus sup.de vasal. mili.qui arma belli.depo.

§. *Etsi vasallus omni anno domino se nõ repræsentat, feudũ tamẽ nõ amittit.*

Feudum non amittit vasallus,quotannis dominum non inuisens,nec suum ei seruitium obferens. Ratio huius textus est, quoniam domino petenti paratum esse ad obsequia vasallum, sufficit §. licet.inf.eod.tit.quare seruitia ei sua vltrò offerre non tenetur. de quo latius ibidem.

§. *Omnes filij eius qui feudum acquisierit, fidelitatem facere debent, maximè si indiuisum habent. Quòd si feudum ex diuisione ad vnum tantùm peruenerit, ille tantùm faciet fidelitatem.*

Filij omnes, ad quos,defuncto patre,feudum est delatum , iusiurandum fidelitatis domino exhibere tenentur : maximè, si nulla facta diuisione, id simul possideant. Verùm si ita facta sit diuisio, vt ad vnum duntaxat feu. pertineat,eum solum præstandæ fidelitatis manet necessitas.

1. Filij in demortui parẽtis feudum,successionis beneficio surrogati,tanquam vnius referentes personam, singuli domino fidelitatem iurabunt,vt hic: cùm numerus eorũ,qui in locum alicuius substituuntur,etiam iure ciuili,pro singulari persona habendus sit. l.cui fundus legatus.in fi. ff.de Condi.& demonstra.hæc maximè censentur obtinere,si indiuisum feudum possideant: nam hoc pacto magis peculiariter vnum omnes repræsentãt,quanquam etiam idem obtinere non dubitetur,si facta diuisione singuli feudum possideant : nam viritim quisq; iurabit. Etenim feuda (Ducatu, Marchia, & Comitatu excepto) consortes admittũt,& diuidi possunt : ita vt omnes qui partem feudi habẽt diuisi, fidelitatem faciant §. præterea Ducatus.inf. de prohi.feu.alie.per Fride. Dispiciant igitur filij omnes, vt post mortem patris vasalli, fidelitatem,infra tempora feudalibus placitis diffinita iureiurando promittãt: quod si non fecerint,feudi successione cadent.c.1.sup.quo temp. mil.inuesti.pe.de.& sup.quæ fuit caus.ben.amit. c. 1. Cæterùm si talis inter fratres diuisionis habita sit ratio,vt ad vnum duntaxat fratrem totius feudi successio perueniat,cõsentaneum est,vt is solus,cui feudum contigit,eius munia subeat,fidelitatẽ iuret,obsequiaq; & seruitia præster. vt hoc text.cui applaudit l. si plures hæredes. ff. de vi. & vi arma. vbi in solidum tenetur is,ad quem tota peruenerit hæreditas, quamuis ex parte sit hæres. Eo tamẽ casu,quo feudũ ab omnibus possidetur, per procuratorẽ omnium nomine ad hoc constitutum,& inuestituræ renouationẽ petere,& fidelitatis iuramentum exhibere suffecerit.c.1 §. sed vtrùm.& ibi dixi sup.per quos fi. inue.secundum And.ab Yser.Alua.& Præpos. Suffragatur etiam l.municipib. ff. de condi.& demonstra.vbi municipes omnes per eos iurare possunt, per quos municipij res geruntur,quum alioqui generaliter obtineat,vt ipse gessisse videatur, qui per alium gessit. l.ita autem dispositioni §. quòd si

quis.

quis.ff.de admi.& peri.tuto. Verùm enimuerò tametsi fratres omnes in feu. succedentes fidelitatē iurare teneantur, tamen non viritim omnes obsequia feudiq; seruitia impendere coguntur. Cùm enim omnes loco vnius censeantur.d.l.cui fundus lega.poterint vnum aliquem obeundis feudi muniis præficere, quandoquidem nihil est quod cōqueri dñs queat, si mortui patris vice, æquè cōmodus & idoneus præstetur: quo facto, cæteros absolui æquissimum est.argu.l.si quis domum.post princi.ff.loca.& conduct.quod And.ab Yser.& Aluar.probant. Et hac specie ex filiis vasalli mortui, idoneioris eligendi facultatē domino competere.idem And.adstruit, sed contrariam sententiam post Specu.hic amplectuntur Aluar.& Præpos.vt videlicet filij ipsi, vnum ex se functionibus illis deputare possint: si modò ea in re sint concordes: alioqui si in talem sua sponte non consentiant, autoritate iudicis imminente, consentire cogentur. argu. l.huiusmodi legatum, in fi. ff.de lega.i.ita inter alia Specul.tit.de feudis.§.quoniam. versicu. nonò quæritur. Porrò filij cæteri, qui fidelitate iurata feudum quoq; possident, ad reuerentiam, aliaq; sacramēto fidelitatis compræhensa, domino nihilominus tenentur. Seruiendi quippe necessitas in vnius, vt dixi, personam duntaxat est concludenda. Similiter si feudum naturæ sit degenerantis, ita vt certum quid annuum, eius ratione, sit pendendum, pro rata portione, quemlibet obligari constat.arg.l.i.C.de anno.& trib.lib.x.& l.solent.circa.fi.versi. vel facta pro rata distributione.ff.de alimen.& ciba.lega.secundum Specu.vt sup. & per Aluaro.hic. Deniq; primogenito soli, cum vigore localis consuetudinis, municipii ve lege cæteris exclusis fratribus, in feudo succedit (vt plærunque in Germania inferiore) dubium non est, iuramenti præstandi, seruitiorumq; exhibendorum onus imminere. Postremò an omnibus domini defuncti hæredibus vasallus iurare, & feudi obsequia præbere sigillatim debeat, verbosè hic gloss. Aluaro.& Præpos. Aluaro.verba describens, controuertunt. Mihi placet glos.Pet.à Ceruot. Iacob. à Bel. & Bald. sententia, videlicet, vni duntaxat ex illis hæc impendenda fore, per text. in §. præterea Ducatus.inf.de prohi feu.alie.per Frideri.quanquam Aluaro. & eum secutus Præposi.prauo intellectu text.illum corrūpant, & ad eum solummodo casum detorqueant, quo domini alienatione feudum integrū diuiditur: quod text.non sic probat: Nam generaliter disponit, & ad tacitam quæstionem, quæ ex præcedentibus suboriri poterat, responsum suggerit. Siquidē cùm ibi cautum esset, feuda regulariter diuisionem admittere, exceptis illis ibidem enumeratis: & partem diuisi feudi consecutos, fidelitatem facere debere, dubitare non ineptè poterat, quid iuris in casu conuerso, nempe si feudi proprietas in plures quomodocumque sit diuisa, an ne tunc simili ratione vasallum pluribus oporteat dominis fidelitatem iurare & impendere? cuius rei dubitationem soluit sic, protinus & continuò subiungens, videlicet: Ita tamen, vt vasallus pro vno feudo plures dominos habere non compellatur, per quæ generica & luculenta textus verba, quæstio hæc mihi extra controuersiam esse videtur. Cuius constitutionis eam rationem esse probissimè dixeris, ne scilicet vasallus plurium dominorum obsequiis cum maximo suo dispendio, minimoq; dominorum fructu, ceu procellis vndique ingruentibus obruatur. Dum enim in vtrunq; festinatur, neutrum bene peragi constat: pluribus quoq; distractum, minus ad singula, humanum valet ingenium. Quinimò sic natura comparatum esse; vt nemo duobus dominis seruire possit, cœlesti oraculo perdocemur? Aut enim vnum odio habebit & alterum diliget: aut vnum sustinebit & alterum contem-

net. Matth. vi. c. At domini amorem assiduè, & quidem re ipsa, præ se ferre vasallum conuenit. sup. de feu. da. in vi. le. cōmis. c. i. & c. vni. de for. fide. Non moror, quid vel Bal. alibi, vel hic Aluaro. & eius cōpilator Præposi. dicant, per l. vt iurisiurandi §. si liberi. ff. de oper. liberto. Vbi liberi pro æqualibus partibus actionem operarum contra libertos habent: nam feudorum placitis contrarium est statutum. d. §. præterea Ducatus, igitur cessant argumenta legalia, nullúsque in certis coniecturæ datur locus. Præterea, longè alia vasallorum quàm libertorum est ratio, cùm vasalli vitæ necisque discrimen pro dominis tuendis vel in acie ipsa subire cogantur: adeò, vt ad extremum halitum, perpetua tum fide, tum constantia eis adesse fixeque adhærere debeant, nisi feudo cadere velint. sup. quibus mod. feud. amitt. §. i. & sup. quæ fuit prima cau. benef. amit. §. item qui dominum. Hanc autem aleam tam periculosam cum pluribus & variis dominis, vnum eundémque vasallum eiusdem feudi ratione cogi subire. & ratio & natura ipsa refugit, vt interim silentio præteream, ineptissimè cum feudo beneficium conferri libertatis, quæ res est inæstimabilis. l. libertas. ff. de regul. iur. Nam de hoc satis diximus. sup. de mili. vasal. qui contum. est. Hæc quum ita se habeant, non singulis domini feudalis hæredibus, sed omnium nomine, vni ab ipsis creato & deputato iurabitur, necnon fidelitatis obsequia impendentur. Nam oportet conuenire hæredes, vnúmque creare, cui iuretur omnium nomine, vt est textus, à simili hæc optimè probans in l. ergo quamdiu §. creditoribus tamen. ff. de fideicom. liberta. Aut si malint, distribuere, & numero partiri inter se vasallos, poterint, vt suum quemque dominum vasallus quisque agnoscat. Id enim fieri posse & vsurpari asserit Bald. in l. liberti libertæque, circa fi. versiculo. quæro an vasalli possint diuidi. C. de operis liberto. quod etiam ab Aluaroto & Præposito hic est relatum.

§. *Adoptiuus filius in feudum non succedit.*

Filius per adoptionem factus, patri adoptanti in feudo non succedit.

1. Quandoquidem feudum est beneficium, quod ex beneficentia datur alicui, vt vsusfructus illius ad accipientem transeat, ac ad eum hæredésque eius pertineat, ea videlicet ratione, vt ille, & eius hæredes domino fideliter seruiant §. vlti. sup. in quib. cau. feudum amit. consequens est, hæredis vocabulo, in re feudali, non filium hæredémve adoptiuum, sed verum ac naturalem comprehendi. Etenim feudum concedens, ad personam accipientis, posterorúmque eius respexisse existimatur, quum in filiis & posteris, paternæ ac hæreditariæ sortis exempla (siue crimen, siue virtutem spectes) præsumantur. l. quisquis §. filii verò. iuncta gloss. super verbo, in quibus. C. ad legem Iul. maiesta. nec id mirum fuerit, quum alioqui ex ipsa etiam natione, morum præsumptionem eliciant iura. l. quòd si nolit §. qui mancipia vendunt. ff. de Aedil. edict. Veros itaque liberos, veróśque posteros à primario scilicet feudi acquisitore prognatos, non commentitios, non vmbratiles is qui feudum concessit, spectasse videtur, ex radice dubio procul, surculorum æstimatione concepta, siquidem adoptionis & arrogationis imagine, naturæ veritas obumbratur. l. filio quem pater. ff. de libe. & posthu. Quo fit, vt quemadmodum is, cui in tempus liberorum, tertia pars relicta est, vtique non poterit adoptando, tertiam partem consequi. l. si ita quis testamento §. vlt. ff. de lega. ij. ita nec adoptādo, ad filium transmittere feudum ille poterit, qui hoc pro se, liberísque suis est consecutus, vt hoc textu, cuius ea sit ratio, quòd ad liberorum cōditionem nihil habeatur momenti adoptionis commentum. l. fideicōmissum à filiis. ff. de condi. &

demonstra.

demonstra. Par ius in arrogatione obtinere censendum est, secundum Bal. hic. Cur enim non idem in ea respondeatur, ratio reddi non potest, vt alio fine dixit Iureconsultus, in l. à Titio. ff. de verbo. obliga. Cæterum pacti tenore, legeve municipij, aut loci consuetudine, adoptiuum filium, ad feudi successionem admitti posse Alua. hic adstruit, & sup. de succes. feu. in prin. Idem in filio arrogato authoritate principis, ea lege, vt in feudum succedat. Baldus hic inquit, argu. l. quod principis. ff. de aqua plu. arcen. quod intelligo nullis extantibus agnatis, ipsoque principe feudi domino existente. Alioqui principis rescriptum nihil statuet in iuris præiudicium alieni. l. rescripta, & l. quoties. C. de preci. Impe. offe. & c. quamuis de rescrip. libro. vi. quoniam princeps vt alius quiuis naturæ & consuetudini feudorum parere debet. c. I. & ibi. Bal. sup. de natu. feu. nisi sciens prudensque potestatis suæ plenitudine vteretur, de quo in §. naturales, inf. eo. titu. Denique argumento huius tex. probe dicetur, successionem emphyteuticam ad filium adoptatum non pertinere, quod & And. Barba. ad Bal. hic annotauit, & ante eum Specula. affirmauit, in §. nunc aliqua, versi. lxviij. quæritur quid de adoptiuis. tit. de loca.

§. *Mulier habens feudum, relictis filiis ex duobus matrimoniis decessit, inter quos feudi quæstio aliarumq; rerum maternarum vertebatur. Obtinuit, filios prioris matrimonij, tam in feudo, quam in cæteris potiores esse.*

Loci consuetudine recipi potest, vt tam in feudalibus quàm aliis bonis, matri succedant filij priore eius matrimonio nati, genitis postmodum ex secundo matrimonio seclusis.

1. Quanquam hic tex. iuri scripto repugnet, secundum glo. hic vt l. si. C. de legiti. hæred. & (quemadmodum Aluarot. præfatur) ab omni exorbitet ratione, tamen in contradictorio iudicio, secundum eum pronunciatum in auditorio Cæsaris commemini, me quoque suffragante. Sed hunc tex. nõ simpliciter vbique, verùm eo duntaxat in loco, vbi moribus, vsuque specifice receptus est obtinere, non est ambigendum. Proinde vt ei sit locus, necessum est, talem consuetudinem alicubi vigentem & allegare & probare, secundũ Bal. Alua. & Docto. Sicuti corã tribunali Cæsareo legitime probata fuit, siquidem consuetudo in successionibus deferendis, miti & efficacis est momenti. Ea namque disponente, tum in Anglia, tum aliis in regionibus, primogenitũ in successione omnium bonorũ reliquæ soboli constat præferri, de quo per Cy. in l. cunctos populos, in vlti. colum. C. de sum. tri. & fi. Catho. vbi & Bal. versiculo, Deinde quæro circa statuta permissiua, credit legem quoque municipalem valere permittentem vt primogenitus solus succedat, fratresque alij submoueantur, modò tamen alimenta eisdem suppeditentur, quibus se exhibere possint. Porro has consuetudines inueteratas, & longa seculorum serie authoritatem nactas, etsi legali obuiantes æquitati, reuellere non expedit, ne videlicet, rebus nouis, quies publica perturbetur, quod prudens Imperator velut per transennam, nobis conspiciendum præbet dum ait. Præses prouinciæ probatis iis, quæ in oppido frequenter in eodem controuersiarum genere seruata sunt, causa cognita statuet. Et paulo post. Ne quid contra longã cõsuetudinẽ fiat, ad solicitudinẽ suam reuocabit præses prouinciæ. l. i. C. quæ sit lõga consue. Cessante verò prælibata loci consuetudine, dubium non est, omnes æqualiter filios ad feudi successionẽ vocari, vt visum est. sup. de gra. succe. in feu. & c. I. inf. de nat. succes. feu.

§. *Naturales filij, licet postea fiant legitimi, ad successionem feudi nec soli nec cum aliis admittuntur.*

Feudalis

Feudalis successionis non sunt capaces filij naturales, hoc est illegitimè nati, siue soli, siue cum aliis admitti velint, etiam si postea legitimationis beneficium sint consecuti.

1. Hoc feudale placitum pudicitiæ est dicatum, quam semper colendam Iustinianus censet. l. si qua illustris. C. ad S C. Orficia. ne videlicet impudicis amoribus frena laxentur, neue concubinarum amplexus, iusto matrimonio, nobiles, aliiqꝫ vasalli (militare plerumqꝫ hominum genus) præferant. sed iustis nuptiis sobolem procreent paternæ hæreditaris ac conditionis successorem. Tum etiam æquitatem continet maximam, cum illegitimi isti legitimorum cohæredes esse non debeant, ideò naturales vocitati, quod eos sola natura genuit, non honestas coniugij. c. vlti. xxxij. q. iiij. Notum quippe est illud sacræ ex sacris literis, ad Abraam. Gen. xxi. Eiice ancillam hanc & filium eius, non enim erit hæres filius ancillæ, cum filio meo Isaac. Nam secundum Ambrosium habere non potest hæreditatis consortium, qui nō habet originis priuilegium. c. dicat aliquis. xxxij. q. iiij. Sed nec soli ad successionem feudalem admitrentur, quum liberis legitimis non extantibus ad proximos agnatos feudū deuolui constet. sup. de gradi. succe. in feudo. c. i. & sup. qui feudum da. pos. §. cum verò Conradus. Præterea liberorum & agnatorum deficiente successione, ad ipsum dominum feuda relabuntur. sup. de alie. feu. §. & si clientulus. Quemcunque igitur succedendi euentum spectes, ratione non congruere vides, vt ad hosce naturales, hoc est, illegitimos filios, hæreditario iure, feuda cōmigrenr. nisi forsan eo pacto primitus sint concessa. Quemlibet enim, pro suo arbitratu, dominus, sua concessione ad feudum reddit habilem, etiam seruum. c. i. §. personam, sup. per quos fi. inuesti. secundum Aluaro. Præfata obtinent, siue paternum, siue maternum sit feudum. Aequali enim ratione illegitimi arcentur ab vtroqꝫ, quum præsens textus non distinguat. argu. l. de precio. ff. de publicia. secundum And. ab Yser. Quare tametsi iure ciuili illegitimus matri succedar. l. si qua illustris. C. ad S C. Orficia. in feudo tamen eidem succedere nō poterit, per hunc tex. Hæc quum ita se habeant, consentaneum est, vt iuxta hunc tex. naturales isti, nec legitimationis consecuti beneficium, in feudis succedant, etiam si de feudali successione, natalium meminerit restiturio, quandoquidem ea in præiudicium damnumqꝫ alienum vergeret, vt ex superioribus liquet. verùm in cuiusquam iniuriam beneficia tribuere, mori snon est imperatorij. l. nec auus. C. de emanci. libe. Et rescripta demū ea impetrari permittit princeps, quæ nō lædunt alium & prosint petenti. l. rescripta. C. de preci. impe. offe. non autem ea, quæ sine graui partis dispendio, concedi non possunt. l. quoties. C. eo. tit. Quamquam enim princeps legibus sit solutus. l. princeps. ff. de legi. digna tamē vox est maiestate regnātis, legibus alligatū se principē profiteri. l. digna vox. C. de legi. nihil enim tam proprium imperij est, quàm legibus viuere. l. ex imperfecto. C. de testa. Attamen si princeps sciens prudensqꝫ, summa illa sua potestate vti vellet, etiam cum incommodo alieno, quidpiam concedere posset. l. ij. §. si quis à principe. ff. ne quid in loco pub. idqꝫ non solum motu, vt aiunt proprio, verùm etiam ad impetrationem partis, vt ibi. Rescriptum quippe Imperatoris scientis & expressim aliquid concedentis, non vulgaris esse momēti conspicitur. l. idem Vlpianus, §. sunt & alij. ff. de excu. tuto. Sed non facile principem, summa illa potestate, rem gerere congruit. l. ij. ff. de natali. restitu. Vbi dicitur, Imperatores non facile solent quenquam natalibus restituere, nisi consentiente patrono, cui etiam consonat. l. qui in prouincia §. vlti. ff. de ritu. nuptia. Vbi Imperator non facilè,

facilè, non leuiter, sed ex multis causis in vnum concurrentibus mouetur, vt statum liberorum confirmet. Cæterùm si in casu subiecto in præiudicium liberorum, aut agnatorum, Princeps expressa maturaq; sua voluntate, atq; plenitudine potestatis illegitimum ad feudi successionem, natalium restirurione habilem effecerit, parendum Imperatori fore concors hic habet opinio glos. Iacobi à Belui. Pe. de Ceruo. And. ab Yser. Bal. & Aluar. Quam ex doctissimi Iureconsulti Zasij intelligo sententia, si vel publicæ vtilitatis commodum, vel alia iusta causa obseruetur. Tunc enim (vt ait) Principis iussionem, si sciens potestatisve plenitudine iuberet, recipiendam esse non negamus, etiam si de causæ veritate res esset ambigua, pro ea enim præsumi ratio docet, dum tamen sit iustus, sit prudens, ponderoso sit iudicio, non tyrannus, non inconsultus, non ex aulicorum arbitrio pendens, non facilis in diplomatis elargiendis, & ita Cyn. sententiam in l. rescripta. C. de preci. impe. offe. exaudimus. Et hanc puto esse veritatē, quicquid Alexan. & nonnulli in diuersum vel scripserint vel consuluerint. Quamuis enim clansulis supradictis (scilicet, ex certa scientia, motu proprio, & de plenitudine potestatis) mulra tribuamus, si tamen Princeps eas ad cuiusque preces sine delectu, & velut ex asserta styli consuetudine, inseri per exceptores pateretur, vel euidenter nulla iusta causa interueniret, hic difficile est, dictis clausulis in necem iuris tertij, quicquam prærogari. Hæc inter alia Zasius in l. ij. in annotatione verbi, ratum esset, circa fi. ff. de origi. iur. Legitimi autem facti, matrimonio postea inter parentes contracto, succedere in feudis vel soli, vel cum aliis posse videntur, non refragante hoc textu, qui ad hunc legitimationis modum non porrigitur, secūdum crebriorē conclusionem DD. post Iacob. à Belui. hic. Quum enim tanta sit vis matrimonij, vt qui anteà sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur. c. tanta, qui filij sunt legitimi, etiam quantū ad feudi successionē attinet, legitimi habebūtur, secundū Panor. ibidem post alios, super prima glos. Quam sententiam accipiendam puto, si nec tenor formaq; inuestituræ primæuæ repugnet, secundū Bal. hic. nec curię reluctetur cōsuetudo, nec deniq; ipsa feudi qualitas refragetur. Quid enim si feudum sit dignitatis, quid si insigniter sit nobile? profectò aliam id consyderationē flagitare videtur. Est tamē casus, quo naturalis succedat in feudo, scilicet ex matrimonio putatiuo natus, veluti si monachus aut sacerdos vxore ducta, aut monialis seu maritata alij nubens filium procrearit, altero coniugū hoc ignorāte, quanquā sciuerit alter, filius tanquā legitimus habebitur, & parētibus succedet, secundū Aluar. hic, post Bal. in l. qui contra. C. de incœst. nu. per. c. ex tenore, ext. qui fil. sunt legiti. vtroque tamen hoc impedimentum sciente, proles nata legitima neutiquam censebitur, porrò nec in feudo succedere poterit.

§. *Si minori datum fuerit feudum, fidelitatem facere non cogatur, donec venerit in maiorem ætatem, in qua doli capax sit: feudum tamen retinet.*

Impubes feudum nouum consecutus, rectè eodem vti frui potest: fidelitatis tamen sacramentum exhibere domino non cogitur, ante ætatem doli capacem: quam decem & quatuor annorum circulo metimur.

1. Quum impuberūm ætas quid videat ignoret, vt alio fine dicitur, in l. 1 §. vlti. C. de fal. mone. Et ideo iurisiurandi vires non capiat, sicq; nec fallere sciens, nec delerare posse videatur. l. qui iurasse. in princip. ff. de iureiuran. rationi consentaneum est, hoc differri in tempus iudicij plenioris, ita vt interea nec pupillus, nec alius pro eo, fidelitatis sacramentum præstare cogendus sit, vt hic. & §. sequen. Ediuersò, si pubertati proximus, aut per se, aut

per

per procuratorem, vltrò se ad iurandum obferat, domino inuito admittendus non videtur: ratione reciprocæ similitudinis, qua vltrò citroq; & dominorum & vasallorum munia expendere solemus. iuxta §. vlti. sup. de for. fideli. Cæterùm domino sic volente, hoc iuramentum ab impubere recipi posse dixerim: alio postmodum non exigendo: sibi enim imputet, qui contentus fuit hoc à minore præstari. arg. d. l. qui iurasse. Porrò an labente pupillari ætate, feudum nouum adeptus per tutorē, aliúmve, seruitiis feudi satisfacere cogatur, ex iis dependet, quæ in sequenti §. annotabimus.

§. Si quis decesserit filio impubere relicto, fidelitatem nec ipse nec alius pro eo facere cogitur. Idem de seruitio personali, alius tamen pro eo faciens seruitium admittetur.

Quemadmodum feudum nouum, sic & paternum impubes successione adeptus, nec fidelitatē per se aliúmve iurare domino, nec seruitium personale præstare cogendus est. Vltrò tamen suaq; sponte, per interpositam personam, si velit, feudi obsequiis satisfacere ac respondere poterit.

1. Impuberem vasallum placita feudalia non constringunt ad personalium seruitiorum exhibitionem, sed eius permittunt arbitrio, vt si velit, per substitutum seruire possit, vt hic. Consuetudine tamen locorum in contrarium vigente, etiam impubes rectè compellitur, vt per alium feudi onera ferat, seruitiaq; consentanea & consueta impendat. Etenim vbique ferè recepit vsus, secundum gloss. hic. vt per substitutos, vasallorum munus explicent impuberes, idq; vel inuiti, non tamen feudi priuatione, sed mulcta pœnáve arbitraria, negligentes, seu contumaces in ordinem redigendi, secundum Aluaro. hic, & Bal. in §. superiore. Præterea si feudum in id seruitij genus sit contributum, quod impuberem præstare nihil vetat, hic minor ætas vasallum non excusabit, secundum Iacob. Ardizo. in sum. l. vt iurisiurandi. §. dabitur. ff. de ope. liber. l. vlti. §. fi. ff. de libe. cau. Postremò, omnis sciat impubes, emenso decimo quarto suæ ætatis anno, se infra subsequentis anni & diei coronam, inuestituram feudi à domino petere, fidelitatemq; ei iureiurando promittere debere, alioqui negligente feudo casurum. §. præterea, si quis. inf. de prohi. feu. alie. per Fride.

§. Titius filios masculos non habens, partem suam feudi Seio, partem eiusdem feudi possidenti agnato suo concessit. Sempronius proximior agnatus, mortuo demùm Titio, partem illius feudi, nullo dato precio, recuperare potest. Quòd si Titius filios proprios haberet, precio reddito etiam viuo Titio. quòd si consensit alienationi, vel per annum ex quo sciuit tacuit, omnino remouebitur.

Huic textui cōmentatores nostri diuersis interpretationibus caliginem quandam obfuderunt. Ego congruo, vt arbitror, sensu, eum explanabo. deindè paucis attingam ascititiam interpretationē, quam nobis Alua. hic prodit. Erit tamen genuinus huius c. intellectus hodie non omnino frugifer, quum per alia placita abrogationē ferè acceperit, vt inferius admonebo, verùm ob id ad supposititia commenta non fuerit declinandum. Intelligo igitur, hunc §. de reuocatione feudi, illicitè, hoc est, sine domini consensu alienati, statuere: quemadmodum & Iacob. à Belui. sensit. Species autem negotij est talis: Titius quidam feudum obtinens, liberisq; carens, partē eius diuendidit Seio, reliquam verò feudi partē, agnato suo possessionē eius fortè nacto, etiam accepto precio, concessit, idq; domini non adhibito consensu: quare ex hoc themate surgit quæstio geminæ dubitationis. Prima, an ne à Seio proximior Titij agnatus. Secunda, an ne ab agnato illo remotiore,
hoc

hoc feudum,& quando,recuperare queat? Ad primam non respendet,quasi iustæ dubitationis scrupulo careat. Ad secundam vero responsum infert, ceu dubium aliquod probabile continentē: videri enim rudibus poterat, nō veram alienationē,sed quandam potius fieri refutationem,quum in agnatū vasallus feudum transfert.inf.de alie.pa.feu.c.i. Sicq; reuocationi locū non patere. Sed hunc nodū dissecans textus subiungit,proximiorem agnatum, post mortem Titij alienatoris,nulla precij refusione, feudi partem in agnatum remotiorem translatam vendicare, & reuocare posse: idque nimirum sanguinis & proximitatis iure,quo hic remotiori,in feudali successione est potior,vt de success.fra.vel gradi.succeden.in feu.c.i. Et hæc ita se habent, filiis nullis superstitibus ab alienatore Titio genitis. Si enim is filios reliquisset,alia foret huius quæstionis definitio. Siquidem hac specie, & viuo Titio,precij tamen restitutione facta, feudum præfata ratione alienatū proximior recuperare posset: nisi alienationi,vel expressè,vel tacitè assensisset, videlicet,annali spacio sciens ei prudensque conniuens: hic enim postea,ad reuocationem admittendus non fuerit. Hunc verum esse huius §. sensum,& Iacob.a Bel.quo ad primam partem,& Bal.quantum ad secundā attinet, liquidò testantur comprobanturq;. Etenim Iacob. à Belui. de alienatione illicita hunc textū accipiendum dicit, infertq; hic text.esse vnicum in volumine feudorum vniuerso,quo probetur haud filios, in feudum nō legitime alienatū, sed proximiores succedere agnatos,hoc pacto etiam præsentem tex.intellexit in sua illa distinctione, in §. vlti.sup. quæ fuit prima cau.benefi. amitt. quam & Bal. ibi recitat, & in fine veram esse pronunciat. Secutus est & hunc §.intellectum Alua.ibidem.in conclusione xxv.licet hic in alias ambages prouoluatur. Et si rationem quæras,cur in hac specie alienatio patris illicita,filiis præiudicet,non etiam agnatis.Respondere potero, delictū patris secundū feudorum consuetudinē,præiudicare filiis,vt videre licet,in §.si vasallus culpam,inf.eo.ti. deliquit aūt parens feudum alienando,sine domini consensu: itaq; hoc ad proximiores deuoluitur agnatos, vt hic. Etenim culpa alienantis,non ita in hos,sicuti in filios, recto tramite descendere potuit. Si itaque non descendit culpa, nec vtiq; descēdet pœna,quæ expiatrix est culpæ.argu.l.sancimus.C. de pœ.& hoc argumēti genere alicubi vsus est Bal. Porrò si quæras. Cur liberis non superstitibus, mors alienatoris sit expectanda: illis verò extantibus, mox agnato reuocatio alienati feudi concedatur? respondebit tibi idem Bal. in quodam consilio scilicet, in feudalibus non curandam esse strictam rationem, sed consuetudinē, & placitorum contenta attendenda esse: quanquam si iure summo mecum experiaris,dicere possim,optimo exemplo hoc statutum esse: vt scilicet superstites filij, eo spectaculo,actus inquam paterni retractatione, discant feudi dominū contemnendū non esse, sed tristi experimento, rudibus annis imbibāt,sine eius consensu,feudū alienare non oportere. Quod autem de precij restitutione hic dicitur,secun. antiqua obtinet iura, recentioribus quippe feudorum placitis, non id reuocans agnatus, sed venditor ipse vasallus restituit emptori,modò fuerit bonæfidei,& illicitæ alienationis ignarus. Alioqui precium hoc fisco cedet.Quia tam venditor ipse,quàm emptor conscius,& feudo & precio carebūt.vt inf.de prohi.feu. ali. per Lotha.&.inf.de prohi.feu.alie.per Fride.§.1.& ibi per glo.& Aluaro. Similiter quod de expectanda morte alienatoris hic dicitur, nullos habentis filios, &c.hodie non obtinere probabiliter dixeris, per ea quæ habet Aluarotus. in §. vltimo supra, quæ fuit prima causa beneficij amitten. conclusione

xxvij. vbi inquit alienationem non legitimè factam etiam in vita alienãtis reuocari: quum statim ab ipso initio iure non valeat: sicq; protinus suopte vitio collabatur, vt infra, de prohi.feu.alie.per Fride.versi.nos autem. Cæterum Aluaro. tex. præsentem in themate licitæ alienationis intelligendum putat, vt scilicet proximior agnatus feudum licitè alienatum, reposcere queat, mortuo alienatore, nullis superstitibus liberis, idq; nullo refuso precio. Si aũt supersint liberi, hoc exclusis agnatis, liberos ipsos, protinus nõ expectata patris morte reuocaturos, precio tamẽ restituto. Sed huic sensui series & contextus ipse huius §. siue principium, siue medium, siue finẽ spectes, minimè quadrant. Siquidem versiculus ille. quod si viuo Titio &c. præcedens thema declarat, & restringit, non autem nouum proponit, vt phrasis ipsa clamat. Deinde versiculus. quod si consensit &c. manifeste indicat textum in vno eodemq; themate, videlicet sola agnati proximioris reuocatione persistere, vt interim taceam, quàm absonũ sit, filios etiam patre viuente feudum alienatum, restituto precio, reuocare. Vnde obsecro viuẽte patre, filiis nummi & pecuniæ, quibus hoc precium emptori refundant? nõ enim semper castrense, vel quasi castrense peculium liberi possident. Item quum filij in patria consistant potestate, quomodo eis hanc reuocationem facere integrum fuerit, viuo patre? Quantam porro existimes inter patentẽ, liberosq; exorituram contentionem, aut si fortè colludant, quàm fuerit indecorum si quod hodie cum domini consensu alienauit pater, id secundum Aluaroti expositionem, protinus in irritum filij reuocare valuerint? cõtra l.ea quæ a patre. C.de resti.mili. Tolerabilius autem hoc eis præsenti specie, post mortẽ patris concedetur, agnatis aliis postponendis, modo patris non fuerint hæredes: hæredem enim factum defuncti præstare dubium non est, l.cum à matre. C.de rei vendi.de quo per Iacob.à Bel. & alios in §. vlti. quæ fuit pri.cau.benefi.amit. Scimus tamen, nos cum alibi, tum in §. hoc quoq;, sup.de success. feu. Aluaroti intellectum secutos fuisse. Sed iam rem exactius trutinantes, eum textui præsenti congruere non putamus, etiam si in se verus placitisq; feudorum consentaneus foret.

2. Ex fine huius §. collige proximiorem agnatum consentientem alienationi feudali, ius reuocandi feudi amittere, de quo prolixius in §. præterea supra, quib.mo.feu.amit. Idq; obtinet, siue is expressus, siue tacitus fuerit consensus. Tacitum autem inter alia, etiam anni lapsus progignit: si videlicet infra eum, sciens prudensq; agnatus alienationem in remotiorem agnatum factam, non impugnarit. Sagax igitur & vigilans sit, ne annale hoc tempus per conniuentiam elabi patiatur: alioqui silentio excludetur. Attamen si ab extraneo feudum reuocandum fuerit, non lapsus anni, sed triginta annorum curriculum viam reuocanti præcludet agnato, secundum glo. Bald. & Aluaro. hic.

§. Si facta de feudo inuestitura pœniteat dominum antequam possessionẽ transferat: an præstando interesse vasallo liberetur, quæsitum fuit. Responsum est prætermissa illa condemnatione, dominum possessionem feudi de quo inuestituram fecit, tradere compellendum.

Tametsi ante corporalem ipsam possessionem traditam, factæ inuestituræ abusiuæ dominum pœniteat, tamen soluendo id, quod interest inuestiri feudum habere, non liberatur. Sed te ipsa feudum tradere volenti vasallo compellendus est.

1. De huius §. materia tractauimus copiosius sup. in c.1. si de inuesti.feu. contro.

contro. fue. & c. vnl. in fi. sup. de noua for. fidel. Circa hunc tex. in quæstionem reuocari solet. Quid iuris, si dominus primo Titium de feudo inuestiat abusiuè, secundo autē propriè Sempronium inuestiat de eodē, tradendo videlicet ei possessionē feudi, vter præferri debeat? Et quidem secundū crebriorem opinionem, ille præferendus fuerit, qui prior possessionem est adeptus, secundum glo. & Aluaro. post alios per l. quoties. C. de rei vendic. quā & Iason ibi in xij. limitatione, in feudalibus obtinere dicit. Idq; obtinet, etiā si titulo sit posterior, modò de priore possessionis traditione constet. Attamen primo inuestito hac specie; in id quod eius interest, feudi possessionem habere, condemnabitur inuestiens, vt per glo. hic. argu. l. i. in princi. ff. de actio. emp. Textus igitur præsens intelligitur, nisi secundo inuestito ipsa feudi possessio fuerit tradita, hac enim specie prior inuestitus à feudo eliminatur, per ea quæ dicta sunt. Denique Aluaro. hic quæstiunculas subiungit. Quid iuris, si feudū cū ea clausula, videlicet saluo iure primi per inuestiturā tradatur secūdo, vel cū ea cōditione, si primus inuestitus aut à me, aut à te possessionem petierit, volo vt eam mihi restituas tradendā illi. Sed horum solutionis fides apud autorem consistat. Ego autem possessionem sub conditione tradi posse à Iuliano didici. l. qui absenti. §. si quis possessionem. ff. de acqui. vel amitt. posses.

§. Filij nati ex ea vxore, cum qua matrimonium tali conditione contractum est. Ne filij ex ea nati, patri ab intestato succedant: nec in feudum succedunt. Nam quamuis ratione improbetur talis conditio, ex vsu tamen admittitur.

Loci consuetudine vsuq; recipi potest, vt filij (matrimonio ea conditione cum muliere quapiam contracto, ne liberi ex ea suscepti, paternam ab intestato hæreditatem adeant) à paterna arceantur successione, nec ad feudi beneficium admittantur: quanquam talis conditio nec iure, nec ratione satis niti videatur.

1. Quanquam pacta etiā dotali instrumento cōprehensa, quæ liberis ad bona paterna regressum præcludunt, iuris autoritate improbentur, sicq; ab intestato patri succedere, ea ratione non prohibeantur. l. pactum dotali, C. de colla. nisi pacta talia non vi nec dolo iuramēto fuerint firmata. c. quamuis, de pactis lib. vi. Tamen vsu & specifica loci consuetudine, ea tempore sponsaliorum à parentibus interponi possunt, ac interposita suum vigorem obtinebunt, liberisque præiudicabunt. Idq; tam in patrimonijs ac liberis bonis, quàm feudalibus: vt hic in tex. qui tamen loci sui terminis & finibus circumscribendus fuerit, nec ad alias regiones, in quibus hic mos non viget, euagari permittendus, propter exorbitantem rationis defectum, quo consuetudo hæc municipalis laborare conspicitur. Interpretes autem nostri post glos. hunc textum accipiunt eo de pacto statuere, quo filij secundi matrimonij, à paterna successione eliminantur. Eumq; hoc deliniant exemplo. Quòd liberis ex prima vxore generosa susceptis, cum plebea postmodum hoc pacto, de quo in tex. contractæ sint nuptiæ. Id vmbrā quandā rationis, præse ferre poterit, nobilitatis videlicet prærogatiuæ intuitu, vt familiarum salua sit dignitas & honor: argumēto l. i. §. sed & si seruus. ff. de ventre inspi. Sed Bald. textum hunc latius patere existimat, vt scilicet, tam fauore liberorum primi matrimonij, quàm secundi, pacta hæc nuptijs interponi queant, consuetudine videlicet adstipulante. Re vera textus hic genericè disponit, nec discrimen aliquod inter nobilium & plebeorum coniugia constituit, multo minus sobolis, primi, ac secundi thori differentiam

rentiam prodit.huic §. affinia sunt quæ habentur,in §. mulier.sup. eod. tit. & in c.i.inf. de fi.na.ex matri.ad morga.contract.

§. Licet vasallus domino seruitium non offerat, quantocunq; tempore steterit (dummodo domino petenti seruire paratus sit) beneficium non amittit: si tamen sciat, ei magnum periculum imminere, vltrò adiutorium suum ei debet præbere. Indè quæsitũ est, si dominus in periurium incidat, quia dare non valeat quod dare iurauerat: & vasallus eum liberare possit suam pecuniam dando, & non facit, an beneficium amittat? & responsum est, non amittere.

Vasallus, quantocunq; temporis spacio, obsequium, seruitiumq; suum domino feudi non obtulerit, modò requisitus & interpellatus operam suam impendere paratus sit, feudum non amittit: Attamen si magnum discrimen ac periculum domino imminere cognoscat, vocationem non expectabit: sed ipse sui monitor & excitator erit, vltróque domino suppetias feret, auxiliúmque suum impendet. Verùm enimuerò si dominum iurisiurandi vinculo obæratum, datis suis nummis, cùm potuerit, à periurij discrimine non præseruarit, feudum ob id neutiquam perdet.

1. Vasallus ad obsequia præstanda à domino non interpellatus, quantocunq; tempore ociosus feudum possederit, illud non amittit, vt hic. Veruntamen nulla ob id se præscriptione, aduersus dominũ, tueri poterit, quo minus seruitia feudi obire cogatur. Etenim dominus, si voluisset, ea exigere potuisset, itaq; semper in quasi continua seruitiorũ possessione fuisse videtur, secundũ Alua.hic.argu. l.arboribus §. vlti.ff.de vsufru. Nam si vasallo tam diuturni temporis ocium fraudi esse non debeat, vt hic. pari modo nec dño §. vlt.sup.de for.fide. Vbi vasalli & domini reciproca diffinitur conditio. Proindè si pertinaciter recusare pergat obsequium, præscriptionis intuitu, feudo etiam cadit, per argumentũ à cõtrario sensu sumptum ex verbis textus huius. versiculo, dummodò domino petenti seruire paratus sit.

2. Domino in graui periculo, magnoq; discrimine constituto etiam vltrò, nõ expectata vocatione, succurrere & auxilium præbere vasallus debet, modò id sciat, vt hic. vel scire debeat. l.quód te.ff.si cer.pe.secundũ Alua.cõcor §. ad hoc quantocunq;.inf.hic finitur lex. Similiter nulla expectata interpellatione, ad seruitia statis diebus, certoq; anni tempore debita, vasallum teneri, dixi in §. sed nec alia.sup.quæ fuit pri.cau.benefi.amit.

3. Licet egestati pecuniariæ ipsius domini, substantiam suam vasallus nõ impendat, nec ab eo periurij reatũ, nummis suis auertat, feudum tamen ob hoc amittere nõ meretur, vt hic. Non enim omnis occasio, per quam fidelis accepti beneficij immemor videtur, eum ingratũ constituit, sed quædã egregiæ ingratitudinis causæ: quibus beneficium, secundũ mores curiarũ, adimi solet. su. in quib.cau.benefi.amit.versicu. die illa tamen ingratitudine. An autem dominũ ob æs alienum inclusum liberare debeat, vide in §. si delator, num.ij.sup. quæ fuit pri.cau.benefi.amit. Vbi dixi fideiussione succurrẽdum esse: nec refragatur præsens §. cùm non de fideiussione, sed de pecunia danda in nominis dominici expunctionẽ meminerit. Præterea an inopem dominũ alere cogatur cõtrouertitur. Ego id nego, quum tale quid nulla feudalis præcipiat constitutio. argumen. l.dissentientis. versicu. nulla iuris præcipit constitutio. C.de repu. l.illam, versicu. eo quod nulla constitutio super huiusmodi collatione posita est. C.de collatio.c.illa, versicu. cùm nusquam cautum inueniatur à iure.ext.ne sede vacan.aliquid innoue.

Quod Aluar.etiam probat, nisi maximum feudum summeq; opulentũ

vasallus possideret. Id ego admisetim, si aliis obsequiis eum dn̄s absoluerit. Vnum quippe, eundemq; vasallum, & feudi muniis astringere, & alimentorũ sumptibus grauare, durum fuerit, nisi fortassis eius vel culpa, vel facto, ad inopiam dominus foret redactus. Veluti, si patrimonium ferè totum ob munificentiam in vasallum exhauserit. l. decurionibus. ff. de decurio.

§. Si vasallus culpam committat propter quam feudum amittere debeat: neque filius neque descendentes ad id feudum reuocabuntur: sed agnati qui quarto gradu sunt: dummodo ad eos pertineat.

Aluarotus hunc textum à Baldo intricatũ esse præfatur: sed verius hæc quærela in ipsum competit. Ego itaq; Iacob. à Belui. & Bal. secutus, eum sic refero: Si vasallus in alium quàm in dominum, culpam, feudi priuatione dignam patret, hoc filiis ac descendentibus eius submotis, ad agnatos quarto demùm vlterioréve gradu coniunctos deuoluitur: modò feudum sit antiquum, sicq; agnatorum successioni patere debeat.

1. Hunc textũ ea de culpa, quæ in alium, quàm in dominũ committitur, accipere necessum est. Siquidem vasallo in dominum sic peccãte, vt feudum amittere debeat, non ad alium quàm ad dominũ, liberè beneficium reuertitur, vt saltem hanc habeat suæ iniuriæ vltionem. c. deniq;. sup. quæ fuit pri. caus. benefi. amit. Porrò tametsi durum videatur in specie huius text. descendentes atq; agnatos, in quartũ vsq; gradum, aliena culpa prægrauari, tamen hoc feudorũ vsibus receptum, obseruationẽ meretur: quum & sacri Canones quibusdam casibus, vsq; ad quartã generationẽ delinquentis posteritatẽ dignis pœnis prosequãtur. Idq; ea ratione, vt videlicet non minus vindictæ quàm excessus memoria propagetur. c. in quibusdam. ext. de pœnis. Pari ratione & hic pœna propagatur in descendentes, atq; adeò in agnatos, etiam ad quartũ vsq; gradum; quem labis noxæq; velut expiandæ terminũ esse feudalia placita voluerũt. Vide circa hæc quæ dixi in c. 1. inf. si vasal. feudo priue. cui defe. nume. ij. Non iam refragatur huic textui. c. vnicum. inf. an ille qui interfe. fra. domi. vbi priuatione feudi cõtingente, ob culpam erga dominum non cõmissam, ad agnatũ proximiorẽ feudum pertinere dicitur, nam ille tex. secundũ hunc intelligetur, de eo videlicet proximo, quem ius permittit esse proximũ: hoc est, illum, qui gradu demùm quarto delinquentẽ contingit, vt hoc textu. Si hanc conciliationem respicias. hunc corrigi per illum fateri cogeris, quod absurdum est. Certè non congruit ei intellectus ille cõmentitius, quem effingit Aluarot. tam hic, quàm in §. vlti. conclusione vndecima. sup. quæ fuit pri. caus. benef. amit. vt cuiuis inspicienti patet.

§. In generali alienatione vasalli non cõtinetur feudũ, nisi noiatim dictum sit.

Vasallus generaliter bona sua diuendens aut alienans, feudum alienasse non censetur, si de eo expressa non sit facta mentio.

Quemadmodũ obligatione generali retũ, quas quis habuit habiturúsve sit, ea non cõtinentur, quę verisimile est quenquã specialiter obligaturũ non fuisse. l. obligationi generali. ff. de pignori. ita nec venditione rerum generali feudum cõtinebitur, vt hic. quoniam verisimile est, vasallum absq; domini consensu, hoc specialiter venditurũ non fuisse, quum id facientem se, feudi iure priuatum iri cognouerit. inf. de prohibi. feu. alie. per Fride §. i.

§. Si vasallus feudũ alienauit ignorãs, non domino, sed ipsi vasallo feudum restituendum est: ad interesse verò emptori ignoranti condemnandus est vasallus.

Iusta ignorantia feudum alienans, eo non cadit, emptori tamen feudalis qualitatis inscio, in id, quod eius intersit rem habere, condemnandus.

 Spe-

1. Species iustæ ignorantiæ ex rei circumstantiis elicitur, videlicet, si in vniuersam defuncti hæreditatē, multis variisq; feudis cōmixtam quis successerit. l. qui in alterius. ff. de reg. iur. Aut si feudū successione acquisierit, quod ob diutinam seruitiorū cessationē, liberum putabatur, vel similis quæpiam verisimilis causa obuersetur, quæ non desidia præditum, & nimium securum arguat hominē. l. plurimum. ff. de iur. & fact. igno. Idem iuris in alienatione rei emphyteuticæ seruabitur, secundum Bal. hic, qui etiam ait dominum hac specie probationis onus manere, qua alienationē à sciente factam esse conuincat, quod intelligo, nisi ignorantia planè sit improbabilis.

2. Tametsi ignorantia feudi venditorem à priuationis pœna tueatur, tamen à solutione eius, quod interest emptoris, rem venditam habere, non liberat, vt hic. Iure quoq; ciuili obtinet, vt quamuis emptio non sit, quum in corpore consentitur, in qualitate autē dissentitur, tamen venditor teneri debeat, quanti interest emptoris, deceptum non fuisse, etiamsi venditor quoq; nesciat. l. si sterilis §. quamuis. ff. de actio. empti. Porrò in specie huius text. emptorem feudum retinere posse, donec id quod eius interest, à vasallo consequatur, Bal. hic asserit, arg. l. si non sortem §. si centum, versiculo, ager autem retinebitur, donec debita pecunia soluatur. ff. de cond. indeb. Sed hoc recipiendum non puto, ne scilicet interea temporis, alium quàm velit dominus vasallum habere cogatur, vt alio fine dicitur in c. vni. sup. de fratri. de no. benefi. inuesti. Si verò rei venditæ qualitatem emptor sciuisset, vtiquè nullam aduersus venditorem actionem haberet: hoc enim tantùm intuendum est, ne emptor decipiatur. l. i §. si intelligatur. ff. de ædili. edic. Volenti autem & scienti non fit iniuria neq; dolus. Regu. scienti. de regul. iur. lib. vi. & l. cùm donationis. C. de transactio. cum similibus.

§. *Vasallus feudum quod sciens abnegauit, amittit: ignoranti verò subuenitur. Quòd si dubitet, dubitanter respondere debet.*

Si dominus alicui controuersiam moueat, dicens: Quod tenes in feudum à me habes: Reus verò id neget, si quidem sciens, feudum perdit, si ignorans, ei subuenitur. Cæterùm si probabiliter ambigat, incertúsque sit rei, etiam ambiguè respondere permittitur. hic casus præsentis. c. basim capit ex §. vlti. inf. de lege Corra.

1. De scienter feudum abnegante dictum est. sup. eo. c. si vasallus. Ignoranter autem feudum neganti parcitur, & indulgetur, quandoquidem pœnas aduersus scientes paratas esse Scæuola respondit. l. vlti. ff. de decre. ab ordi. recipien. vbi elegans textus, nec eum affici pœna legis municipalis tradit, qui ignorans aduersus decretum fecit. Insuper dubitans, dubitanter respondere poterit, vt hic. Nec sic respondens habebitur pro confesso, nisi ita respondeat, post deliberationis terminum à iudice præfixum, secundum Bal. de quo prolixius in c. vlti. de confess. lib. vi. Quòd igitur hic dicitur, dubitanter responderi posse, intellige, nondum obtento deliberationis termino. Etenim iudex spacium ei dabit, vt certioretur. vt alio fine dicitur in l. iusiurandum & ad pecunias §. i. ff. de iureiu. & tempus ad deliberandum concedet. l. qui interrogatur. ff. de interroga. actione, post hoc obtentum, certum quid, saltem per verbum credit, vel non credit, respondere cogetur. vt dixi. sup. eo §. vasallus.

§. *Beneficium à vasallo in feudum, si nihil in fraudem legis fiat, rectè dari potest: dum tamen militi detur.*

Vasallus feudum suum alij, sibi videlicet æquali dare, hoc est, subin-

feudare

feudare permittitur. Proinde si miles sit vasallus, etiam in militem subinfeudationem reclinabit, conferetque.

1 Vt huic textui sit locus, necessario tria desiderantur. Primum, vt nō alia lege vasallus, quàm qua ipse habeat beneficij subinfeudationem concedat. Secundum, vt eam recipiens, conditione & qualitate concedentem æquet, sicque feudi muniis nec secus, nec segnius, atque author eius, respondere queat. vt hic, & c. similiter. inf. de lege Corra. Tertium, vt gratuito, liberaliter, ac syncere, nou precio, non fucata palliataque venditione, nōn vllo pecuniæ autorametno, res geratur, ac subinfeudatio fiat. Siquidem feudi dandi, non etiam vendendi fit mētio, vt hic, & in d. c. similiter. Et alibi, syncere & sine fraude, hoc licere dicitur. c. i. sup. quali. feu. pote. aliena. Rursum alibi, omne feudi prohibetur commercium. vt inf. de prohi. feudi alie. per Lotha. l. i. Denique in l. Friderici Imperatoris. inf. de prohi. feu. aliena. per Frideri. §. callidis, expresse statuitur, precio accepto, sub colore inuestituræ, feudum transferri non posse. Imò tale figmentum in fraudem legis commissum, etiam feudi dispendio fuerit expiandum vt ibidem. Toto igitur cœlo errauit hic glo. quæ innuit precium, nescio quod dimidiatum, totius feudi, nihilque amplius subinfeudantem recipere posse. Nam, vt patet ex præmissis, sine vllo precio, libere gratisque, præfata feudi inuestitura, quam subinfeudationem vocanr, concedi debet. Quorum vel illa sit ratio, ne obsequiorum feudalium & seruiciorum onera per se satis grauia, pecuniæ erogatione, preciique sumptibus reddantur grauiora, sicque dominorum & imperij vtilitas minuatur. d. l. i. inf. de prohi. feudi aliena. per Lotha.

§. *Si vasallus de beneficio suo agat vel conueniatur, siue obtineat, siue non, (licet ignorante domino fiat) omni tempore firmum erit illud iudicium, nam & transigere rectè poterit: nec quod accepit transactionis nomine, feudum erit.*

Hoc c. vario intellectu, verborumque ambagimus hic diffunditur per Alua. & alios. Res autem in se breuis est, & expedita: videlicet, vasallum tam reum quàm actorem, sine domini scientia, & consensu, in causa feudali iudicium subire posse. Proinde siue obtineat, siue succumbat, iudicium cum vasallo agitatum ratum, firmumque perpetuo fore: quum eidem quoque permittatur, vt de feudo transigere cum aduersario possit. Id tamen quod transactionis nomine receperit, feudi titulo non censebitur.

1. Præsenti textui lucem & declarationem præbet. c. vnicum. inf. de controuer. inter vasal. & ali. de benefi. vbi dicitur. Vasallum etiam domino absente, in causa feudali, vtiliter agendi & excipiendi habere potestatem: & si contra eum aut secundum eum, pronunciatum fuerit, vel cum aduersario transegerit, dum modo fraudulenter actum non non sit, etiam si postea beneficium domino aperiatur, id vires habiturum non secus, ac si eo causam agente, iudicatum fuisset, & ideo ab eo ratum haberi debere. ex quo textu iam claret, quis sit intellectus præsentis tex. dum ait, omni tempore firmū erit illud iudicium, nam firmum erit non solum quantum ad vasalli personam attinet (hoc enim omni vacat dubitatione) sed etiam respectu ipsius domini feudalis, si videlicet feudum succumbentis vasalli, tanquam sibi apertum in posterum vendicare velit. Exempli gratia, vasallus meus in cōtrouersia feudali, lite perdit & succumbit victus, ego postea eo sine hærede mortuo, aut delictū feudi priuatione dignū patrante, feudum, quod per sententiam amisit, velut ad me deuolutū, à possessore vendicare paro. Certè exceptione rei iudicatæ, siue conscius siue inscius litis fuerim agitatæ, submo-

uebor. Nam titulo nitor,ex iure vasalli mei iam pridem victi profluente: quare extincto eius iure, per rei iudicatæ autoritatem, & meum quod exinde dependet,extinctum plane sit,necessum est.Cæterùm si meo iure, nihil habente commune cum persona victi vasalli,nec aliquo modo eum respiciente,experiri,& feudum vendicare instituam,audiendus fuero: quum res inter alios acta præiudicialis mihi esse non debeat.l.penul.cum simil.ff. de re iudi. Id etiam non obscure indicat præsens textus,dum consyderare ait,omni tempore firmum erit illud iudicium.illud inquam,quod cum vasallo agitatum est,& in quo ius eius deductum est,respectu vasalli,eiusque iuris ratum permanebit,non aũt respectu iuris domini,à vasallo prorsus alieni,& in causæ cognitione non deducti.hunc præsentis.c.esse sensum And. ab Yser.quoque probat, tametsi quodam verborũ ambitu, more suo sit vsus.

2. Vasallus super re feudali,in iudicio contendens, etiam absque domini scientia,& licentia,transigere potest.vt hic.dummodo hoc nõ fiat dolo malo vt in d.c.vni.inf.de contro.int.vasal.& ali.de bene. dolus aũt non præsumitur. Igitur qui dolo dicit factum aliquid,licet in exceptione,docere dolum admissum debet.l.quoties.§.qui dolo.ff. de proba. Transactio porro vasalli super feudo inita, etiam domino præiudicium pariet, si vidilicet is iure,personam vasalli concernente fretus,agere velit, vt superius declaraui: diuersum, si iure suo à vasallo prorsus separato feudum vendicare pergat: hac enim specie,res inter alios acta,ei non prærogabit,secun. And.ab Yser. quem & refert,sequiturque Alua.& si variis lecturis fluctuare videatur.

3. Quamuis precium in locum rei succedere existimetur.l.si rem & precium.ff. de peti.hæredi. Tamen id quod transactionis nomine, alicui super feudo contedẽnti obuenit, feudi iure non censebitur. vt hic. quum id feudi titulo neque detur,neque accipiatur.Sed ea dumtaxat causa,vt à lite discedatur.

§. Domino committente fœloniam (vt ita dicam) per quam vasallus amitteret feudum si eam committeret: quid obtinere debeat de consuetudine,quæritur: & respondetur, proprietatem feudi ad vasallum pertinere,siue peccauerit in vasallum, siue in alium.

Dominus feudi proprietatem amittit vasallo applicandam tale aliquod facinus designans, quale vasallum vtili dominio priuaret, nec distinguitur in vasallum ne,an in alium patratum sit crimen.

1. Licet vasallo in alium, quàm in dominum delinquente, non ad eum, sed ad proximos vasalli agnatos feudum relabatur. c. denique, sup. quæ fuit pri.cau.benefi.amit. Tamen siue in vasallum,siue in alium quempiam feudi domino delinquenti,nulla distinctione habita,feudi proprietas adimetur, vasallo acquirenda.vt hic.intellige per sententiam secun.Bal.qui hunc text. mirandum & singularẽ esse dixit.Sed Alua. hanc inæqualitatem inter dominum & vasallum absonam ratus,præsens capitulum,suo quodam modo ad feudum nouum restringere satagit. Verùm hoc textum enecare fuerit, non explicare,nam generaliter clareque diffinit. Nec ad rem pertinet, huius inæqualitatis constitutæ rationẽ anxie perscrutari, cum in re feudali,satis existat, sic consuetudine receptum esse, vt indicat præsens c. quod consuetudini innititur. Eam tamen rationis omnino expertem non esse,rectè dixeris,vtpote quæ feudorum dominis,licentioso plerumque hominum generi, temeritatis ac audaciæ modum imponat, velutque habenas immittat: ne videlicet potentia sua,in minores, supra ius fasque abutantur. Et quoniam ferè proximorum,& agnatorũ præsidiis ac fortunis,vel adiuti,vel confisi,

in

in quæuis insolenter efferuntur, iniquum non fuit, istos feudali delinquẽtis successione prohibere, vt sic vnius pœna metus esse possit multorum. l. i. C. ad l. Iul. repetun. Nec enim mirum est, pœnas aliquando exacerbari, cum multis grassantibus opus sit exemplo. l. aut facta. in fi. ff. de pœ. quoniam hoc solum bene agitur, vt vita hominum corrigatur. c. prodest xxiij. q. v. Et adeò quidem præsentis tex. dispositio locum vendicabit, vt etiam domini facultatibus in fisci ærarium, ob crimen proditionis seu aliud quodpiam scelus perpetratum, inferendis, salua nihilominus vasallo feudi proprietas esse debeat, argu. opti. in l. vlti. §. si in libertinum. ff. de bon. damna. quod & Aluar. hic post Barto. & alios probat. nam tex. huius c. generaliter statuit, proprietatem feudalem delinquẽtis domini vasallo accrescere: itaq; generaliter intelligendus. l. i. §. quod autẽ prætor. ff. de aleæ lusu. & aleato. Si tamen sic delinquens dominus sit ecclesiasticus, non ob id in vasallũ proprietas transferetur, quum delictum personæ in damnum ecclesiæ non debeat redundare. regula delictum, de reg. iu. lib. vi. secun. Bal. Alua. tamẽn ecclesiasticum hac specie donec in administratione vitam egerit, vasalli obsequiis rectè cariturum putat. argu. c. vlti. infra, de capitu. Corra.

§. Feudum ea lege datum, vt ipse & hæredes sui masculi & fœminæ, & cui dederit, habeant: iisdem culpis amittitur, quibus & aliud feudum. quòd si vasallus alienauit: feudum esse desinit apud emptorem.

Is cui feudum hac conditione obtigit, vt ipse eiusq; hæredes, tam masculi quàm fœminæ, & quicunq; alius, cui dederit, id habere, ac retinere possint, eodem genere culpæ illud amittit, quo vasalli alij feuda perdere consueuerũt. Verùm si iam venditione aut alienatione, in alium sit translatum, feudi qualitatem mutat: itaq; ne culpa quidem commissa, reuocari poterit.

1. Huic tex. consonat c. vnicum inf. de feu. non haben. pro. feu. natu. qui inquit, hoc genus feudi, ea lege, vt in hoc tex. conspicitur, concessum, & vẽdi & donari, & alienari libere posse: hoc est sine domini volũtate. Ex his tamen causis amittetur, quibus & verum feudum amitti solet: nam iure feudi censetur, vt ibi. Sed hoc postremum (secundum crebriorem opinionem) intellige, donec scilicet apud ipsum vasallum, eiusq; hęredes feudum consistat, tum enim culpã patrantibus adimi poterit: quum hi feudi nomine possidẽtes, fidelitatis vinculo constringantur. sup. de for. fi. c. i. quamuis enim beneficium, contra cõmunem feudi rationem sint consecuti, sup. quid sit inuest. §. præterea, tamẽ iure feudi hoc obtinere intelliguntur, vt dictũ est. Diuersum obtinet, cum in alium iam fuerit alienatione translatum: nam sic feudũ esse desinit. vt in hoc c. quare consequens est, vt ob culpam commissam, reuocari amplius non possit, secundum intellectum glo. & Aluaro. in d. c. vnico, & Nicosa. Neapoli. hic inquientem, eum cui prælibatum feudi genus diuenditum est, illud non vt rem feudalem, sed vt propriam, ac patrimonialem habiturum.

2. Quanquam verba huius textus, videlcet, & cui dederit, subauditionem illam, scilicet, cui dederit iure feudi, recipere debere videantur, secundum qualitatem thematis præcedentis, tamen hoc non obtinet, ne concessio hæc ociosa & frustratoria videatur, cum quiuis suum feudum alij subinfeudare, & sic feudi iure dare permittatur. c. beneficium, sup. eod. titulo. nam quoties ex repetitione inutilis & infrugifera redditur concessio, verba priora in sequentibus non censetur repetita. argumen. l. Titia §. i. ff. de verborum obligationibus. Quapropter ea textus verba, & cui dederit, habeat, &c.

suam

suam quandam vim natiuam, absolutamq;,liberam,& plenam significationem habere debent.argu.l.si stipulatus sis rem dari.versi.sed tamen propter illa verba.ff. de vsur. Proinde feudum tale non solum iure feudi,sed etiam donationis,venditionis,atque alienationis cuiuscunque titulo, absque domini consensu,libere per vasallum transferri poterit,vnà cũ proprietate,& possessione tam naturali,quàm ciuili. secũdum Iac.à Belui.per d.c. vni. inf. de feu.nõ haben.propri. feu. natu.

§. Titius cum Sempronio fratre suo feudum paternum possidente, pactũ fecit de eo feudo nõ petendo à Sempronio hæredibusve suis. Sempronio sine hærede masculo defuncto, inter Titium & Seium fratrem suum de eo feudo quæstio orta est, quid inde fieri debeat, quæritur. Responsum est, pactum non obstare Titio.

Si frater paciscatur cum fratre,se nec ab eo nec ab hæredibus eius feudum paternum petiturum nomine hæredum,liberi solum masculi censentur comprehensi. Itaque si frater sine liberis masculis decedat, fratri paciscenti pactum non obstabit.

1. Nomine hæredis, in materia feudali, masculus continetur,vt hic, & quidem filius,vt sup.de alie. feu. c. i. versicu.& si clientulus. Proinde pactum de non petendo fratris hæredumve eius feudo,à fratre interpositum, non ad alios hæredes quàm ad filios masculos porrigetur. vt hic, de consimili materia vide infra,de eo qui si.fe.agna.

De pace tenenda & eius violatoribus.

Titulus V.

Quandoquidem præsens titulus suam tractat materiam,à re feudali (vt cernere licet) alienam,paucis exceptis,ea dumtaxat,quæ consentanea nostro fuerint instituto prosequemur: non enim in res quasuis euagari,sed feudorum placita,pro nostra virili illustrare constitutum est. Igitur omissis cæteris,aggredior. §. si duo homines,qui sic habet.

§. Si duo homines pro vno beneficio contendunt, & vnus super eodem beneficio inuestitorem producit, illius testimonium, cum inuestitor donum inuestituræ cognoscit, Comes primo recipiat: & si fidem probare poterit idoneis testibus, quod absque rapina hoc idem beneficium habuit, remota controuersiæ materia id obtineat. Quòd si de rapina præsente iudice conuictus fuerit, rapinam dupliciter soluat, beneficio verò careat, nisi iustitia & iudicio dictante illud in posterum requirat.

Hic §. cùm proprio dictionis filo admodum sit obscurus,tum commẽtatorum opinionibus, coniecturis & vacillationibus plane in Cimmerias abiit tenebras. Ego eum sic cõmodè exprimi posse existimo. Si inter duos oborta super feudo controuersia,alter feudi petitor,alter vero sit possessor, idemq; iure suo fretus,probationis onus in se transferri cupiat,inuestitorẽ suum,rem gestam agnoscantẽ in iudicio nominans, mos ei gerendus fuerit, primusq; ad iuris sui probationem recipietur:& si porro probare poterit,se rei inuestitæ possessionem legitimè, sine vlla inuasione aut violentia consecutum esse,omnis prorsus sublata erit controuersia.omnisq; litis seminarium exarescet,vtpote non titulo solùm inuestituræ,possessione etiam legitima probata. At si inuestiturã quidem probet,verùm rei inuestitæ possessionem nõ iuris tramite,sed per vim & inuasionẽ obtinuisse cõuincatur,

nihil

nihil ei inuestituræ prætextus suffragabitur, imò ob patratam violentiam hoc pœnæ feret, vt tanquam pacis publicæ temerator, precium rei inuasæ conduplicatum persoluat, insuper propter furoris sui audaciam, ipso etiam excludendus feudo, nisi postmodum legitimo nouoque titulo suffultus, iustitia & iuditio dictante illud reposcat.

1. Ex hoc textu sic enucleato elice, hic litem fuisse motam inter duos, quorum alter fuerit in feudi possessione: hoc enim clare indicant illa textus verba. Et si idem probare poterit idoneis testibus, quod absque rapina hoc idem beneficium habuit. &c. Et hoc pacto And. ab Yser. hunc tex. rectè intellexit: licet Aluaro. & plerique alij, in sensum diuersum eumque ineptum distrahantur. Porro quum actore non probante, qui conuenitur, & si nihil ipse præstiterit, obtinere debeat. l. qui accusare. C. de eden. cum similibus. supponendum est in themate huius text. feudi possessorem in ius vocatum, sponte ac suapte voluntate, probationis onus in se, dubio procul, suscepisse, vt ipsa phrasis satis commonstrat. Etenim, secundum iureconsultum, non abs re est morem geri reo, fiducia iuris sui, vltro in se probationes suscipienti. l. circa eum. ff. de proba. Qua de causa, reus possessor allegans titulum inuestituræ, quam & dominus agnoscebat, seque ad probationem iuris sui obferens vltro, merito audiendus fuit, & primo ad probandum a Comite admittendus, quanquam vulgato iuris ordine non reum, sed actorem, probandi maneat necessitas. Comitem autem hunc intellige, iudicem fuisse ordinarium loci: quum enim inter pares duos, de aliquo beneficio, controuersia sit, quorum vterque suum feudum proprium esse dicat, coram iudice vel arbitro, res finietur, infra. de lege Corra. §. si autem inter pares. Proinde si in specie subiecta, inuestituram probarit possessor, in possessione tuendus erit: non enim præsumitur possessionem vi inuasisse; argumento. l. cum precibus. C. de probatio. & c. fi. de præsump. in fine. Verùm si possessor reus tam quo ad possessionis, quàm proprietatis quæstionem perpetuo securus esse cupiat, sicque vltro probare velit idoneis testibus, se non solum inuestituram legitimè adeptum esse, sed etiam sine vlla violentia, aut inuasione feudalem possessionem acceptasse, vtique audietur. Et hoc probato, modis omnibus tutus erit: nam extirpato controuersiæ seminario, silentium actori perpetuum imponetur, vt hic.

2. Verùm enimuerò licet reus inuestituram probet, si tamen rem inuestitā vi occupasse, in iudicio conuincatur, nihil ei proderit inuestituræ concessio: quinimo ob violentam illam inuasionem, non solum cadet possessione, ac iure feudi (nam id veteri constitutione notum est, vt l. si quis in tantam. C. vnde vi.) verùm etiam pœnis violatæ pacis, vigore huius nouæ legis, subiacebit, numeraturus precium duplicatū rei per vim occupatæ. Cuius dimidium, Comiti, reliquū læsæ per vim parti cedet, secun. Alua. hic circa fi. per ea quæ habentur, in §. si quis aliquē. sup. eo. ti. Prælibata obtinent, in violento possessionis inuasore, non autem in violento retētore: nam qui per vim possessionē suam retinuit, Labeo ait, non videri vi possidere, l. i. §. sed qui per vim. ff. de vi. & vi arma. Hoc itaque textu manifestum est, violēta inuasione feudum amitti. Ea autem fit bifariam. Primò, cum post factam abusiuam à domino inuestituram, vasallus sine domini sui & iudicis licentia, propria autoritate, rem inuadit feudalem, nondùm sibi à domino traditam: non enim rectè per se; in possessionem veniet. l. fundi venditor. ff. de acquiren. possess. Nam si ex stipulatione, tibi quid debeam, & non tradam, tu autem nactus fueris possessionem, prædo es. l. si ex stipulatione.

ff. eodem

ff.eodem titulo. Secundo cum fretus inuestitura sibi à domino concessa, rei inuestitæ possessionē apud alium constitutā, sua occupat temeritate, idq; violenter. nam hoc casu, propter furoris audaciam, possessionem quam abstulit restituet possessori, & iure suo dominioq; cadet. d.l. si quis in tantam, insuper pœna huius tex. plectetur, congeminato videlicet rei inuasæ precio, cōmissam violentiam expiaturus. quod intellige, si violenter, vt dixi, possessio inuadatur, hoc enim sonant verba illa tex. quòd si de rapina. &c. quæ barbarum seculum minus proprie expressit, quum rei mobilis proprie rapina cōmittatur, res aūt immobilis inuadi dicatur. nam inuasiones circa res soli fiunt. §. quia tamen, in fi. Insti. vbi bono. rapto. Secus igitur si per errorem aut incuriam possessio inuadatur: tum enim pœnali huic textui locū non fore, rectè dixeris: quum & pœna legitima violentes solum inuasores constringere conspiciatur. l. inuasor. C. vnde vi. In superiore aūt specie, feudum illud, quo vasallus per violentam occupationem cecidit, a possessore dominus vendicare nihilominus poterit. Eius enim ius vasalli protetuia imminuere non potuit: nam in aliena non est potestate, conditionem nihil delinquentis deteriorem facere. l. ij. ff. quod vi aut clam. Nec debet alteri per alterū iniqua conditio inferri. l. non debet. ff. de regu. iu. Quapropter dominus feudum tali ratione sibi apertum rectè vendicabit, & iure suo aduersus possessorem vtetur. Et si volet, priori vasallo, (qui propter violentam inuasionē ius feudi amisit) nouæ inuestituræ beneficium eiusdem feudi probe concedet, non præiudicatura rei iudicatæ exceptione, quum ex noua causa, recensq; nata, iam rei inuestitæ dominium vtile vasallus sit nactus, per. l. si mater. §. eandem. ff. de excepti. rei iudicatæ. Hoc modo intelligenda sunt verba textus in fine, videlicet, nisi iustitia & iudicio dictante, illud in posterum requirat: nam suffultus tali noua inuestitura, feudum à possessore in iudicio rectè probeque vendicabit & requiret. Per hæc præsens text. suæ luci est restitutus, hactenus densa caligine oppressus.

§. Si tres vel plures contendunt de eodem beneficio, producentes vtrinq; diuersos inuestitores, iudex in cuius præsentia causa ventilatur, à duobus requirat boni testimonij hominibus, in prouincia eorundē litigatorū cōmorantibus, per sacramentū quod iurauerint, quis illorū absq; rapina eius beneficij possessor extiterit, & cognita ex ipsorū testimonio rei veritate, possessor beneficium suum quiete obtineat, nisi iudicio & iustitia dictante alter de manu sua illud eripiat.

Aliquibus inter se de feudo contendentibus, diuersorumq; producentibus inuestituras, iudex secundum eum pronūciabit, quem feudi possessionē sine vi nactum esse compererit, assertione & iuramento duorum testium fide dignorum, in eadem regione seu territorio, quod litigatores incolunt, cōmorantium. Etenim re sic comperta, possessor absoluetur, fruetur q; possessione sua pacifice & quiete: nisi aduersarius postea litem proprietatis exorsus, potiora ostenderit iura, feudumque ius dicentis sententia, è manibus euicerit possessoris.

1. Quoniam exitus controuersiæ possessionis hic est, vt prius pronunciet iudex, vter possideat. l. exitus controuersiæ. ff. de acqui. posses. opportune hic instruitur, quomodo possessionis feudalis probationem recipere debeat. Equidem duorū testimonio, iuxta formā huius tex. rei illius veritatē eruet. Ex quo collige, possessionē per duos rectè probari: nec mirū, quum alioqui generaliter obtineat, vt in ore duorum, vel trium, stet omne verbū, nisi aliud lex scripta specifice requirat. Testes autem ex ea regione, in

qua

qua litigantes degunt, recipientur: nam existimatione circumcolentium res melius discernitur. l. i. §. 1. ff. de fluminibus. & optimum est scrutari, in qua præsumptione sunt, qui in quaque regione commoranrur, vt alio fine dicitur in l. cùm de lanionis §. cacabos. ff. de fund. instruc. lega. Non tamen hos testes Curiæ pares esse oportuerit, cùm textus id non exigat, sed quosuis ex populo, modò fide dignos, rectè admiseris, secundum Baldum & Aluarotum. Admittendos autem intellige, secundum formam iuris iudiciique ritum, putà, lite contestata, aduersario citato, & attestationes, si velit, audiente §. & hic verò. in Authent. de testi. colum. vij. & ext. vt lite non contesta. per tot. titu. Non itaque iudex hac specie procedet ex abrupto, non in aurem sibi testes susurrare permittet, non denique clancularia inquisitione molietur quicquam, sed legitima indagine, solitóque fori tramite, rei veritatem à testibus explorabit. quicquid vel Iacobus à Bel. vel alij senserint, secundum Bald. & Aluaro. Nam vt pulchrè dixit Innocent. in c. ad nostram. el. ij. de iureiu. Super iuribus singularium personarum, procedendum non est inquirendo, vel extra ordinem, sed intentatis actionibus, & ordinario iudicio, secundum iura.

2. Is quem feudi possessionem sine vi consecutum esse probatum fuerit, causæ victoria potietur, quietúsque possessor permanebit. vt hic. Quinimò si nullis testibus probari poterit, vter, aut quis, sine inuasione, possessionem sit adeptus, adhuc potior erit conditio possidentis: nam secundum eum pronunciabitur: nisi pars aduersa violentam possessionē conuincere potuerit: vincet enim iure, quo possessores potiores sunt, licet nullum ius habeat. vt alio fine dicitur. in l. vti frui. ff. si serui. peta. ius autem illud est, vt res alienas possidens, licet iustam causam tenendi nullam habeat, non nisi intentionem suam implenti, restituere cogatur. l. fi. C. de rei vendica. Adeò magni cōmodi ac momenti ipsa est possessio. Veruntamen si iudici, feudum possidentis suspecta videatur conditio, purgationis sacramentum ei poterit deferre, etiam si actor nihil probauerit. Quod specialiter in materia feudali obtinere censetur §. sacramentum. inf. de consue. rect. feud.

3. Vasallus qui in iudicio possessorio victus est, intentato postmodum peritorio, motaque proprietatis quæstione, feudum à possessore vendicare, & si dominium probauerit, euincere valebit. vt hic. concor. gloss. super verbo Proprietatis. in l. incerti iuris. C. de interdict. & c. querelam. de elect. c. olim. de caus. pos. & pro. glos. super verbo, Causa non decisa, in c. pastoralis, eod. tit. Quoniam nihil cōmune habet proprietas cum possessione. l. naturaliter §. nihil commune. ff. de acqui. pos. Proindè post victoriam, in lite petitorij obtentam, à possessore inuito, manu militari, officio iudicis possessio transferetur in victorem. si verò dolo malo eam habere desierit possessor, quantum victor in litem, sine vlla taxatione iurauerit, damnandus est: At si dolo cessante, ea careat, nec restituere possit, non pluris quàm quanti res est, id est, quanti aduersarij interfuit, condemnandus est. l. qui restituere. ff. de rei vendi.

§. Quicunq; aduocatiam suam vel aliquod aliud beneficium inornatè tractauerit, & à domino suo admonitus non resipuerit: & in sua perdurans insolentia, ordine iudiciario tam aduocatia quàm beneficio exutus fuerit: si postmodum ausu temerario aduocatiam vel beneficium inuaserit, pro violatore habeatur.

Si aduocatia, vel alio quocunque feudi beneficio, ob malam administrationem, insolentiamque perdurantē, monitione præuia, seruatoque iuris ordine

priuatus, ademptam sibi functionem sua rursus temeritate inuaserit, pacis censebitur publicæ violator.

1. Tametsi Aluarotus varios intellectus huius §. conglomeret, ego tamen eum aduocatiæ illorum rectè accommodandum puto, quorũ expertã temeritatem audaciamq́ iura non semel in ordinem redigere studuerunt, vt videre licet in c. in quibusdam, ext. de pœn. Vbi Concilium generale, aduocatos, seu vice dominos Ecclesiarum in tantam efferri insolentiam conqueritur, vt nõ solùm cum Ecclesiis vacantibus de personis idoneis prouidendum sit, difficultates & malitias ingerant, sed etiam in bona & possessiones ecclesiasticas: imò, quod horrendum est dictu, in necem quoq; Prælatorũ, pro sua tyrannide & auaritia grassari non formident, verùm cùm id quod ad defensionis subsidium est inuentum, ad depressionis dispendium retorqueri non debeat: prohibetur ibi, ne aduocati, vice domini, seu patroni præfati de cætero plus vsurpent, quàm reperiatur in iure permissum, quòd si contrà præsumpserint, canonicis pœnis subiiciuntur. vt latius ibidem. Et de habentibus guardiam aduocationis, seu defensionis titulum in Ecclesiis, Monisteriis, seu aliis piis locis, facit mentionẽ text. in c. generali. de elec. lib. vi. Vbi etiam statuitur, vt qui huiusmodi iura sibi vendicant vigore fundationis aut consuetudinis antiquæ, ab illorum abusu; sic prudenter vnà cum ministris suis abstineanr, vt ea quæ non pertinent ad fructus siue redditus prouenientes vacationis tempore, non vsurpent, nec bona, quorum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu conseruent: de nouo autem talia vsurpantes, & bona Ecclesiarum aut Monasteriorum vacantium occupantes, vnà cum Clericis & Monachis hoc fieri procurantibus, eo ipso, excommunicationis sententiæ subiacent. Item aduocatorum istorum etiam meminit text. in c. ij. de reb. eccle. non alie. lib. vi. Vbi prohibetur ecclesiarum Prælatis, ne laicos patronos seu aduocatos ecclesiarum, seu bonorum ipsarum, pepetuò, aut ad tempus non modicum constituant. Item in c. quia clerici, ext. de iure patro. dicitur, quosdam aduocatias ecclesiarum, quocunque modo possint, acquirere, vt postmodum eorum filij, vel nepotes, ad easdem ecclesias præsententur, sed aduocationes tales, appellatione postposita, explodi iubentur. Item in c. præterea, eo. tit. præcipitur aduocatis, patronis, vice dominis, siue custodibus ecclesiarum, quocunque nomine censeantur, vt à grauaminibus ecclesiarum cessenr, nihilq́ præter antiquos & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos exigere præsumant: quòd si aliud exegerint, excommunicationi subdentur. Statuitur etiam, vt aduocati ius aduocacionis huiusmodi, donatione, aut venditione in alios transferre nõ possint. Deniq; in c. in singulis, in fi. ext. de sta. monacho. districtè præcipitur Episcopis, & aliis qui præerunt capitulis celebrandis, vt per censuram ecclesiasticam appellatione remota, compescant aduocatos, patronos, vice dominos, & quoslibet alios, ne monasteria præsumãt offendere, in personis, aut in rebus, & si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, vt liberius & quietius Deo valeant famulari. Ex his liquere potest, ecclesiarum aduocatos officio suo frequenter abuti consueuisse: horũ igitur insolentiam præsens text. respexisse censendus est, statuens non obscurè, aduocatos prælibatos, si malè in aduocatia versati fuerint, præter antiquas Canonum pœnas ea priuandos fore; similiter & alios quoscunq; feudi beneficio exuendos, si ob malam administrationẽ id mereantur, iuris tamen ordine obseruato. vt hic. Et quidem meritò, nam re priuari meretur, qui malè versatus est in eadem. l. æde quam

te.

te.C.de loca.authen. qui rem huiusmodi. C.de sacrosan.eccle. Videtur tamen hic text.monitionem domini præuiam requirere,& vasalli perdurantem exposcere proteruitatẽ,& insolentiam: Sed hoc intelligo in leuioribus delictis. Secus si vasallus culpam enormem, & feudi priuatione dignam in re feudali committeret,tum enim delicti semel perpetrati atrocitatẽ ad feudi priuationem sufficere non ambigitur: vt scilicet,quantum excesserit, pœna docente cognoscat. c.nisi specialis,de offi.lega.nam pro meritis,delinquẽs est recepturus.c.vlti.circa fi.de accusa. Porrò si quis arcem,pagum,oppidũ, aut territorium habens feudi beneficio, subditos, & agricolas, malè,& indignis modis tractet,exactionibus grauet,insolitisq; & indebitis oneribus premat,à domino feudi,conquerentibus subditis admonendus fuerit,vt à talibus temperet ac desistat,nihilq; contra ius ac fas,solitumq; morem vsurpet. Qui si monentis autoritatẽ non curet,sed in sua insolentia obdurescat,feudo etiam vt indignus exuetur. secundum Bal.& Aluaro.hic per hunc textum.

2. Si aduocatus,aut vasallus, officio, seu beneficio quo legitimè priuatus fuit, sua temeritate,se rursus ingesserit, pro pacis violatore habebitur, vel pœna pecuniaria,de qua fit mentio in .§. si quis aliquem.versiculo,si verò temerarius. sup.eo.tit. vel alia quapiam arbitraria animaduersione puniendus, secundum And.ab Yser. & Aluarotum.

Hic finitur Lex, deindè Consuetudines Regni incipiunt.

Titulus VI.

DOMINO guerrã facientẽ alicui, si sciatur quod iustè, aut cùm dubitatur: vasallus eum adiuuare tenetur. Sed cùm palàm est, quòd irrationabiliter eam facit, adiuuet eum ad eius defensionem: ad offendendum verò alium non adiuuet, si vult. Sed si cum adiuuare voluerit, non tamen feudum amittet, secundum Obertum de Orto, & Gerardum Capagistum. Alij verò sine distinctione dicũt, semper debere eum adiuuare. Sed Ober. & Gerar. vtuntur eo argumẽto, quòd queadmodũ dominũ excõmunicatũ, vel à Rege bannitũ nõ est obligatus vasallus ad adiuuandũ, vel seruitium ei præstandum, imò solutus est interim sacramẽto fidelitatis, nisi ab Ecclesia vel à Rege fuerit restitutus: ita nec istum iniustè guerrã alicui facientẽ.

Istud c. pugnantia continere prima facie videtur, imò & rationi parum consentanea, nisi textus verba sanè interpreteris, solertiq; iudicio expendas. Eum porrò sic congruè expresseris. Si feudi dominus bellum alicui inferat,legitima euidenter causa permotus,vasalli erit officium,vt ei operam suam auxiliarem impendat. Idem iuris fuerit, si probabiliter de causæ iustitia ambigatur : hac enim specie,parendi eum necessitas,& officium ministerij.non causæ,manet indago. At si palàm & publicitus constet,dominum nulla impulsum ratione,iustáve causa armari, ac ad bellicos tumultus accingi, hic variant iudicia. Quidam enim sine vlla distinctione, dominum à vasallis semper adiutandum esse prædicant : Sed Gerardus Capagistus, & Obertus ab Orto, feudalium placitorum consultissimi, hac specie licitum esse existimant,vt dominũ adiuuare quidem vasallus possit, si intra defensionis fines consistat,idq; si velit : nam si nolit,cogendus non fuerit, nec ea de causa feudo priuandus.Quemadmodum enim dominum suo scelere excommunicatum, aut spiculo illo execratorio,quod Bannum Imperiale vocant,perculsum iuuare,aut officio suo prosequi non obligatur vasallus,vtpote fidelitatis debito solutus, donec nexus illi non fuerint dissoluti, ita

 & sce-

& scelestum & iniustum bellum excitanti, ad seruitium præstandum obligatus esse censeri non debet, nisi suapte sponte innocuam operã, & alij non obfuturam domino impartiri velit. Verùm si vltra defensionẽ eius, etiam ad offensionem illorum, qui iniustè à domino inuaduntur, progredi velit, iam ei id etiam volenti, neutiquam permissum erit. Hoc ordine & sensu verè accipiendus est præsens text. alioqui nec cohærere, nec sibi poterit constare. Quare verba ea Si vult, referentur mox ad illa verba præcedentia, Adiuuet eum ad eius defensionem, secundum Aluarot. & alios.

1. Hoc textu peruium est, domino bellum gerenti vasallum obsequia sua, adminiculum, operam, & auxilium impendere debere, si videlicet vel euidenter iusta, vel probabiliter dubia causa ad bellum accingatur. Huic feudali placito subscribit etiam D. Augustini autoritas aduersus Manichæos, sic inquientis, Vir iustus si fortè etiam sub Rege, homine sacrilego militet, rectè potest illo iubente bellare, si vice pacis ordinẽ seruans, quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel vtrùm sit, certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem autem militem ostendat ordo seruiendi. Ad subditos igitur & vasallos, quibus domini persona semper sancta, semper honesta videri debet. argum. l. filio. ff. de obseq. liber. dubiæ belli causæ non pertinet discussio: sed obsequendi potius promptitudo, secundum Bald. hic. maximè, si dominus sit prudens, seruans æqui, sano parens consilio, non præceps, non temerarius, non tyrannus, suo cerebro cuncta exequens. Nam vt prudenter Aluaro. hic dixit, non debet suæ initi prudentiæ. c. ne innitaris, de constitu. Sed priusquam rem tantam aggrediatur, viros prudentes & seniores in consilium adhibebit. argu. c. vlti. xx. distinct. vbi dicitur. in fi. Seniores prouinciæ congregate, & eos interrogate, facilius nanque inuenitur, quod à pluribus senioribus quæritur. & text. in c. estote, in fine. i. q. i. Graues, inquit, expertosq; viros consilij vestri adhibete participes, & cum eis communi deliberatione pensate. Malè siquidem Roboam cessit, qui relicto senũm consilio, coætaneorum temeritati acquieuit. ij. Reg. xvij. Et si Antoninus Cæsar deliberat anxieq; curat, vt in re priuati, humanior, saniorq; fiat interpretatio. l. proximè. ff. de iis quæ in testa. delen. quid facere conuenit alios in republica, atque adeò periculoso belli suscipiendi negotio? Profectò laudatissimus & gratissimus Alexandri Imperatoris principatus, tum populo, tum senatui, militibúsque fuisse legitur, quòd sedecim senatorij ordinis viri, ætatis grauitate, vitæq; sanctimonia præcellentes, assessores eius & consiliarij sint delecti, sine quorum, nihil aut agebatur, aut dicebatur, suffragio: quodque res ciuiles & forenses, insignibus doctrina viris, legúmque peritissimis: militares autem, claris bellica virtute hominibus fuerint commendatæ, vt author est Herodianus. In veteri quoque testamento, non solius iudicis per id tempus existentis arbitrio, sed etiam sacerdotum Leuitici generis consilio & dictamine, omnes res arduæ ac dubiæ tractari dirimique præcipiebantur. vt Deuteron. decimoseptimo capite. Quam formam Romanus adhuc Pontifex se amplecti profitetur, dum se, iudicem, sacerdotes verò Leuitici generis, fratres suos interpretatur, qui scilicet iure Leuitico, in executione sacerdotalis officij, ei coadiutores existunt. c. per venerabilem. versiculo, sunt autem, ext. qui filij sunt legiti. His cognatum est, quod post Bald. ait Iason, de Imperatore Romanorum, Eum scilicet in causis Reipublicæ, & ciuitatum, non per se, sed adhibito procerum consilio, respondere ac statuere debere. vt per eum in l. vniuersa, per illum textum,

tum,in fine.C.de diuersis rescrip. Bellum itaque suscepturus, quo non vnius ciuitatis res agitur, sed vniuersa periclitatur Respublica; solum animi sui impetum in consilium adhibebit Princeps? Quamuis fortassis apud eum solum, belli indicendi sit arbitrium, si absoluta illa potestate, cuncta metiri velis, tamen ea, non in offendiculum, sed in commodum Reipublicæ suæ vti debet, pro qua, consiliis, laboribusq; suis, instar Iustiniani Principis, die noctuq; laborabit. l. bene. à Zenone, circa finem. C. de quadri. præscrip. Verùm circa materiam præsentis c. ignorare non oportet, duplex belli esse genus; Alterum recuperatorium, quod scilicet ob recuperationem rerum ablatarum, aut damni dati, illatæve iniuriæ consequendam reparationem infertur; Alterum verò defensorium, quod videlicet necessariæ defensionis gratia, non ex interuallo, sed ex continenti, suscipitur: Verùm hoc non propriè, belli nomen meretur, sed potius defensionis censetur facultas, cuilibet, omni iure, ipsoq; rationis ductu permissa: quandoquidē vim atq; iniuriam propulsare ius gentium permittit, quo euenit, & quod quisq; ob tutelam corporis sui fecerit, iure fecisse existimetur. l. vt vim. ff. de iusti. & iu. l. scientiam. §. qui cùm aliter. ff. ad l. Aquil. c. iij. de sentē. excō. cle. vnica. de homic. in Clemē. Idem iuris tutela rerū obtinet, & possessionis, quam sine vitio quis tenet: Nam illatā vim propulsare licet, inculpatæ tutelæ moderatione. l. i. C. vnde vi. Eum igitur, qui cum armis venit, possum armis repellere. sed hoc confestim, non ex interuallo: nec solùm resistere mihi permissum est, ne deiiciar, sed & si deiectus fuero, eum qui me deiecit, deiicere licebit, non ex interuallo, sed ex continenti. l. iij. §. eum igitur. ff. de vi. & vi arma. Ex continenti autem dici videtur, vbi primùm potero, priusquàm tamen aliis distrahar rebus: ne vis illatæ non repulsam, sed vindictam moliturus videri possim. l. ij. §. confestim. ff. ad S.C. Tertul. l. continuus actus. ff. de verbo. oblig. Panormi. post alios, in c. olim de resti. spolia. Si igitur arx mea aliquot hinc passuum milibus dissita, hostiliter inuadatur, inuasorem infra illud tempus rectè deiecero, cuius prolixitas vltoris speciem mihi non impingat: quod totum iudicis arbitrio fuerit æstimandum, secundum Panor. ibidem quicquid alibi visum sit Barto. Et hoc genus belli, quod defendendi appellatur facultas, Principis non desiderat autoritatem: quum eam cuilibet iura omnia permittant, vt dictum est, secundum Innocent. in d. c. olim. Alterum verò belli genus est, quod recuperationis causa rerum ademptarum, aut ob iustam illatæ iniuriæ vltionē, damniq; dati refusionem obtinendam, ex interuallo, suscipitur. de quo in c. Dominus noster. xxiij. q. ij. vbi dicitur: Iusta autē bella solent diffiniri, quæ vlciscūtur iniurias, sic gens & ciuitas petenda est, quæ vel vindicare neglexerit, quod a suis improbè factum est, vel reddere quod per iniurias ablatum est. Sed hæc belli species nulli propria autoritate conceditur, quum iuris ordine, quisq; actiones suas prosequi teneatur. Etenim iudiciorum vigor, iurisq; publici tutela ideo in medio est constituta, ne quisquam sibi ipsi permittere valeat vltionem. l. nullus. C. de Iudæ. Si quis igitur sit oppressus, aut iniuria affectus, actionibus experiri, non vi agere debet. Porrò cùm Martianus ille diceret coram Cæsaris tribunali, vim nullam feci: Cæsar dixit, Tu vim putas esse solùm, si homines vulnerentur? Vis est & tunc, quoties id quod deberi sibi quis putat, non per iudicē reposcit. l. extat. ff. de eo quod met. cau. Quare, si quis sibi ius dicens, pecuniam debitam auferat, aut rei suæ possessionem apud alium constitutam, ante euentum iudicialis arbitrij, inuadat, in pœnas edicti Diui Marci, & Constitutionis, si quis in tantam. C. vndè vi. incidere

dinoscitur. Verùm enimuerò si aduersarius vim passi, vel ob contumaciam, vel tyrannidem, iuri parere contemnat; nec alioqui iudiciorum vigore, in ordinem redigi queat, iam actionibus prætermissis, ad armorum præsidia rectè confugietur. d. c. Dominus noster. xxiij. q. ij. modò tamen principis autoritate hoc fiat. Siquidem nulli prorsus inscio & inconsulto principe, mouendorum armorum copia est permissa. l. vni. C. vt armo. vsus inscio princi. interdic. sit lib. Et teste Augustino: Ordo ille naturalis mortalium paci accommodatus hoc poscit, vt suscipiendi belli autoritas, atque consilium apud principes sit. c. quid culpatur. xxiij. q. I. Siue igitur Imperatori, siue alij principi, aut magistratui quis subsit, ius indicendi belli recuperatorij, absque superioris autoritate, non habebit. Quod legum interpretes accipiunt, si principis aut superioris copia haberi queat, alioqui eis non expectatis, bellum indici posse. Idem esse pronunciant, si in aula principis, moratoria delusoriaque procrastinatione circumducatur & lactetur oppressus, ita vt operam miser perdat & impensam, iuris, aliudve remedium ne quicquã implorans. nam sibi ipsi ius dicere poterit, quum iustitiæ non exhibitæ mora, expressæ denegationi iustitiæ comparetur, secundum And. ab Yser. & Bal. in c. I. sup. de mili. vasal. qui contu. est. Ita post Barto. Bal. Pau. Castren. & alios, tradit Allobrogum doctiss. Iureconsultus Claudius a Seysello, in l. ex hoc iure. ff. de Iusti. & iu. in vi. colum. Sed hæc eatenus recipienda puto, quatenus res sit acceleranda, ne damnum irrecuperabile conciliet mora, argu. l. ait prætor. §. si debitorem. ff. quæ in fraud. credi. l. si longius. versicu. vel dum veniat, se subtrahat is qui noxam commisit. ff. de iudi. cum simi. Paria autem sunt, nullum esse superiorem, quem accedere queas: aut talem esse, cuius obedientiam subditi non colunt: qualis imperator est apud populos Hetruriæ: & (prò dolor) apud multos alios: quare à talibus oppressus, non adhibita imperatoris licentia, sibi armis prospicere & consulere poterit, secundum formam d. c. Dominus noster. secun. eundẽ Clau. vt sup. post Bal. qui etiam ait. Liberos populos aliosque principes Imperatori non parentes, sine eius authoritate ius belli indicendi obtinere. Licitum quoque est Christianis, aduersus barbaros, & à fide orthodoxa alienos bella mouere, qui mancipatas quondam veræ pietatis cultui ditiones hostiliter occuparunt, & in sanctam Domini hæreditatem violenter irruperunt, vt scilicet recuperatio fiat possessionis, qua Christianismus ab impiis prædonibus fuit spoliatus, vt eleganter tractat Oldra. consilio septuagesimo secundo post Iunocen. in c. quod super, de voto. Secundum hæc intellige, quæ dixi suprà. quibus modis feudum amit. in princ. videlicet, si dominus propagandi sui imperij gratia, vel nominis sui famæ, rerum gestarum gloria illustraudæ, aduersus barbaras ac procul dissitas gentes bellum suscipiat, vasallus eum comitari deberet, si vel ipse, vel maiores eius tales expeditiones facere consueuerint. Denique vt bellum susceptum habeatur iustum, necesse est, vt ligitima id indictio præcedat, quam vulgus diffidationem appellat. secundum plura à Claud. vbi suprà citata, nisi quis ipso facto, cum bonis suis omnibus, ac toto Christiano populo offendendus impune expositus, siue vt vulgò loquar, diffidatus esset. c. I. & quæ ibi habet Domi. & alij de homi. lib. vi. Indictionem verò belli alicui factam, ad omnes ei subditos, ac confœderatos vim suam porrecturam, Claudius etiam sæpe citatus post alios commemorauit. Postremò, licet Panormit. in c. quod super. de voto. in bello iusto licitum esse Christiano putet, vt auxilia Turcæ, aut à fide orthodoxa alienorum, aduersus Christanum, contra quem belligeratur, implorare,

plorare & adhibere possit, tamen id non minus impium quàm vesanum existimari debet. Non enim in boue simul & asino arandum est. Deut. xxij. nec homnes diuersæ professionis in vno eodemq; negotio sociandi. c. in noua. xvi. q. vij. Obsecro, quæ communicatio luci cum tenebris? quis Christianis cum Christi persecutoribus consensus? Mus in pera, serpens in gremio, quàm commodè versetur? Si frater tuus Christianus, qui Ecclesiam non audit, tibi sit alienus, ceu Ethnicus & publicanus, Matthæi decimooctauo, quanto magis Ethnicum ipsum à te alienum esse oportuerit? Item, si cum schismaticis ne orare quidem licet. c. non liceat. i. q. i. quomodo pugnare licebit? & quidem in necem Christianorum? Sicut igitur satius est fame mori, quàm idolaticis vesci, secundum Augustinum. c. sicut satius. xxxij. q. iiij. sic multo satius est iniuria opprimi, quàm Turca vindicari. Porrò cùm non solùm Imperatorum legibus, sed etiam pontificiis constitutionibus, ac Conciliorum autoritate, disparis fidei hominũ à nobis consuetudo & contubernium toties elimінetur. vt l. ne quis Christianum. C. de Iudæ. c. Iudæi. ext. eo. tit. c. & si Iudæos. ibidem. & c. sæpe malorum. xxviij. q. i. vbi tex. sæpe malorum consortia etiam bonos corrumpunt: & reddens rationẽ, cur hæc cõmunio prohibeatur, ne fortè eorum, inquit, participatione subuertantur. Quæ tandem dementia est, In bello Christianorum, infidelium communionem, & subsidia rectè quæri, existimare? Quod verò de Machabæis arma sua cum Romano exercitu coniungentibus Panor. meminit, nihil ad rem attinet. plena res illa mysteriis erat: & ductu diuino gerebatur, neutiquam ad actus nostros similitudine porrigenda. Præterea quod fecerunt Machabæi, id veræ religionis ergo factum est. Ideo namque Romanorum amicitiæ & societati se deuinxerunt, vt veri Dei cultum aduersus impios Asiæ reges tutarentur: à quibus non solùm barbarico seruitutis iugo opprimebantur, verùm etiam à sacra legẽ patriisq; ritibus, atque maiorum constitutionibus abducti, pene sanctum Domini testamentum relinquere cogebantur. Quare vt ab ictu scorpij, vena cordis, & à cuspide oculi pupilla custodienda est. sic ab impiorum & Turcarum in Christianos subsidio & auxilio abhorrere omnes verè pios decuerit: ne tangentes picem inquinemur ab ea: & fusione Christiani cruoris, immanis beluæ sitim restinguamus: hanc Christianam puto sententiam, quicquid vel Panormit. vel Summistæ quidam scripserint: quorum argumenta, sicut stipula à facie venti, rectæ rationis æquilibrio euanescunt. Hæc libuit annotare pro textus enucleatione, vt scilicet obiter constare possit, quando & quomodo, ius belli gerendi feudorum dominis ac Principibus competat, quibus operam suam auxiliarem vasalli hic impendere iubentur. Sed necessario iam inuestigandum videtur, cuius impensis, domino belligeranti operam suam auxiliarem impendere, & in expeditiones publicas vasalli se conferre debeant. Sanè si ex conuentione, pactisq; inuestituræ, quid agendum sit, constet, iam res est expedita, cùm ex conuentione, legem contractus accipiant. l. i. §. si conueniat. ff. deposi. cum similibus. Idem, si consuetudo curiæ dominicæ aut regionis, certam ea in re legem præscribat, argum. l. operarum. in verbo consuetudini. ff. de ope. liberto. & arg. l. vel vniuersorum. ff. de pignora. actio. Huc pertinent & ea, quæ dixi sup. de feud. cogni. c. i. nu. ij. Si verò nec consuetudinis, nec inuestituræ præscripto, quid fieri debeat, liquere possit: iam ex ipsa feudi qualitate, ac modo, id æstimandum erit. argum. opti. in l. Meuia. §. vlti. ff. de annuis lega. Si igitur feudum sit militare, sit opimum, sit amplum, sit opulentum, quid vetat, suis impensis, functioni suæ vasal-

lum respondere? pluriúmque annorum ociosas diuitias, ex feudi beneficio partas, temporariis feudalium facultatum sumptibus compensare? argu.l.suo victu. ff.de ope.liber. Vbi libertus suo victu, vestituq; operas domino præstabit.& argu.in §. illud.in Authen.de manda.princip.col.iij.Nam ibi ex præcepto Principis,ad alias proficiscens prouincias impensas ex his, qui ei in prouincia existenti ex fisco largiuntur, facere iubetur. & argu. in l. à tutoribus,in fi.ff.de administra.& pericu.tuto.non refragatur his lex.i.§. si pupillus.versiculo,item sumptus. ff.de tute.& rationi. distra. vbi viatica, si ex officio,necesse habuit aliquo excurrere,vel proficisci, tutor reptat: nam alia tutoris,alia vasalli opulentum feudum consecuti, est conditio, cui hoc sic datum est,vt ipse,hæredesq; eius id in perpetuum habeant,& eius ratione, domino fideliter seruiant §. vlti.in fi.sup.in quib.cau.feu. amit. Vnusquisque etiam, quod spoponderit, suo impendio dare debet. l.quod nisi.ff. de ope.liber. Spondet autem vasallus in fidelitatis iuramento,se domino suum (quemadmodum poterit) præstiturum auxilium, cùm iustè aliquem offendere velit.c.i.circa finem. sup.de noua for.fidelita. Si tamen ad regiones longinquas belli gerendi causâ, vasallis in expeditionem dominicam sit proficiscendum (quod nonnunquã fieri oportet,vt dixi in §. i.nu.i.sup. quib.mod.feud.amit.) Sicq; ingentes præmant impensæ, iam humanitatis commonet ratio, longinquitatis causa, dominum eius rei respectum habere,ac suis facultatibus,vasalli sumptus subleuare.arg.in l.modios.in fine.C. de suscep.præpo.& Archa.lib.x. Idem obseruandum dixerim,si ob diuturnitatem finitimi belli,opes vasallorum vehementer sint exhaustæ. Aequitas enim suadet, vt domini benignitas tum succurrat : quum Apostolo teste, nemo suis stipendiis militarit vnquam. i. ad Corinthios nono capite: nec os bouis ligandum sit triturantis in area fruges. Deuterono. vigesimo secundo capite. Si verò exiguum sit feudum ferendis expeditionem sumptibus omnino impar, minimeq; respondens,arbitror vasallum ad eos non teneri,sed dominum impensas suppeditaturum.l.suo victu. ff.de ope.liber. nisi feudum hac conditione obtigerit, vt sumptus itinerum & expeditionũ huiusmodi,pro feudo accepto vasallus faceret.argum.opt.in l.idem §. idem Labeo ait. ff.manda.item,nisi aliud habeat consuetudo, qua cessante,ac mediocri feudo existente,negocium hoc,ex longinquis,breuibusq; excursionibus,& ipsa qualitate,modoq; feudi æstimandum, ac viri boni arbitrio dirimendum erit.d.l.Meuia §. vlti. ff.de annu. lega. De vasallorum autem expeditione cum Rege,ad suscipiendas sacras infulas, & Imperij coronam,vide infrà de Allo.c.i. & in § firmiter.inf.de prohi.feu.alie.per Frideri.

2. Sed iam ad textum præsentis c. regredientes, dispiciamus quo pacto intelligendum sit id,quod dicitur,vasallum,in bello etiam palàm iniusto,dominum suum adiuuare posse,si velit,modò infra fines defensionis cõsistat, nec ad offensionẽ eorum,qui temerè à domino affliguntur,pedem proferat. Quare noueris hunc tex. porrigi non posse ad eam defensionem,quam dño iustè inuaso, & sic iniustè se defendenti præstaret vasallus: nam hac specie dominum defendendo, non intra fines defensionis consisteret: Sed planè in offensionem illorum prorumperet, qui dominum iustè persequuntur: offendit enim is,qui iure offendi permissum defendit. Obtinebit igitur hic textus in eo defensionis genere, quòd domino bellum iniustum excitanti vasallus impartitur : Verùm cùm hoc absonum iniquúmque videatur, per c. qui peccantibus. xi.quæst.vlti. vbi dicitur,eum qui delinquentem defendit, maledictum fore apud Deum & homines,& corripiendum

dum increpatione seuerissima: necessario dicendum restat, vt hunc tex. angustissimis terminis circumscribentes, prælibata solum in defensione innocua, domino scilicet profutura, sed aliis non directo obfutura accipiamus, veluti si commeatu subiecto eum à famis necessitate defendat: aut locorum aditus montiumque angustias occludens, seu viarum itinera ponte abiecto, flumineve immisso, abrumpēs ab hostili ingressu, agrum, arcem, ac domini territorium tueatur, seu aliud quippiam satagat, quod principaliter ac directo, in noxam aliorum non vergat, sed dominicæ consulat saluti: maximè si eo pacto, innoxiorum quoque subditorum incolumitas conseruetur: qui enim sua defendit, aliena non offendit. Et quanquam summo iure, in bello iniusto, præfata ægre licere videantur, cum negari non possit, quin iniuria fiat iniustè inuasis, si modus iustæ defensionis, & reciprocæ inuasionis facultas, ipsis quaqua ratione præpediatur, tamen feudorum vsus id in vasallis recipiunt: hominum genere dominis vehementer obstricto. Si verò defensionis modum iniusto bello prouocati excederent, iam licitā fore prioris inuadentis defensionem, nullus ignorat. iuxta nota. in l. i. C. vnde vi. cum simili. secundum hæc intellige, quæ dixi sup. quib. mo. feu. amit. §. i. de hostili iniuria à domino per vasallos propulsanda bellum iniustum agitante. Cæterùm defensionem domino præfatam & si impartiri, cum innocua sit, vasalli queant volentes, cogendi tamen non sunt inuiti, nec feudo priuandi, secundū hūc tex. vtentē tali similitudine. Etenim si dn̄m ob scelus quodpiam anathemate percussum, aut percussum fulmine illo imperiali seu regio, quo cōtumacium aut facinerosorum capita cum bonis sacrari solēt, vtpote cum illis aqua & igni interdicitur, nec adiuuare, nec officio, obsequiove prosequi tenētur vasalli, nēpe fidelitatis debito interim soluti, ita nec ad scelestū bellum illicitamque domini expeditionem adiuuandam obligati esse censeri debent. Sed hæc tex. similitudo satis est crassa: cum dispar in his casibus & dissimilis sit ratio: nam excommunicato, ne volens quidem communicare quis potest, c. nuper, de senten. excom. at iniustum domino mouenti bellū, quanquam non cogatur, tamen volens, operam suam innocuam communicare potest vasallus. vt sup. dixi. Verùm superuacua angitur sollicitudine, qui in re feudali, sic cuncta ad viuum pergat resecare.

3. Porrò ex hoc tex. collige, vasallos ob domini excommunicationē, placitis feudalibus, a debito fidelitatis exonerari: adeò, vt ne volentes quidem fidelitatem ei, obsequiaque præstari debeant, quousque reconciliatus ecclesiæ, nexuque illo fuerit absolutus. c. penulti. & vlti. xv. q. vi. Idem iuris obtinet, si ab Imperatore vel rege, caput eius cum fortunis sacretur illo fulmine, quod vulgo Bannum imperiale vocāt: quo rebellibus aut alioqui insigniter criminosis aqua & igni interdici solet. vt vsu notum est. Banni illius meminit tex. in §. item nulla potestas, & §. Gazaros. inf. de statu. & consue. contra liber. eccle. ed. quibus affine est c. i. in fi. de homici. lib. vi. Nisi imperiali beneficio, priori sospitati fuerit restitutus, vt hoc tex. Excommunicatione tamen aut censura illa regia pendente, vasallis ius alienandi sua autoritate feudi non competit: secundum glo. Aluaro. & alios, cum non tam extincta, quàm suspensa fidelitas interim videatur. Quare si alienatio fiat, locus erit pœnæ, quæ statuitur contra vasallos alienantes, in c. i. inf. de vasal. qui contra consti. Lotha. feu. alie. secundum And. ab Yser.

4. Postremò defensionem domini in bello iniusto, quæ sine aliorum offensione manifesta fieri nequit, ne volens quidem vasallus licitè suscipere poterit, secundū hunc text. qui nisi sic intelligatur, vt superius dixi, summā

iniqui-

iniquitatem, iniuriam summam contineret, quàm nullo vsu, contra diuini humaniq; iuris dictamen tueri poteris. Quare vasallus iniustam domini expeditionem suscipiens, tenetur de omni damno, quod eius occasione, inuasus sibi iurauerit contigisse, secundum Inno. in c. vlti. circa medium, ext. de eo quod met. cau. & Bal. in l. colum. sup. quib. mod. feud. amit. §. 1. & est opt. tex. in c. in primis. ij. q. i. §. gloriosus. Vbi in hæc verba, Gloriosus autem Comitiolus, quicquid prædictus Episcopus, per violentiam atq; insecutionem ipsius expendisse vel damnum pertulisse, dato sacramento firmauerit, eidem episcopo restituere condemnetur. concor. l. si quando. C. vnde vi.

§. *Ad hoc quantocunq; tempore steterit vasallus quòd domino non seruierit: secundum vsum Mediolanen. beneficium non amittit, nisi seruitium facere renuerit: vel nisi a domino ei denunciatū fuerit, & ille cū potuerit diu steterit quòd seruitium nullum ei fecerit. Bonus tamē iudex variè ex personis causisq; definiet: & finget vasallum remotū esse, vel propinquum: paratū esse vel non: dominū guerrā habere, vel non. vtrum etiam magnam, vel paruam, & an nunciauit ei dominus, vel non. Hæc omnia vertuntur in cognitione causæ, & promptiores sumus ad absoluendum, quàm ad condemnandum. Tu tamen scias, quòd si vasallus sciat dominum obsideri, vel aliter ei mortem imminere, & cum potuerit ei non nunciauerit, vel etiam sine nuncio eum non adiuuerit, feudo priuabitur.*

Etsi prolixa temporis intercapedine, seruitium nullum domino exhibuerit vasallus, tamen ea de causa, ius feudi non amisit, nisi contumax seruitium, vel expresse, vel tacitè renuisset. Tacitè videlicet, si post denunciationē ei factam nexuisset moras, & quum potuisset, aduentum, operamq; suam nō accelerasset: Sed dedita opera, tarde venisset, domino eius seruitio obsequiisq; plane fraudato. Sed hic ius dicentis excubabit solertia, varie ex personis causisq; diffinituri, & circumstantias omnes diligenter spectaturi, videlicet, num procul dissitus, an vicinus fuerit vasallus: num instructus esse potuerit an non: num ad expeditionem bellicam fuerit accitus, an ad aliud obsequij genus: num bellum horridum ac prægnans fuerit, an vulgare, modiciq; momenti: num deniq; denunciatio ei, & quidem tempestiue, contigerit, an non, horum siquidem omnium consideratio iudicis indagini cōmititur, ad causæ diffinitionem momentum præbitura. Verùm enimuerò hoc cognitu dignissimum est, vasallum feudo cadere, si vel dominum hostili obsidione cinctum, sciens, suppetiis suis destituat, vel mortis discrimen ei imminere cognoscens, misso protinus nuncio certiorem non reddat: quum aliis modis periculo succurrere non possit: præfata obtinent, si eorum præstandorum vasallo adsit facultas.

1. Quantocunq; temporis spacio, seruitia obsequiaque non præstiterit vasallus, feudū nihilominus retinere dinoscitur, vt hic. Cuius est ratio, quod vltrò dominum adire, ac operam suam obferre non cogatur. c. i. in fi. inf. an ille qui interfe. frat. domi. sui. Quare silente & non excitante domino, vasallus quoq; longos in annos tacere, & suauiter conquiescere potest. c. licet, sup. si de feu. defunc. conten. sit inter domi. & agna. vasal. nisi feudum esset conditionatum, suopte præscripto vasallum interpellans, vt ibi dixi. Sufficit itaq; animo, si non re, obsequiosum esse: ita vt iubente domino, paratū ac obsequentem se exhibeat, nisi periculi dominici magnitudo eum sui ipsius esse cogat excitatorem, vt in fin. huius text. Sin verò contra dominum ingrata erigens cornua, palam recúset obsequium, idq; vel præscriptionis prętextu, quę nulla in specie subiecta esse potest. vt dixi in d. c. licet, vel alia quapiam

quapiam temeritate, iam ratio suadet, proteruiam hanc feudi exauthoratione expiandam esse. nam vt dicitur sup. quæ fuit pri. cau. bene. amit. non est alia iustior causa beneficij auferendi, quàm si id propter quod beneficium datum fuerit, hoc seruitium facere recusauerit. Item si non apertis verbis, sed actu quodam tacito, obsequium eludat, callidam gestans sub pectore vulpem: veluti, si à domino excitus, longas nectat moras, moueat, nec promoueat, & de industria aduentum differat, donec iam sit depugnatum, sicque dominum obsequio fraudet, quum venire citius potuisset, & hoc constet, nónne æquum est, ob hanc tectam ac versipellem seruitij detrectationem, feudo ingratum exuere vasallum? Sic profectò, vt hoc textu. Non tamen protinus concito gradu præceps aduolare cogitur accitus: sed iustum temporis interuallum, ac temperamentum aliquod quo se componere possit ei intelligendum est permitti, argu. l. promissor Stichi. ff. de constit. pecu. & elegans textus in l. quod dicimus. ff. de solutio. & libera. Proinde dixit hic textus, cùm potuerit diu steterit, quòd seruitium nullum ei fecerit: diu steterit, hoc est, nimis diu emanserit, & nimium tardè venerit, ita vt seruitium nullum, re videlicet iam peracta, dño exhibuerit. Hæc Bal. similitudinis scatebra ad confœderatas ciuitates deriuat, quæ mutuam operam & auxilium sibi obstrinxerũt, vt licet interpellatæ confœderationis intuitu, iusto ac necessario temporis spacio, quo se præparare possint, fraudari non debeant: Partibus igitur suis fungentur, non quidem præcipiti festinatione, sed nec moratoria contatione. l. tutor qui repertorium. §. si tutor cessauerit. ff. de administra. tuto. quod totum arbitrio boni viri æstimandum fuerit. l. Meuia. in fi. ff. de annuis lega. Porrò quum in specie huius textus vocatus à domino vasallus emanserit, ac suo obsequio dominum non iuuerit, an confestim feudo cadere debeat, nec ne, iudex variè ex personis causisque constituet: vt hic, quæ locutionis formula mutuata est ex l. in fundo alieno. ff. de rei vendicatio. Ex personis quidem, vt si iustam emansionis causam vasallus probare non possit, argumentis ex eius persona desumptis, id iudex constituat: Nam si bonus vasallus antè existimatus fuerit, propè est, vt affirmationi eius credatur: si emansor, aut negligens, aut segnis, aut tardus, & post multum temporis, seroque venire consuetus fuerit, non credatur. l. non omnis §. à barbaris. ff. de remi. Ex causis verò, quas hic text. subiungit: quarum prima, ex vicinitate, aut distantia nascitur. si enim vasallus procul distet à domicilio domini, alia fuerit habenda ratio, quàm si agat in propinquo. Et fortè vicena milia passuum, hoc est, quatuor miliaria Germanica, in singulos dies dinumeranda videtur, si terra conficiendum sit iter. l. 1. ff. si quis cautio. Talis quippe itineris dinumeratio, minimè onerosa est. vt ibi. Sed negotio domini accelerationem poscente, concitatiore gressu pergendum esse non negarim. Verùm hæc à iudicis boni pendent arbitrio. vt hic dicitur. Secunda, ex qualitate status vasalli: an scilicet tam propere se potuerit ac debuerit armis, equis, totáque illa militari panoplia operoso bellicæ expeditionis negocio necessaria instructum reddere. Tertia, ex substantia rei subiectæ, an videlicet obsequium vasalli postuletur ad bellum ac pugnam: an verò ad aliud quodpiam seruitium togatum, ac priuatum. Quarta, ex belli ipsius effectu, an scilicet bellum, ad quod vocatus erat, fuerit atrox, magni momenti, ac vehementer præiudiciale, an verò vulgare, & iacturam non grauem conciliaturum: nam magis consulendum est iis, quibus maius periculum intenditur. l. 1 §. si quis non tantum. ff. de Carbo. edict. c. vbi periculum, de electio. lib. vi. Quinta, ex

denun-

denunciationis facto, an dominus vasallo seruitij & obsequij præstandi exhibitionem denunciauerit, ac imperauerit: id enim perpetuò spectandum est: quum non teneatur, nisi requisitus, operam suam impedere, vt dictum est. hæc omnia consimiliaque in causæ cognitione versantur, quibus exacta iudicij trutina perpensis, num ob emansionem, feudo priuandus sit vasallus, iudex, vt dictum est, constituet, modò tamen meminerit, in re dubia & ambigua ad absoluendum, quàm ad condemnandum, se promptiorem esse oportere. vt hic. & l. Arrianus. ff. de actio. & obliga. quum alioqui sanctius sit impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem condemnare. l. absentem. ff. de pœnis.

2. Si vasallus dominum obsidione premi sciens, ei vltrò, quum possit, non succurrat: aut eum de periculo mortis, quod imminere nouit (cùm aliter iuuare nequeat) certiorem non reddat, feudo priuabitur. vt hic. Requiritur igitur in his casibus scientia: nam pœnæ aduersus scientes paratæ sunt. l. vlt. ff. de decret. ab ordi. facien. Item requiritur potentia, scilicet tam iuris quàm facti, vt vasallus præfata præstare debeat, si possit. Nam si non possit, ad impossibile obligari non debet. de quo in §. sed nec alia. suprà, quæ fuit pri. cau. benefi. amit. & sup. de feudo sine cul. non amit. c. fina. & suprà, quib. mod. feud. amit. in principio, & ibi glos. Vide etiam quæ dixi in §. præterea. sup. quæ fuit pri. caus. benef. amit.

§. Si vasallus in feudo aliquod ædificium fecerit, vel ipsum sua pecunia meliorauerit, & contigerit postea, vt vasallus sine filio masculo decedat: dominus aut patiatur ædificium auferri, aut soluat precium meliorationis. Idem dico, si precio seruitutem fundo acquirat. Quidam alij dicunt, omnino ad dominum pertinere.

Feudo per mortem vasalli ad dominũ redeunte, si in eo ædificium aliquod vasallus construxerit, vel id suis impensis auctius & vtilius reddiderit, aut seruitutis coemptione præstabilius commodiúsque effecerit, in domini erit optione, velit ne hæredibus vasalli (ad quos tamen feudi successio non pertinet) impendij talis æstimationem soluere, an verò quæ ædificata sunt, ipsis auferri & amoliri permittere. tametsi quidam impendia & ædificata domino gratis cedere debere existimarint.

1. Hic textus sumptus videtur ex l. in fundo alieno. ff. de rei vendica. vbi constituitur, vt si ædificatũ sit in fundo alieno imprudenter empto, ac postmodum euicto, & dominus tantum dare paratus est, quantum habiturus est possessor ædificio ablato, ei fieri debeat potestas. In arbitrio porrò domini est, vel ædificij ablationem concedere, vel eius æstimationem soluere. vt hoc textu patet, quem Iacob. à Bel. sic intelligit: Ea tum materiæ precium, tum mercedes fabrorũ complectetur §. certè. Insti. de re. diuisio. Ipsi tamen vasalli demortui hæredes feudi retẽtione vti poterint, donec vel ædificium amoliri permittantur, vel eius æstimationẽ consequantur. Proindè si dominus interim feudum repetat, per exceptionẽ doli mali repelletur. d. §. certè. Aedeficij autẽ vocabulo, quantũ ad hunc texrũ attinet, omnis fabricæ species cõprehendetur, siue insita, infixaque sit solo, vt arx, & domus, constans ex fundamentis in terra iactis, siue solo substructa, vt torcular vinarium, mola versatilis, seu quid aliud, secundum And. Yser. & Aluaro.

2. Quemadmodum ædificij in feudali solo constructi æstimatio, sic & impensarum debetur, quibus vel antiquæ domus (si quæ fuit) vel ipsius feudi melior facta sit conditio. vt hic. Finge enim domum ibi primò fuisse luteam, nunc factam esse lateritiam: aut finge fundum ipsum saxosum fuisse,

isse, aut pestilentem, nunc saxis magno labore ac impendio erutis, fertilitatem maiorē recepisse: aut fossa ex flumine deriuata, & pestilēticam illuuiem auehente, factū esse salubrē: aut deniq; aduersus aquarū impetus, fluctusq; marinos, circūducto aggere, redditum tutiorem: Profectò omnium horum ratio habebitur, & æstimatio persoluetur, secus si agatur de modica & consueta domus ac villæ refectione: quæ eum manere solet, ad quem fructus rei pertinent. l. vsufructu legato, in fine. ff. de vsufruct. Nam hic textus in magna ac præcipua quadam fabrica, & insigniori feudalis rei impensa, & melioratione accipi debet. secundum glos. Alua. & alios. Præfata etiam obtinent, si seruitus fundo per coemptionem vasalli sit parta, de quo latius. sup. de inuestit. de re alie. fac. §. econtrario. Verùm enimuerò tametsi hæc impendia, eo quo dictum est modò refundi debeant, aut ablationi hæredum permitti, quando scilicet ob defectum sobolis, feudum relabitur ad dominum, aliud tamen obtinet, quando hoc ad eundem redit ob vasalli delictum: nam hac specie, pleno iure cum appendicibus omnibus id dominicæ proprietati consolidatur. secundum Bald. argu. l. ij. C. de iure emphy. quod in feudo & emphyteusi præcipuum est, vt scelere suo, cadens beneficio, omni eius iure connexo, in pœnam sui delicti cecidisse videatur: cùm enim perditur principale, & accessorium hic meritò perdi censetur. secundum eundem Baldum & Aluarotum.

§. His consequenter dicitur, quòd si vasallus decedat sine hærede masculo, & contingat feudum ad dominum reuerti, sic distinguitur, quòd si ante Martium, omnes fructus illius anni ex feudo prouenientes, ad dominum pertinebunt. Si verò post Calendas Martij vsque ad Augustum, omnes fructus qui interim percipiuntur, ad hæredes vasalli pertineant. Si verò post Augustum, omnes fructus anni percipiet dominus. Quidam tamen dicunt, quocunque tempore anni decedat, omnes pendentes fructus ad dominum pertinere.

Vasallo sine legitimo feudi successore, vel ante Martij calendas, vel post Augustum decedente, fructus feudales eius anni obuenient dn̄o. At si medio tempore, quod Martium ab Augusto discriminat, vasallus moriatur, iam hæredibus eius fructus cedent, illo videlicet temporis interuallo percipiendi, quanquam nonnulli arbitrati sint, quocunq; anni tempore clientulus eximatur humanis, ad dominum pendentes fructus spectare.

1. Probam huius placiti feudalis rationem ægrè reddideris. secundum Bal. Quid enim probabilis causæ in medium afferas, quod aut Martij, aut Augusti exortus, percipiendis fructibus, hoc modo, vt in tex. legem præscribat? Quare Alua. hic annum à Septembri exorditur, & suum quendam intellectum huic c. indit. sed textui non congruentē: vt res ipsa clamat: nihil enim à præsenti c. magis alienū esse poteſt, quàm anni exordium à Septembri inchoare, & secundum hoc de anni fructibus definire, cui videlicet cedere debeant, vt patet textum intuenti, in versicu. si verò post Augustum. Restat itaq;, vt cum Iureconsulto dicamus, non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse. l. non omnium. ff. de legib. & cum Bal. Consil. cclxxvi. in quinta parte, prædicemus, In feudis non esse curandam strictam rationem, sed strictam consuetudinem. Opinio autem illa, cuius in fine textus meminit, videlicet, pendentes fructus ad dominum pertinere, & si non recepta sit vsibus feudorum. vt per textum & gloss. hic, tamen iuri scripto magis est affinis. vt in §. is verò ad quem vsusfructus. Institutis de rer. diuisio. vbi licet maturis fructibus, nondum tamen perceptis, decesserit

vsufructuarius, ad hæredes eius non pertinent, sed domino proprietatis acquirũtur. Idem de colono iudicium. vt ibi. Prouẽtus igitur agrorũ nondum percepti, ad talium hæredes tansmittũtur. Ea de causa & fideicõmissario fructus post acquisitũ ex causa fideicõmissi dominium, ex terra prouenientes acquirũtur, licet maior anni pars, ante diem fideicõmissi cedentẽ præterierit. l. Herennius. la. i. ff. de vsur. Item si vasallus agrum feudalem non per suos colat, sed colonis pro annua pensione locet, eadem, quæ hic textus præfigit, tempora spectabuntur, vt porrò horum defluxu constare possit, vtrùm hæredibus eius pensio, an verò ipsi domino, cedere debeat, secundum Bal. hic. quum ea eodem iure, quo fructus, censeri soleat. l. defuncta. ff. de vsufruc. Quæ dicta sunt superius, in fructibus obtinere, quæ operis acquiruntur, non in illis, quæ sine facto vasalli nascuntur. Andre. Ysern. putat, dicens quantum ad tales attinet, obseruandam esse dispositionem. d. §. is verò ad quem vsusfructus. quod non arbitror verum. Textus enim simpliciter hic de fructibus statuit, itaque simpliciter intelligendus. l. i. §. quod autem prætor. ff. de aleæ lusu. & aleato. generaliter namque disponens de fructibus, nullam inter fructus distinctionem facere voluisse censeri potest. argum. l. de precio. ff. de publicia.

2. Tametsi vasallo ante calendas Martij, vel post Augustum, vita functo, hæredes eius fructibus feudalibus anni illius non potiantur. vt hic. impensas tamen in agriculturam eius temporis à vasallo collatas, deducere permittentur, secundum And. Yser. argu. l. fructus. ff. solu. matri. & l. fundus qui dotis. ff. famil. hercíscun. vbi sic inquit: Impensarum ratio haberi debet, quia nullus casus interuenire potest, qui hoc genus deductionis impediat. Postremò ignorare non oportet, huius placiti feudalis dispositionem nequaquam obtinere in specie vasalli, feudum Cameræ vel Cauenæ possidentis: nam quum id in annua præstatione consistat, vasallus moriens prouentum illius anni quem ingressus fuit, ad suum hæredem transmittit, secundum Iacobum Ardizo. in summa. & Alua. in c. ij. sup. de feud. cognitio. per l. in singulos annos. ff. de annuis legat.

§. *Contra omnes debet vasallus dominũ adiuuare, & contra fratrẽ, & filium, & patrem, nisi cõtra alium dominũ antiquiorem. hic enim cæteris est præferendus.*

Vasallus cõtra omnes, etiam patrem, filium, ac fratrem operã suam auxiliarẽ impartiri debet, excepto illo, à quo feudum aliquod prius acquisiuit. Antiquioris enim domini potior est cõditio, & aliis semper præferẽda.

1. Si hunc text. non sanè, nec distincto quodam temperamẽto, verùm sic genericè, vt verba præ se ferunt, accipias, non solùm iuri gentium, verũm etiam diuinæ legi, vel ex diametro repugnare cõuincetur. Omnibus quippe hominibus inter se cõmune est, vt parẽtibus pareant. l. i. in fi. & l. ij. ff. de iust. & iu. Et id quidẽ summa ratione: nam vt cætera omnia, ab ipso Deo primã suam originẽ sumpserunt, ita & à parentibus liberi, initium nascendi quodam modo acceperunt, teste Ecclesiastico vij. c. sic inquiente: Honora patrem tuum, & gemitum matris tuæ ne obliuiscaris. Memento, quia nisi per illos natus non fuisses. Qua de causa & quartum Decalogi præceptum sic habet. Exod. xx. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram. Et Ecclesiastici iij. c. Qui timet Deum, honorat parentes, & quasi dominis seruiet his, qui eum genuerunt, in opere & sermone, & omni patientia. Si itaque ius gentium parentibus parendum esse dictat, si eos honorandos vox diuina edicit, si denique illis seruiendum tanquam dominis in opere, sermone, omnique patientia sacræ præcipiunt literæ,

teræ, quo pacto huic feudali placito sua constabit dispositio, filios aduersus parentes, parentes aduersus filios excitans, & in arma dissidiáque protrudens, modò domino, cuius sunt vasalli, operam per hoc suam impendant? Si dixeris, iurisiurandi vinculo adstrictum vasallum ad talia obligari, vt visa est dicere glos.i.in c. de forma.xxij.q. vlti. & Aluaro. hic confirmat, nihil egeris, quum iuramentum iniquitatis vinculum esse non debeat.xxij.q.iiij.imò in malis promissis rescindenda sit fides, quandoquidem impia fuerit promissio, quæ scelere adimpletur. c.in malis. ibidem. Si verò textus huius autoritate nitaris, iunceæ basi te inniti dixerim. Aut enim hic textus consuetudinem continet, & certum est eam, quia rationi repugnat, quantocunque tempore de facto seruata sit, nullum prorsus momentum obtinere. c.ij.consuetu.lib.vi. & per alia quæ citaui sup.de iis qui feu. dare possunt, in princip. Aut dogma feudale complectitur, vt nullam tantam autoritatem Oberti ab Orto, Gerardi Capagisti, aliorúmve priuatorum hominum esse, vt ius gentium, aut legem Dei immutare possint, & lippis & tonsoribus notum est. Quapropter absolutè hic textus accipi non potest, sed sub distinctione: nam quadruplici quæstionis themate suam interpretationē recipiet. Primò videlicet, an contra patrem patriæ proditorē aut oppugnatorē vasallus domino adesse non debeat, operamq; bellicā impendere. Secundò, an cōtra patrem, Christianā religionem insectantē, hæreticum aut scismaticum, filius domino suppetias ferre debeat, simul & in conflictum se recipere. Tertiò, an aliis de causis belligerāti aduersus patrem domino filius opem præbere, ac se expedire cogatur. Quartò, an frater aduersus fratrem indistinctè dominum suum iuuare, & bello interesse teneatur. Quantum ad primam quæstionem attinet, non abs re erit, dicere, vasallum ad id teneri, nam patriæ salutem, quàm patris in hac specie, chariorem habere debet. l.minimè. ff. de religio. & sump.fune. vbi filius patrem, aut pater filium occidens, patriæ scilicet defendendæ gratia, etiam præmio est afficiendus. fa.etiam text. in ratione suæ dispositionis in l. postliminium .§. filius. ff.de capti.& postli.reuer. vbi & dicitur, disciplinam castrorum antiquiorem fuisse parentibus Romanis, quàm charitatem liberorum: suffragatur & textus l.i. §.& generaliter. ff.de vent.in posses.mit.dum ait, partum non solùm parenti, sed etiam Reipub. nasci. rectè igitur parens Respub.aduersus quemcunque temerarium oppugnatorem defendetur. Ad secundam porrò quæstionem vel ex ipsis Christi verbis obuium est responsum, in Euang. inquientis: Qui honorat patrem aut matrem plus quàm me, non est me dignus. huc pertinent & ea quæ D. Hieronymus scribit ad Heliodorum in hæc verba, Audi edictum Regis tui: Qui non est mecum, contra me est: Et qui mecum non colligit, spargit. Recordare tyrocinij tui diem, quo Christo in baptismate consepultus, in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Et Alexand. in d. l. minimè, & l. si quis à liberis .§. parens. ff. de liberis agnos. inquit patrem interfici posse à filio. & ediuerso, si contra Christi fidem veniat. Itaque his duobus casibus huic textui locus erit. Ad tertiam verò quæstionem probè dicetur, nec patrem aduersus filium, nec filium aduersus patrem armari oportere, aut domino alioqui operam bellicā impartiri: quum id tam ius gentium abhorreat, quàm diuinū. sicuti superius recensui, vt interim taceam, iuxta statuta canonica, omnes qui aduersus patres armantur, in omni mundo, infamia notari. vi.q.i.c. infames. His adstipulatur Baldus in l.i. in secunda lectura, versiculo, vigesimoquatto quæritur. ff. de

re.diui.Et Fely.in c.ij.in i.colum.ext.de præsump.expressè adstruens, vasallum non teneri, vt dnm iuuet cõtra filium proprium. per ea quæ ibi in medium profert. Eius opinionis, dubio procul, nec Fel.nec Bal.fuissent, nisi huic textui per ius gentium & diuinũ, derogari debere existimassent. Denique ad quartam quæstionẽ, & si idem subinferri debere responsum appareat, quum humanitatis ac religionis ratio permittere non videtur, fratrem aduersus fratrem in conflictum descendere. argu. l. humanitatis, C. de excusa. tuto. Tamen in hac specie, sua feudalibus placitis dispositio illibata constabit: idque ratione illius mancipatissimi nexus, quo dominis vasalli aduersus omnes iurisiurandi vinculo adstringuntur. Maximè, quum in hoc themate, non sic in iuris diuini offendiculum impingatur, nec quispiam nostrorum Interpretum, id, quod sciam, refugiat.

2. Vasallus posteriori domino, aduersus priorem adesse, & suppetias ferre non debet. vt hic. Eius enim persona censetur excepta, & venerabilior conditio, cui primo se iurisiurandi religione obligauit. quare hunc aduersus posteriorem iuuare tenetur, secundum Aluaro.hic.post Iacob.Ardizo.per textum in §. illud.inf.de proh. feudi alie.per Fride. facit. l.in operis. ff. loca. vbi operarum duobus locatione facta, prioris conductoris potior est conditio. Et hæc vera est feudalis sententia, quicquid dixerit Baldus in l.vnica §. ne autem, versiculo, habeo duo feuda, C. de Cadu. tollen. At si ambiguum sit, vtri prioris domini competat prærogatiua, vtputa, quia feuda à maioribus per manus tradita sunt vasallo: in hac ambiguitate, iuuare debet vtrumque. argu.c.non æstimemus. xiij. q. ij. Sed electio eius erit, & gratificationi locus, vtri operam suam corporalem impendere velit. argu.l. vlti. ff.de religio.& sump.fu. modò tamen & alteri seruiat per substitutum, secundum Specul.tit.de feud. §. ij.versicu.xiij. & Alua.hic.

De filiis natis ex matrimonio ad Morganaticam contracto.

Titulus VII.

Quendam vetustissimum codicem vidi, qui habebat, de filiis natis ex matrimonio ad morgingabicum cõtracto. Morgingabicum autem dictio composita & conficta ex idiomate Germanorum videtur. Nam morgin, eorum lingua, mane siue matutinum sonat, & gaeb donum significat. morgingabicum igitur quasi donum matutinum interpretari licebit: qua donationem propter nuptias significari solitam puto.

QVIDAM habens filium ex nobili coniuge, post mortem eius non valens continere, aliam minus nobilem duxit, qui nolens existere in peccato, eam desponsauit, ea lege, vt nec ipsa nec filij eius amplius habeant de bonis patris, quàm dixerit tempore sponsaliorum. Verbi gratia, decem libras, vel quantum voluerit dare, quando eam desponsauit, quod Mediolan. dicunt accipere vxorem ad morganaticam, alibi, lege Salica. Hic filiis ex ea susceptis decessit. Isti in proprietatem non succedũt, aliis extantibus, sed nec in feudo, etiam aliis non existentibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minimè succedunt. In proprietate verò succedũt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole descendentibus, secundum vsum Mediolanen.

Matrimonio ea conditione cõtracto, vt filij ex eo nati, non succedant cum filiis primi thori, sed contenti sint dono siue portione, desponsationis tempore

pore, à patre designata ac tradita coniugi: nec in liberis ac propriis bonis si primi extent filij, nec in feudo etiam si illi non extent, patri suo succedere permittentur, tametsi illis mortuis, posteriores hi filij, ad successionem patris in propriis eius bonis admittantur: Similiter & illorum præmortuorum, si nullam reliquerint sobolem, hæredes esse possint.

1. Hunc textum, cùm nec æquitati nec legibus satis congruat (vt patet ex §. illud quoque, In Authen. de nup. col. iiij.) illis duntaxat locis in quibus specialiter moribus est receptus, circumscribere oportet, secundum Iacobum à Belui. Bald. Aluaro. & alios.

2. Ex hoc c. inter alia collige, filios secundi matrimonij ad morgingabicum cõtracti, etiam mortuis ex priore cõiugio filiis, patri in feudo non succedere: sicq; per existentiam alicuius, à successione feudi exclusum, etiam eo sublato, perpetuò manere exclusum. horũ argumento, dici poterit secundũ Bal. Quòd si regnum ex pacto deuolui debeat ad primogenitũ, admitti ad id secundogenitũ non debere, etiam illo, sine hærede, vita functo, vtpote semel per existentiam primogeniti exclusum. Sed huius etiam alia est ratio, quia videlicet pactum de secũdogenito nõ meminit, igitur hoc ad aliam personã, cuius facta nõ est mentio, minimè porrigetur. arg. l. iubemus. §. vlt. C. ad S.C. Trebel. huic tit. congruunt, quæ dixi in c. mulier. sup. si de feud. defunct. conten. sit inter domi. & agna. vasal. & in c. filij. eo. titu.

De feudo fœminæ. Titulus VIII.

SI FOEMINA habẽs feudum decesserit, quia fœmineum est feudum, & sine pacto speciali, deficientibus filiis masculis, ad filias pertinebit. Ober. & Ger. alij verò dicunt, nisi per pactum speciale ad eas non pertinere, sicut si datum esset filio masculo: quia si ideo quòd est fœmineum, sine pacto transit in fœminas, eadem ratione quia est fœmineum, transit in fœmineam prolem, etiam masculis extantibus, quod falsum est. Ex hoc illud descendit quod dicitur, clericum nullo modo in beneficium paternum debere succedere, etiam si postea quam habitũ religionis assumpserit, postposuerit. Idem in omnibus qui habitum religionis assumunt, vt Conuersi, hi enim nec postea in feudo succedunt, & si quod habent, perdunt.

Ad successionem feudi fœminei & noui, filiis non extantibus, etiam filiæ admittuntur: quanquam speciali pacto inuestituræ id cautum non existat: Suapte enim natura, hoc feudi genus fœminas, in defectum marium, vocare censetur: Nonnulli tamen filias, tam à feudo fœminæ, quàm mari cõcesso eliminari putant, nisi earũ succedendi facultatẽ pactum expressè conciliet, hoc videlicet argumento freti: Nam si non vigore pacti, sed ideo succedere in feudo permittuntur filiæ, quia feudum est fœmineum: eadem ratione, consentaneum fuerit, eas, masculis etiam extantibus, in feudo succedere: Verùm hanc illationem constat esse ineptam: quum fœminis, donec supersint mares, nunquam ad feudalem successionem aditus patere queat. c. i. sup. de eo qui sibi vel hæredib. suis. & c. filia. sup. de succes. feud. & quæ ibi dixi. Qua de causa, si sic argumenteris, feudum est fœmineum, itaque filiis etiam extantibus, in eo, succedet filia, non magis assequeris, quàm si sic colligas, feudum est paternum, igitur filius etiam clericus, vel monachus, ad eius successionem vocabitur. Nam quemadmodum filia, illo casu, succedere non potest, impediente eam filiorum existentia, ita & filius hac specie, succedere nequit, impediente eum voti aut instituti professione:

quod etiam obtinet, si habitum religionis postea exuerit, aut vitæ genus commutarit: Qui enim habitum religionis assumpserunt, & præsenti feudo priuantur, & destituuntur futuro.

1. Si feudum alicui fœminæ simpliciter concedatur, vt scilicet id habeat pro se, ac hæredibus suis, eaq; nullis superstitibus filiis decedat, filiæ eius ad feudi talis fœminei successionem admittentur. per hunc textum, quem sic intelligit Iacob. à Belui. Nico. Neapo. Bal. Aluaro. & cæteri. cui intellectui applaudit c. i. inf. de natu. success. feudi. Sed glossa hic & And. Yser. in casu subiecto filias negant successionis capaces, nisi expressè de illis facta sit mentio: quum feudum concedens fœminæ eiúsque hæredibus, de masculis, vt placita feudalia, intellexisse videatur. §. & si clientulus. suprà, de aliena. feud. Verùm æquior est prælibata opinio, & præsenti textu (meo quidem iudicio) clarè aperteq; suffulta, quæ & nititur ratione: quia posteaquã hoc feudum primæua concessione, radicatũ fuit in persona fœminæ, iniquum, aut contra mentem cõcedentis videri non potest, hoc in sua originaria qualitate ad fœmineam prolem propagari, quum rem quamq; sua origine metimur. l. qui id quod. ff. de donatio. & ad primordium tituli posterior formetur euentus. l. vni. in fi. C. de impo. lucra. descrip. lib. x. Nisi vel expresso pacto in cõtrarium sit prouisum, vel per masculi natiuitatẽ filiæ semel fuerint exclusæ. de quo latius in c. i. §. quinetiam. sup. Episco. vel Abba. feu. da. non pos.

2. Religionem professus, aut alioqui sacris ordinibus initiatus, adeò feudalis successionis non est particeps, vt etiam id quod prius habuit feudum, amplius retinere non possit. vt hic. quod intellige, nisi paratus sit dño seruire per substitutum, secundum gloss. hic. in verbo Succedere. per l. quamuis. & l. ad similitudinẽ. C. de Episcopis & cleri. Non enim sic Iudaicè, vt litera sonat, præsentem textum intelligere oportuerit, secundum Bal. & Aluaro. de quo latè dixi in c. vnico. sup. de mili. vasallo qui arma belli. depo.

Si vasallus feudo priuetur, cui deferatur.

Titulus IX.

VASALLI feudum delinquentis, licet ad agnatos quandoq; pertineat, filius tamen ad id nullatenus aspirabit: nisi id iterum à domino licitè acquirat sibi gratiam faciente. Verbi gratia, Si nõ sunt alij ex latere, quibus aperiatur, ad eius petitionẽ admittuntur qui quarto gradu sunt remoti, ab eo qui id acquisiuit, & etiam vsque infinitum. Dum tamen hos constet ab eo per masculos descendisse.

Quum vasallus ob culpam in alium, quàm in dñm cõmissam antiquo priuatur feudo, ad eius successionẽ, excluso filio, collaterales vocabũtur, non solùm in quartum vsq; gradum, vt quondam, sed etiam in infinitũ, modò genus & originem duxerint à primario feudi acquisitore, filius autem peccanti patri, vt dictum est, in eo non succedet, nisi agnatorum defectu, gratuita & restauratiua beneficẽtia dominus ei id cõcedat. vt in princip. text. quem nos inuerso ordine, vt dilucidior esset, ad hunc modum expressimus.

1. Res ipsa indicat, textũ hunc de feudo antiquo accipiendum esse, item de culpa in alium, quàm in dominũ cõmissa: si enim feudum fuisset nouum, aut delictum in personã domini patratũ, ad eum vtiq; non ad agnatos feudum deuolueretur §. deniq;. & ibi dixi. sup. quæ fuit pri. cau. benef. amit.

2. Posteaquã vasallus ratione delicti in alium quàm in dñm cõmissi feudo cecidit, eius successio defertur agnatis, nõ solùm ad quartũ vsq; gradũ, sed etiam

etiam in infitum, à primo descendentibus inuestito. Sed intellige hæc de illis agnatis, qui gradu demum quarto delinquentem contingunr, vt concordet hic tex. cum c. si vasallus culpam, sup. si de feu. defun, conten. sit, inter do. & agna. va. Agnati enim quarto demum gradu dissiti, ad successionem hac specie admittuntur. quia infra illum constitutis, vtpote admodum propinquis, eadem inesse videtur delicti nota, eademque morũ depravatio: quanto enim proximiores, tãto & infectiores delinquentis macula censentur, secũdum Bal. in d. c. si vasallus culpam, nec id mirum videri debet, cum & iura ciuilia vel ex natione ipsa, & probitatem & improbitatem hominis æstimare soleant. l. quod si nolit. §. qui mancipia. ff. de ædili. ædi. Porrò tam & si cõiũcti illi innocui esse possint, & probi, nescio tamen quo pacto ab ipsa etiam natura suspecti habeantur, cuius instinctu ebullire sanguinem offenso cõspicimus, quoties personas tam coniunctas intuetur offensoris, secũdum Bal. ibid. In quartum igitur vsque gradum successione negata, admissum expiare facinus feudalia placita voluerunt. Remotiores autem admittutur, & quidem mox, non expectata morte delinquentis. secundum Aluaro. in §. vlti. conclu. xv. sup. quæ fuit prima cau. benefi. amir.

3. Feudo ob delictũ patri priuato, filius non succedit, nec eius descendẽtes vsque in infinitum, vt hic: & in d. c. si vasallus culpam, quod Bald. ibi, ad terrorem delinquentium, singulari iure feudorũ vsibus receptum esse dixit: quia pœnis filiorum vitium paternum refrenandum esse existimauerũt, vt alio fine dicitur in l. vlti. C. de naturali. libe. Crimen itaque patris hic filio nocet: sic & alibi, maiorum suorum exempla cuipiam præiudicant. l. si cohortalis. C. de cohortali. & principi. cornicu. lib. xij. Regulariter tamen obtinet, vt crimen paternum nullam maculã filio infligat: nam vnusquisque ex suo admisso sorti subiicitur, nec alieni criminis successor constituitur. l. crimen, ff. de pœn. l. si pœna. ff. eo. l. sancimus. C. eo. tit. versi. propinquos, notos, familiares procul à calũnia submouemus, quos reos sceleris societas non facit; facit l. si quis in suo, in fi. C. de inoffi. testa. dum ait: Iniquum iudicamus, vt alieno odio alius prægrauetur. adstipulatur his & illud Ezech. xviij. c. Anima quæ peccauerit ipsa morietur, filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij, iustitita iusti, super eum erit, & impietas impij erit super eum. Sed hæc prophetæ sententia de pœna mortis æternæ inrelligitur, vt patet, ex tex. Augustini in c. quæris. de consecra. dist. iiij. nam pœnam mortis corporeæ ob aliena scelera innocentes etiam plerique diuina vltione sunt perpessi, vt i. Reg. xv. Exo. xi. i. Re. iiij. Iosuæ vij. & ij. Reg. vlti. de quibus omnibus late in c. ecclesia §. item pectato. i. q. iiij. & pulchra glo. in summa ea. quæstione. Verùm iure positiuo delictum patris in pœnam filij redundare casibus quibusdã certũ est. Primo in crimine læsæ maiestatis diuinę, puta hæresis: nam filius ob hæresim patris eius priuatur successione. c. vergentis, de hære. Authen. Gazaros. C. eo. tit. Secundò in crimine læsæ maiestatis humanæ. l. quisquis. C. ad l. Iul. ma. Tertiò in natiuitate paterno inquinata crimine, veluti filij sacerdotis, qui non solùm hæreditatem patris non recipiet, sed etiam in seruitute eius Ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia natus est, iure perhẽni manebit, c. cum multæ, in fi. xv. quæst. vlt. Præterea nec ad ordines sacros promoueri, nec ad ecclesiasticos titulos recipi poterit, nisi maculam pontifex abstergat. c. i. & ij. de filijs presby. lib. vi. Idem iure Ciuili in damnato ac nefario cõgressu natis statutũ est, vt scilicet paternæ substantiæ beneficio sint indigni. Authen. ex complexu. C. de incest. nup. Quartò in dispositione legis munici-

palis, nam legem municipalē statuere posse, vt quis pœna ciuili pro delicto alieno plectatur Bart. pronunciat in l. iure prouisum. C. de fabricen. lib. xi. & Alex. Ymol. in l. sæpe, ff. de re iudi. Congruit hic quod dixit Bal. in l. dotis, in fi. C. de iure doti. Municipij videlicet lege recipi posse, vt filij mercatorum teneantur ad solutionem debiti paterni, etiam si patri non sint hæredes. Quintò in successionibus feudorum: nam patris delictum filio præiudicabit, vt in feudo succedere non possit, vt hoc tex. quod intellige, si delinquens pater actu feudū possideat, secus si feudum adhuc apud patrē eius consistat: nam filius delinquētis succederet auo, hac specie, ne vitio paterno excluderetur, secū: Alua. hic, ar. l. Gallus. §. & quid si tantū. ff. de lib. & posthu.

4. Dominus autem amissum feudum paterna culpa, gratuito beneficio restituere filio poterit, modo nulli supersint agnati, ab originario feudi acquisitore genus ducentes, ad quos id iure deuolui debeat. vt hoc tex. Nam his extantibus, præiudicari per domini concessionem non posset. c. i. inf. de alie. pater. feud. quum in cuiusquam iniuriam, beneficia tribuere, ne principis quidem mos existat. l. nec auus. C. de eman.

Qui testes sint necessarij ad nouam inuestituram probandam.

Titulus X.

Siue clericus siue laicus sit dominus, ad probandam nouam inuestituram semper pares curiæ sunt necessarij, etiamsi sine eis facta sit inuestitura, etiamsi dominus confiteatur factam. Quia tamen sine hac solennitate facta est, non valeat, etiamsi probari posset per breue testatum. Sed & alij contra testantur, & si dominus confiteatur factam, decurrens postea ad solennitatem consuetudinis, non audiatur, sed tale habeatur, ac si pares affuissent: Sed alij, etiam si probari possit per breue testatum, vt Ober. & Gerar. nisi à paribus curiæ fuerit confirmatum, Coss. tamen Mediolanenses nuper in quibusdam omnia contra rescripserunt, in quo ferè omnes Mediolanenses consenserunt, & consentiunt vt breue testatum non à paribus, sed ab aliis confirmatum sufficiat ad probandam nouā inuestiturā. Nouam inuestituram dico, quando feudum primò quæritur. De veteri autem beneficio inuestituræ, quæ fit à domini successore vel vasallo successori, etiam extranei recipiuntur ad testimonium, præter fœminas, secundū vsum Mediolanensem. Istæ enim nec in causis feudi, nec aliorum recipiuntur ad testimonium, cæteri aūt recipiuntur in omnibus quæ ad causas feudi pertinent, præterquam de noua inuestitura.

Regulare est, vt noua inuestitura, siue à clerico, siue à prophano sit facta, probari nequeat, nisi per curię pares, qui rei gestæ interfuerunt, quod adeò censetur obtinere, vt licet vel ipsa rei euidentia, vel domini adsertione, vel instrumento publico, quod breue testatum appellatur, inuestituram factam esse constet, nullius tamen momenti esse debeat, si eam non coram paribus curiæ concessam esse apparere possit, idq; ratione omissæ solennitatis, qua vitiari actum ipsum necesse est, Alij verò in diuersa sunt opinione, existimantes, postcaquam domini confessione, de inuestitura liquet, eo loco haberi illam oportere, ac si præsentibus paribus facta esset, proinde & frustra ob consuetæ solēnitatis defectū, postea impugnari. Sed Obertus & Gerardus priorē amplectuntur sentētiam, hoc asserentes, vt etiam per instrumentum publicū, noua inuestitura probari non possit, nisi testimonium parium

Curiæ

Curiæ, qui ei interfuerunt, instrumento sit insertum. Mediolanenses tamē, ad prælibatæ rei probationem, breue testatum quorumcunque testimonio munitum sufficere pronunciant, sed hæc opinio eorum ditione claudenda, ad alios Regni fines non progredietur. Nouam autem inuestituram, de qua hic fit mentio, intellige, qua feudum primo alicui confertur. Inuestiturā verò antiquam accipe, quam de feudo antiquo, vel domini concedit hæres, vel à domino hæres vasalli accipit: propriè tamen inuestituræ nuncupatur renouatio. Hanc per quoscunque testes, modò non sint fœminæ, sicut & alia quæ circa feudum versantur, probari posse constat. Etenim mulierum testimonia, vt aliis quibusdam in causis, sic & in feudis respui solent.

1. Inuestitura noua vtrùm facta sit, nec ne, per curiæ pares, duos ad minus, aut instrumento publico, quod breue testatum vocatur, testimonio duorū parium cōmunito, probare debet. vt hic. & inf. de notis feudo. versic. quòd autem pares. Huius duplex est ratio. Primam indicat hic textus, quia præsentia parium ad necessariam inuestituræ solennitatem desyderatur. ea porrò solennitas per extraneos probari non debet, sed per illos, qui ei interfuerunt. Secundam tradit textus in §. Idcirco. inf. de notis feudo. vbi sic ait. Idcirco pares necessarij sunt in instrumento inuestituræ, & non alij, ne quid excogitetur falsitatis, in perniciem domini aliis testibus inductis, corruptis fortè pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non sunt suspicāda in paribus. Quare tametsi secundum hanc rationē, quum dominus factam inuestiturā sponte confitetur, sicq; volenti & scienti non præiudicetur, eo ipso inuestiturā probari & subsistere posse videatur, etiamsi in parium præsentia non sit facta, tamen intuitu prioris rationis, id obtinere non potest, quoniam eorum præsentia, tanquàm necessaria actus solennitas, nouæ inuestituræ interuenire debet. vt hoc textu in princip. igitur quod defectu solennitatis corruit, solo domini consensu & confessione subsistere non potest. Non his refragatur l. si veritas, C. de fideicōmis. vbi si veritas & solennitas iuris deest, sola tamen voluntate, res aliqua, pro vera & solenni agnosci potest. Nec repugnant iura illa, quæ in suum præiudicium validè vnumquemq; voce sua confiteri quidlibet statuunt. l. rura. C. de omni agro deser. lib. xi. l. cùm precum. l. penult. in fine, C. de libera. causa. nam alia versatur ratio in decisione præsentis textus. Quum enim feudum eius sit naturæ, vt sine inuestitura nullo modo constitui possit. c. vnic. sup. quib. mo. feu. consti. potest, sine inuestitura, inquam, solenniter facta, coram duobus scilicet vasallis, curiæ paribus. sup. quid sit inue. in prin. nisi actus aliquis coram eisdem paribus fiat, vim habens inuestituræ. vt inf. tit. prox. in prin. consequens est, vt si feudum in rerum natura non sit constitutum, domini confessio ad id constituendum nullo modo sufficere possit. Cæterùm si in feudi possessione iam sit vasallus, ac inter eum & dominum de inuestitura lis oriatur, quomodo res probationem accipiat, vide in c. vni. sup. si de inuesti. inter domi. & vasal. lis ori. Porrò quòd pares tantùm interesse debeant inuestituræ nouæ feudi, & non alij, hoc accipe, cùm dominus vasallos alios habuerit: alioqui enim adhibebit, quos meliores poterit; liberos tamen. inf. de notis feudo. versicu. quòd autē pares. In Ecclesiasticorū etiam inuestituris, quæ de rebus ecclesiæ fiunt, tam extranei quàm pares curiæ recipiuntur. sup. si de inuesti. inter do. & vasal. lis ori. c. vni. in fine. Diuersum, si Ecclesiastici eam de bonis sui matrimonij concedant, & ita intelligendus est præsens textus, in princip. nam hac specie, eodem iure, quo prophani censebuntur.

2. Noua inuestitura dicitur, qua feudum nouum acquiritur. vt hic in

textu,

textu. Feudum verò antiquum dicitur, quod à maioribus est acquisitum. inf. de natu. succes. feu. c. 1. & sup. de gradib. §. idq; tum vetus tum paternum solet appellari. vt hic in fine text. & inf. de aliena. paterni feu. in prin. In hoc autem non propriè fit inuestitura, sed inuestituræ antiquæ renouatio. sup. per quos fiat inuesti. in princ. & ibi dixi. & sup. quæ fuit pri. cau. bene. amit. in princ. Ea per quoscunque testes probari poterit. vt hic in fine textus.

3. Inuestituræ renouatio, sicut & alia quæcunq;, circa feudum versantia, præter nouam inuestituram, per extraneos testes, probari poterit, exceptis fœminis, quarum testimonia in re feudali, vsus feudorũ respuunt, sicuti eadem in quibusdam casibus, nec iura admittũt, vt in testamentis. l. qui testamento §. mulier. ff. de testa. & in criminalibus causis. c. forus §. vlti. ext. de verbo. significa. & c. mulierẽ. & vtrobiq; glos. xxxiij. q. v. Sed quanquã hæc crebrior habeat opinio, iure tamen non probatur, secundum Decium in l. ij. ff. de regul. iur. versicu. decimosexto. & contrariam sententiam amplectitur Viglius Suuichemus Frisiæ suæ decus & ornamentum, in §. testes autem. Insti. de testa. ordi. In aliis autem causis, testem esse mulierẽ posse, vtroq; iure constat. d. §. mulier, & c. tam literis. & c. super eo. de testi. Quare & in codicillo testis admittetur, secundum glos. in d. §. mulier. quum id iure non inueniatur prohibitũ, quod Panor. sequitur in d. c. forus. in fi. & Viglius idem probat. vt sup. Verùm quia varium semper & mutabile fœmina. vt ibi inquit text. virorũ testimonia plus ponderis quàm mulierum habere constat: Quocirca si in eadem causa pro altera parte viri duo, pro altera, duæ mulieres testificentur, virile testimonium præferetur. secundum Panor. ibidem.

De consuetudine recti feudi. Titulus XI.

SCIENDVM est itaque, feudum acquiri inuestitura, successione, vel eo quod habeatur pro inuestitura, vt ecce si dominus coram paribus curiæ dixerit: Vade in possessionem illius fundi, & teneas illum pro feudo. Licet enim non intercessisset inuestitura, tamen tale est, ac si intercessisset, quia ille eius voluntate possessionem feudi nactus est feudi nomine. Indè etiam dicitur, quòd si alius probauerit, se aliquid nomine beneficij aliquo tempore tenuisse, domino præsente, & non contradicente, & seruitium eius, quasi à vasallo recipiente, licet non probet inuestituram, veruntamen obtinebit præstito iuramento, nisi aliud contrà inducatur.

Quod autem dictum est, vt per pares probetur inuestitura, intelligendum est de eo domino, qui alios habet vasallos. Cæterùm sufficiunt extranei. Nec dicatur inuestituram, vbi sine paribus facta est, valere, quoniam tunc temporis aberant pares, quia etiamsi absint, tamen expectandi sunt.

Quoniam perspicuus est hic text. vsq; ad §. sacramentum, paraphrastica non indiget explanatione, maximè quum eius materiam variis in locis attigerimus. vt sup. de feu. cogni in fine, & quid sit inue. in princ. & quib. mod. feud. constitui potest. c. vnico. & in c. ij. in fine. sup. si de inuesti. inter domi. & vasal. lis oriat. Et de materia versiculi: Quod autem, vide in §. si autem inuestitura. sup. quid sit inuesti. & aliis præcedentibus titulis.

§. *Sacramentum non semper est dandum poßidenti, sed quandoque poßidenti, quandoque petenti, quandoq; neutri datur: & cùm alicui horum datur, ita demùm datur, si aliquid pro eo sit quod iudicem moueat, Vbi nihil est quod faciat pro aliquo eorum præter possessionem solam, tunc secundum quod iudici melius*

visum fuerit, aut possidenti dabitur sacramentum, aut actore nihil probante, qui conuenitur, etiam si nihil praestiterit reus, tamen absoluitur vel obtineat.

Vtri litigatorum, & quando in causa feudali deferendum sit sacramentũ, certa regula difiniri nequit. Etenim nõ semper, sed interdũ possidenti, interdũ actori, interdũ neutri datur, quatenus videlicet aliquid obuersetur, quod animũ iudicis in alterutrũ iustè inclinet: Cæterùm quum neutri litigatori quippiã patrocinetur, nisi possessio, iudex pro suo arbitratu, aut secundũ iuris cõmunis regulas, simpliciter actore nõ probãte absoluet reũ, aut ex vi vsuum feudorũ delato possidenti iuramẽto, sentẽtiam absolutoriam feret.

1. Hoc c. velut basis & lapis angularis, est in materia iuramenti in causis feudalibus à iudice deferendi, nam ex eo interpretationem alia placita recipiunt. vt sup. de contro. inter domi. & vasal. & si de inuesti. inter do. & vasal. lis oriatur. & quid sit inuesti. §. 1. & ij. & si de feudo vasal. fuerit interpel. c. 1. & si de feudo defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. c. 1. ij. & iij. quemadmodũ & aliis creberrimis locis à nobis tractatum. Porrò licet interpretes nostri in l. admonendi. ff. de iureiu. in l. bonæ fidei. C. eo. & in c. vlt. ext. eo. tit. prolixè, vel ad nauseam tractent. vtrum actori, an reo iuramentum à iudice sit deferendum: in feudalibus tamen causis, id ius dicenti arbitrarium esse. præsens tex. apertè commonstrat, pro vt ratio aliqua, in hanc, vel in illam partẽ, eius animum flectat. Circa hæc vide quæ annotaui in §. vlt. sup. de succes. fra. vel gradi. succe. in feu. Verùm tametsi iure cõmuni, reus actore, nihil probante, sine aliquo iuramento, sit absoluendus, l. qui accusare, C. de eden. cum simi. tamen in causa feudali, & si actor nihil præstiterit, etiam possidẽti reo iusiurandum deferri poterit, si ita iudici visum fuerit. per hunc text. Sic & iure Canonico cautum est, vt si actor nihil probet, præsumptione tamen iuuetur, reo iuramentum, ad ostendendam suam innocentiam, deferri posse. c. vlti. §. vl. ext. de iureiu. Multa hic conglomerantur per Alua. Præ. & alios, mutuata ex commentariis in d. l. admonendi. & d. c. vltimo, quę nos missa facimus. Non enim consilium nobis est, omnia passim in rem feudalem vndecunq; conuehere, præsertim quum opinionibus magis quàm solidis rationibus apertisq; textibus, rem geri videamus.

§. *Et cum datur, aut datur à iudice, aut à parte: si à parte aut subeat cum duodecim sacramentalibus secundum inferiorem distinctionem, aut referat pars cui delatum est. Si à iudice, iuret ille cui delatum est cum duodecim vasallis, cum sex parentibus, cæteros si vult habeat extraneos, Dominus verò si vult cum parentibus, aut cum vasallis solis, aut cum parentibus vasalli, vel cum extraneis mixtis parentibus vel vasallis, & iurabit vasallus sine mentione conscientiæ, dominus quoq; de suo facto similiter. De facto verò patris vel aui aut alterius ascendẽtis, iuramẽto cõscientia præponetur. Quidã tamẽ dicũt nõ quidẽ conscientiam esse præponendã.*

Hic §. quum ferè non vsu sit obsoletus, superuacuo sermone à nobis nõ est prosequendus. Ex eo tamen tria colligere licebit. Primò, eum cui in causa feudali à parte iusiurandum delatum est, aut iurare debere, secundum formam hic præscriptam: aut aduersario sacramentum referre, quum alioqui manifestæ turpitudinis & confessionis sit, nolle nec iurare, nec iusiurandum referre. l. manifestæ. ff. de iureiu. Secundò collige, vasallum iuramento à iudice delato, iurare cum duodecim sacramentalibus debere, quorum sex sanguine ei sint cõiuncti, quasi verisimile videatur sanguine iunctos, statum rerum coniuncti non ignorare, sed plus cæteris compertum habere. argu. l. octaui gradus, in fi. ff. vnde cog. si tamen desint coniuncti, extraneos admittendos

tendos esse hic. glo.& docto.asserunt,quum alioqui etiam testes non idonei admittantur,aliis deficientibus,idque ne probationis facultas angustetur. l. quoniam,in fi.C.de hæreti.l.serui.ff.de testi.verùm dominus etiam per alios,quàm consanguineos,intentionẽ suam iurare permittitur, vt hic.ex quo apparet,in hac specie,duriorem vasalli conditionem esse,quia videlicet certat de lucro captando. Tertio collige,vasallum ac dominum de suo facto iuraturos absolutè,videlicet,sic vel non,rem ipsam se habere: non autem de credulitate, videlicet se credere secundum conscientiam,ita esse vel non esse,nisi agatur de facto maiorum. Et hoc est,quod hic dicitur in tex.iurabit sine mẽtione conscientiæ.concor.§.cum datur.inf.de notis feudo.Sacramentales tamen isti,de quibus hic,credulitatis dumtaxat iuramentum subibunt,se videlicet credere,vera esse, quæ pars, cui iuramentum est delatum asseruit.c. fi.de purga. cano.& dixi supra de conten.inter domi. & fidel. de inuestitu.feudi,numero secundo,

§. *In quibus etiam causis sacramentũ calumniæ à domino non exigetur,quod nuper rex Federicus in Romandiola constituit, Vt vasallus calumniæ sacramentũ à domino non exigat, quod etiam à parte domini intelligendum est. Vt quod quisq; iuris in alium statuit,ipse eodem iure vtatur.*

Si dominus iuramentum in feudalibus causis vasallo deferat, secundum formam superioris §. ille calumniæ iuramentum à domino exigere non poterit,sicuti nec è contra dominus hoc exiget à vasallo. Idq; ea ratione, vt quod quisq; iuris in alium iustè statutum opinatur,ipse eodem iure vtatur.

1. Quamuis secundum ius Ciuile, ab eo,qui iusiurandum defert, prius de calumnia iuramentum exigi possit, l. iusiurandum & ad pecunias §. qui iusiurandum defert.ff.de iureiu. Tamen id non obtinet in causa feudali,inter dominum & vasallum mota.vt hic. Item licet parẽtibus & patrono hoc iusiurandum remittatur, vt ibi.tamen hic æque vasallo ac domino remitti traditur. Qua ex re manifeste apparet, quàm fragile sit argumentum à liberto ad vasallum,quod conducit ad ea, quæ dixi supra, de mili. vasal. qui contu.est.c.si verò vasallus. Ratio autem, quàm dispositioni huius tex. in fine subiunctam vides,& si coacte seruiat instituto,si verba cauillari velis,& ad viuum resecare, vt per glo.vlt.hic,eo tamen videtur tendere, quod æqualitas quædam vltro citroq;, in domino & vasallo sit obseruanda,cui etiam applaudit §. vlti.sup.de for.fide.Idq; potissimúm in iudiciis. arg. l. vlti §. de fructi.& lit.expen.Verùm & alia posset assignari ratio,cur à vasallo calumniæ iuramentum non exigat dominus, quia videlicet in sacramento fidelitatis,domino in sua iustitia,se non futurum damno iurauit.c.vni.de for.fi. per quod vasalli iuramentum,calumniæ malitia satis cõpesci videtur.Proinde secun. mentem qua glo.hic super verbo. in quib. Alua. & alij, hunc tex.restringunt,& in eo dumtaxat vasallo obtinere putant, qui feudum rectum affecutus,fidelitatis iuramentum semel præstitit,alioqui secus.Quare si contentio sit inter dominum & vasallum, qui nullam iurauit fidelitatem,genere feudi,quod obtinet,sic permittente, (de quo sup. quæ fuit pri. cau.bene.amit.§.est & alia,& sup.per quos fi.inuest.in fi.)vel si cõtrouersia sit,ante iuramentũ fidelitatis præstitum,puta post obtentam inuestituram abusiuã,iuxta materiam c.si facta,sup.si de feu.defun.conten.sit inter do.& ag.vasal.Certe his casibus iuramentum calumniæ(quia antea non iurauit) exigi à vasallo poterit, secun. Alua. Sed per rationẽ hic in tex.expressam, reciproce tunc à domino idem iuramentum exigi posse dixerim.

§. Similiter

§. Similiter vasallus dominum accusare, vel testimonium contra eum reddere non debet, in ciuili causa modica aut criminali. Quidam tamen dicunt, in criminali non licere, in ciuili licere, in quibus si contrà fecerit, feudo priuabitur.

Vasallus dñm accusans, vel testimonium contra eum, siue in criminali, siue in ciuili causa etiam modica, proferens, feudo priuabitur, licet alij, & malè, in causa criminali, hæc prohiberi, in ciuili verò permitti existiment.

1. De vasallo dñi accusatore latius diximus in §. item si, d.l. sup. quæ fuit pri.cau.bene.amit. quantũ ad testimonij probationẽ attinet, certũ est, in causa feudali super inuestitura noua, concessa sit, nec ne, parem vasallũ aduersus dñm testimonium ferre, iuxta c.1. sup. qui sint test.neces.ad prob.no. inuest. sed in aliis tam ciuilibus q̃ criminalibus causis, vasallorũ aduersus dños, improbas voces pœnæ obiectione præsens tex. præclusit, vt Imperator libertorũ, in l. libertorũ. C. de testi. Quare vt liberti, ne vocati quidẽ in iudicium venire cogũtur, vt cõtra dños testimonium dicant, vt ibi. & in l. lege Iulia, in fine. ff. de testi. sic & vasalli aduersus dños testimonium proferre non sunt cogendi. verùm si vasallum inuitũ, & iuris beneficio se excusantem, cogat & compellat iudex contra dominũ testificari, iam excusari vasallum, & feudo non priuari, sicq; restringi hunc textum Aluaro. hic tradit. sed ego vasallum hac specie stultũ esse dixerim, qui se contra ius fasq; à iudice sic opprimi & cogi sinat. An non ius publicũ inuocare poterit, & adire aliquem potestate præditũ, qui vim huiusmodi eum pati prohibeat? l. non est verisimile. ff. de eo quod met.cau. Non his refragatur textus, quem pro se Alua. citat in l. non videntur §. qui iussu. ff. de reg.iu. vbi qui iussu iudicis aliquid facit, non videtur dolo facere: quia parere necesse habet. Nam secundum gloss. ibi. hoc obtinet, quum iussus iudicis sit iustus, aut cùm de eius iustitia ambigatur: verùm si constet esse iniustum, iam parẽdum iudici non fore, imò & resistere ei licere, Bart. docet in l. prohibitum. per illum text. C. de iure fis. lib. x. secũdum Decium in d. §. qui iussu. In subiecta autem specie, quando scilicet vasallum inuitũ aduersus dominũ testificari cogit iudex, manifestè contra iura & iustitiam eum grassari constat, itaq; tali coactioni illicitæ non pareri, sed obuiari conuenit. His congruit elegans dictum Cyn. in l. 1. in pen. quæstio. C. de iu. & fac. ign. videlicet, si iudex de facto executionẽ faciat, sicut, inquit, videmus eos hodie facere, non citata parte, nec aliqua interlocutoria præmissa, certè isto casu de facto poterit resisti. d. l. prohibitum. C. de iure fis. quod dictum ibi refert, & simpliciter sequitur Iason. Per hoc in quæstione facti, quendam insignem virum, ab impetitione procuratoris fisci, absolutum fuisse memini.

§. Item si inter dominũ & vasallum controuersia sit de beneficio possidente domino, & vasallo in probatione deficiente, qui cõuenitur, nullo præstito sacramento absoluatur. Vasallo verò possidente, & actore in probatione deficiente, si longa sit vasalli possessio, eius iuramento causa finiatur. Vbi verò noua est possessio, sacramentum ei non præstabitur, nisi aliud faciat pro possidente.

Si de feudo, cuius possessio apud dñm consistit, inter eum & vasallum lis oriatur, nec de iure suo petitor probet, dñs, qui cõuenitur, etiam sine iuramẽti præstatione absoluetur. At si apud vasallũ annalis fuerit possessio, eius iuramẽto lis cõtrouersi feudi sopietur. nisi actor, scilicet dñs, intentionẽ suam probet: Si verò minori q̃ annali tempore, vasallus possessor fuerit, iam dñi iureiurãdo causa dirimet, nisi alia quędã adminiculata fuerint possidẽti.

1. Domi-

1. Dominus feudum possidens, ab impetitione vasalli intentionem suam non probantis, sine vllo iuramento est absoluendus: quod intellige, nisi vasallo iusta aliqua causa, seu præsumptio patrocinetur. Nam hoc casu, iudex domino possidenti sacramentum deferre posset. c. fi. si de inuesti. inter do. & vasal. lis oria. vbi dñs possidens cum xij. sacramentalibus iurare cõspicitur.

2. Si vasallus annali spacio in feudi possessione fuerit, præsumptionẽ iuris pro se adipiscetur. Igitur si dñs aliter de iure suo non doceat, vasallus iu reiurãdo sibi possessionẽ defendet, quod accipe, si possederit feudũ pacificè, dño sciente & non cõtradicente, sed seruitia ab eo tanquã vasallo, recipiente. d. §. fi. sup. si de inuest. inter do. & vas. lis oria. Quum enim hoc annale tempus præsumptũ ius pariat, certũ est, id non fluere nisi dño scienti, vt dictum est, cùm ignorantis sit nullus consensus, nullaq; voluntas. l. cùm testamentum. cum l. seq. C. de iur. & fac. ig. Nomine porrò longæ possessionis, de qua fit mentio, intelligitur annalis, secundũ glos. sup. eo. tit. in prin. in verbo, aliquo tempore. quod & sequitur Alua. & probatur per §. vlt. sup. si de inuest. inter do. & vas. lis oria. At si vasallus nouam duntaxat feudi possessionẽ habeat, hoc est, annali spacio breuiorẽ, iuramentũ domino petitori dabitur, nisi vasallo præsumptio aliqua seu probatio semiplena suffragetur, qua permotus iudex, ei potius iuramentum id deferat. vt in §. sacramentum.

De lege Corradi. Titulus XII.

Corradum hunc, siue, vt Germani efferũt, Conradũ, eius nominis primũ fuisse existimo, qui biennio post Henricũ primũ, dissidentibus inter se proceribus, lectus Imperator, quum cõperisset, multas in Italia Cisalpina ciuitates rebellasse, cõfestim in Italiam properans, Mediolanũ obsedit, à direptione tamẽ temperauit, ob Heliprandi principis potẽtissimi virtutẽ, & autoritatẽ, ac Coloniensis Archiepiscopi admonitionẽ. Indè Romã petens diadematis insignia à Ioanne xix. suscepit. Tumultuum procellis in Italia cõsopitis, leges multas promulgauit, quibus tum Reip. tum procerũ causæ, præcipuè eorũ, qui feudorũ beneficia possident, definiuntur. Inter quas etiam ea fuit, cuius hic titulus mentionẽ facit, vt cernere licet in legibus Longobardicis, titu. de beneficiis & terris tribu. Conradum aũt secundum ante Imperij infulas in fata concessisse constat, tametsi annis xv. imperasse legatur.

LEX CORRADI de beneficio, quæ dicit: Si inter Capitaneos controuersia sit, coram Rege finiatur: si inter valuasores, coram paribus curiæ. Mediolani non tenetur. sed talis distinctio ibi obseruatur; quid si inter duos, quicunque fuerint, de beneficio regali controuersia fuerit, quorum vterq; à Rege se dicit inuestitum fuisse, tunc causa coram eo decidatur: Cæteræ verò causæ apud pares curiæ.

Controuersiæ inter Capitaneos exortæ iudex erit Rex, siue Imperator Romanorum. Sed inter valuasores motæ cognitionem habebunt curiæ pares. idq; secundum legem Conradi. Mediolanenses verò hæc aliter definiunt. Nam secundum ipsos, si duo, siue Capitanei, siue quicunque alij, de beneficio regali contendant, cuius inuestituram à Rege se assecutum esse vterque asserit, quæstio ea coram regio tribunali dirimetur, sed aliis de feudis exorta contentio, per curiæ pares sopietur.

1. Capitanei isti, quorũ tex. meminit in prin. sunt illi, qui ab ipso Imperatore feuda sua & dignitatis titulos sunt adepti, vt Dux, Marchio, Comes & Baro,

Baro, secundum vsus Germaniæ Comiti adæquatus, quem & lingua vernacula Liberũ dominũ appellant: & hi propriè Capitanei regni vel Regis nominãtur, de quo sup. qui feu. da. poss. in princ. & in fi. & sup. de na. feu. in c. i. & latè dixi in c. vni. sup. quis dic. Dux, Com. & March. Capitanei igitur isti, siue de beneficio regali, siue alia de causa inter se cõtrouertant, iudicẽ habebunt Regem Romanorũ, vel Imperatorẽ, secundũ hunc text. quem sic intelligit Alua. Considerauit enim Conradus opes, potentiam, & dignitatẽ horum Capitaneorũ, aut in mutuas simultates, cum maximo subditorũ incõmodo, exardescere posse, aut inferiori tribunali vel gratiosas vel formidabiles fore. Proindè quascunq; talium controuersias, ad solium suum deferri voluit. Cæsarea Maiestas, cui dignitatis suæ fasces, oẽs ex æquo submittere cogũtur, non personarũ cõsiderata qualitate, sed meritis causarũ trutinatis, æquo libramine, iustitiæ munus cõsecuturi. Cæterùm si inter valuasores siue maiores siue minores, lis feudi oriatur, parium curiæ erit cognitio, vt hic. & sup. apud quem vel quos cõtro. feu. defi. c. vni. At Mediolanensium cõsuetudo, quantũ ad præfata attinet, causæ cognitionẽ, beneficij qualitate metitur, vt scilicet, ita demùm ad Regem spectet cognitio, si cõtrouersia sit super regio beneficio, secus si de alio feudorum genere agatur: tum enim nullo, hac in re, ad conditionem vasallorum, habito respectu, pares curiæ iudices erunt. Verùm enimuerò Lex Conradi, quæ potentiam Capitaneorum spectans, quasvis eorum causas iudicio Principis subiecit, magis consuluisse videtur securæ & incorruptæ iudiciorũ disciplinæ. Quod & Bal. & Aluaro. licet suo more locuti, sensisse conspiciuntur. Mediolanensium igitur opinio suis duntaxat finibus circumscribetur.

§ Si autem inter pares duos de aliquo beneficio controuersia sit, quorum vterque suum feudum proprium esse dicat, siue asserant eundem inuestitorem, siue diuersos, coram iudice vel arbitro finiatur. Sed cum vnum producunt inuestitorem, si possidenti dominus guarentare voluerit, sine fraude ipse obtinebit, nisi aduersarius contrà aliquid induxerit.

Contentione de feudo inter duos exorta, vtroq; illud sibi cõcessum asserẽte, siue vnũ eundemq; inuestitorẽ, siue diuersos prætendãt, causæ cognitio ad iudicẽ ordinarium, vel arbitrum cõmuniter electum pertinebit. Quãuis quum vnum profitentur inuestitorẽ, is possidenti, suo testimonio ad iudicẽ causæ legitimè trãsmisso possessionẽ constabilire & securã constituere possit, idq; nulla interueniente fraude: quod tamen ita demùm recipitur, si aduersæ parti ius potius non assistat, quo vel simpliciter, vel iuramento sibi delato, obtinere debeat, iuxta materiam §. sacramentum. sup. tit. prox.

1. Inter cõpetitores eiusdem feudi lis exorta, non corã domino feudi, sed coram iudice ordinario dirimetur, vt hic. & sup. de pa. tenen. §. si duo. & §. si tres. hoc tunc obtinet, quum alioqui non cõstat eos esse vasallos: si enim id cõstaret, & de aliqua feudi portione contẽderetur, domini cognitionẽ fore Alua. asserit. per §. pen. quem sic intelligere necessum est. inf. de proh. feu. ali. per Fride. Item in specie huius tex. lis præfata, etiam corã arbitro tractari poterit. vt hic dicit tex. Quo manifestum est, vasallum imminente sibi lite super feudo, in arbitrũ compromittere posse, quod & indicat c. vni. sup. de inuesti. in mari. fac. versicu. vel arbitrum vtriusq; consensu electum. inf. an apud iudi. vel domi. quæstio feu. de. termi. c. vni. in princ. quæ placita in suis casibus, per leges imperiales. inf. de prohi. feu. alien. abrogata censeri non debent. vt latius & benè defendit Aluarot. tametsi quidam diuersum sen-

ferint: sed quod non mutatur, cur stare prohibetur? l.sancimus.C.de testa. Prælibata tamẽ ex Speculatoris sententia temperamentũ accipiunt, vt scilicet vasallus super re feudali possit cõpromittere, quantũ ad suum, non aũt quantũ ad domini præiudicium attinet.argu.c.cum tẽpore.ext.de transact. secundũ Spec.tit. de Arbitro §. restat.versic.sed nunquid vasallus.quod declarari potest per ea,quę in simili dixi in c.si vasal.de beneficio.sup.si de feu. defun.cõt.fit inter do.& ag.vasal. Verũ in arbitratorẽ, vasallũ cõpromittere nõ posse dixerim,hoc est,in eum arbitrum,cuius in secũdo arbitrorũ genere meminit tex.in l.societatẽ §.vlt.ff.pro socio,idq; vel eo probatur,q feudorũ placitis certi definiantur,quibus feudalium causarũ permissa est cognitio,inter quos arbitratoris huius mẽtio nusquã inuenitur,quod & Alu.cõfirmat.

2. Si litigãtes vnum eundemq; inuestitorẽ super feudo profiteantur,poterit dñs ei qui feudum possidet,sua attestatione possessionẽ confirmare & cõstabilire. Nam dñs iudici,corã quo pendet causa,suum testimonium, vtri videlicet ius potius cõpetat,requisitus insinuabit, & hoc sequi iudicẽ,ac secundũ possidentẽ pronunciare cõueniet,modò alia probationis adminicula nõ suffragẽtur petitori. Eatenus tamẽ præfata sunt accipienda,quatenus res ex fide agatur,omni fraude ac machinatione prorsus exclusa.Guarẽtare aũt, vt hic inquit textus,vox est Tusca, & significat firmare, constabilire, &,vt vulgò dicitur, assecurare. Indè instrumenta guarentigiæ barbaries deduxit,de quibus per Iason. in l. error. in vlti.colum. C.de iur.& fact.igno. Si verò diuersos feudi inuestitores litigantes prætendant, locus erit dispositioni in §.si duo. sup. de pa.tenen.

§. Ex eadem lege descendit,quòd dominus sine voluntate vasalli feudum alienare non potest,quod Mediolani non obtinet:ibi enim sine curia etiam beneficium totum rectè alienatur,dum tamen aut æquali domino aut maiori vendatur,inferiori verò sine vasalli voluntate non licet partem alienare, etiam maiori retẽta parte alia feudi.verbi gratia, est vasallus qui ab eodem domino in pluribus locis feudũ tenet,si partẽ feudi in vno loco vendat,in alio sibi teneat,iste nõ debet emptori seruire,sed per priorem dominum totum beneficium recognoscere:cum curia verò cuicunque beneficium etiam rustico, & sine vasalli voluntate potest, dum tamẽ non totum alienetur.Ober. Quidam dicunt, & Gerar. non valere,si fiat inferiori.

Memorata Conradi lex,de qua in superiore c.etiam id cauet,vt domino feudi sui proprietatem,absq; voluntate vasalli,alienare nõ liceat, verùm & in hoc Mediolanensium consuetudo diuersum recepit, vt hoc textu explicatur,quæ suis tamẽ cõclusa limitibus,ad alia imperij loca non progreditur.

Exordio huius text.liquidò constat,dñm sine voluntate vasalli,ad alium transferre feudum nõ posse. cõcor.§. præterea ducatus.inf.de prohi.feu.ali. per Fride.Porrò an dominus,hac specie,feudũ alienans, eius proprietate cadat,inter nostros interpretes,res est cõtrouersa.Nam Bal.id negat in c.ij.per illum textũ.sup.quo tẽp.mil.sed glo.in c.i.sup.de for.fid.& Alua.hic post And.ab Yser.cõtrarium adstruunt. His suffragari videtur tex.in d.c.i.§.vlti. q videlicet inter dñm & vasallũ,quędã sit reciproci nexus similitudo: quod & cõfirmat c.dño.sup.si de feu.defun.cõt.sit inter do.& ag.vas.cum similib. Sed hæc capitula nõ absolutè domini & vasalli conditionẽ,sed fidei integritatem æquãt: quare ad subiectam speciem parũ conferre videtur, maximè, quum in dño secus atq; in vasallo constitutũ videatur.in d.c.ij.quo tẽp.mil. Vbi solùm actus pro infecto habetur,si feudũ dominus absq; vasalli cõsensu permutet. Item in d. §. præterea,& in text.præsentis c. nuda fit eius rei prohibitio,

prohibitio; nec pœna priuationis non parēti adiicitur, quam si imponere voluissent feudorū placita, silētio minimè præteriissent. Et quanq̃ actus vasalli, illicitè feudū alienātis, etiam pro infecto habeatur, & nihilo secius priuationi fiat obnoxius, sicq; idem in dño alienatore accipiendū putare possis, tamē id cōsequens nō fuerit, quum vtiq; hic grauius peccet vasallus, qui per illicitā alienatione dñm, à quo beneficium accepit, contēnere dicitur, quem cōtemptum vsus feudorū tam atrocē existimārūt, vt eum feudi amissione apertis etiam verbis expiandū putarint. sup. quæ fu. pri. cau. be. am. in fi. de dño verò nihil tale est diffinitū: siquidē quantū ad reuerētiam exhibendā attinet, nulli dubium, quin vasallo præstabilior & venerabilior dñs sit habēdus. c. vi. verſ. salua reuerētia. sup. de mil. vas. qui cōt. est. & c. vni. verſ. quō enim vasal. sup. in qui. cau. feu. am. Quare quum pœnæ sint odiosæ (priuationis præsertim) infligi nō debēt, nisi in specie à iure expressa, casibusq; lege scripta definitis, vt pulchrè tradit Bal. in l. nemo martyres. C. de sacros. Eccl. qui citat præclarū tex. in l. at si quis impediat. versi. Diuus aūt Marcus, ibi. pœnā tamē in eum statutā nō esse. ff. de religio. & sump. fun. Pœnæ quoq; nō extendēdæ, sed potius restringendæ fuerint. arg. l. cùm quidā, in fi. ff. de libe. & posthu. Facit & l. interpretatione. ff. de pœn. c. pœnæ. de pœniten. dist. i. Præterea quod iure nusquā inuenitur cautū, temerè non est asserendū. l. dissentientis. versic. nulla præcipit constitutio. C. de Repu. l. illam. versicu. eo quòd nulla constitutio super huiusmodi collatione posita est. C. de colla. & in Authen. de non eligen. secun. nuben. §. fin. aūt non valuerit. versic. nec quælibet est lex tale aliquid dicens. col. i. & ext. ne sed. vacan. aliquid innoue. c. illa. versicu. quum nusquā cautum inuentatur à iure. Ex quibus omnibus Bal. sententiam in d. c. ij. quo tempo. mil. veriorē puto, videlicet, dominū absq; voluntate vasalli feudum alienantem, eius proprietate priuari non debere: verùm satis esse, vt alienatione tali in irritum lapsa, vasallo, ne quid exindè detrimenti accipiat, prospiciatur, vt hæc textus, in d. c. ij. non obscurè constituit.

§ Similiter nec vasallus feudum sine voluntate domini alienabit, in feudum tamen rectè dabit, si secunda persona sit talis, quæ feudo seruire possit, vt si dans miles est, & ille qui accepit feudum inueniatur miles, ad hoc vt feudum si contigerit, domino similiter seruire, vt & prior possit; & hoc vt dare liceat infinitum: In quibusdam tamen curiis vltra tertiam personam feudi concessio non extenditur, vt cùm feudum peruenit in quartam personam, ei auferre dominus possit, Profectò ille qui suum beneficium alij dat in feudum, non debet alia lege dare, nisi qua ipse habeat: vt si habeat sibi suisq; hæredibus (quod intelligi debet de solis masculis) non debet alij dare, vt habeat ipse & sui hæredes masculi & fœminæ. Vndè quibusdam placet, quòd qui taliter dedit, eo ipso beneficium amittit. Gerard. & alij dicunt, quòd qui dedit, & cui datum est, beneficium perdit. Secundùm alios verò tunc domino aperitur, cùm masculi defecerint.

Ex lege Conradi etiam promanat, vt econtrà, vasallus sine domini voluntate, alienare feudum non queat. Alij tamen per subinfeudationem vel in infinitū concedere possit, licet nonnullis in locis, vltra tertiam personā, præfatæ subinfeudationis concessio non porrigatur, à priore domino liberè reuocāda. Præfata obtinent, si æquali & eiusdem cōditionis viro feudum subinfeudetur, veluti si à milite in militē fiat, qui domino nec secus, nec segnius, ac prior vasallus, seruire posſit. Item si eadem lege, qua id primò acceptum fuit, concedatur. Proindè si alicui, hæredibúsque suis feudum sit concessum, quorum vocabulo soli masculi comprehenduntur, hoc pro-

miscuè ad masculos & fœminas deuoluendum subinfeudatione tradi non poterit. Quapropter si ista non obseruetur, quicquid alij dicant, irritum erit omne quod gestum est, beneficio ad primum concedente libere reuersuro.

2. Collige primò ex hoc textu feudum subinfeudatione in infinitum concedi posse, idq; beneficio legis Conradi: quæ vt Imperialis, ius commune promulgare censetur, vbique obseruandum, nisi specialis loci consuetudo aliud dictarit, vt hic subiungitur; quod & Aluarotus post Iacob. Ardizo. sensit, modò tamen hac specie agnatorum subinfeudantis accedat consensus, vt alibi dictum est. Secundò collige, suorum hæredum vocabulo, solos masculos comprehendi, de quo in §. & si clientulus. sup. de aliena. feu. Tertiò collige, ob non seruatam formam hoc c. diffinitam, subinfeudationem ipsam sic collabi, vt & concedens, & accipiens feudo priuetur. ad dominum deuoluendo. quod intellige, si per realem feudi traditionem, res iam fuerit translata, secus si abusiua duntaxat inuestitura sit cocessa. de quo sup. quæ fuit pri. cau. bene. amit. De materia huius §. dixi in §. 1. sup. qualiter olim feu. pote. alie. & in §. 1. sup. per quos fi. inuesti. & in c. beneficium. sup. si de feu. defunc. cont. sit inter domi. & agna. vasal.

§. *Si fuerit inter dominum & vasallum de beneficio controuersia, domino dicente, hoc quod tenes in feudum à me habes. ille verò negauerit prorsus, si quidem probatum fuerit, ipsum ab eo auferatur. Sed cùm dubitanter responsum fuerit, nescio, minimè secundum quosdam, sed secundum alios tunc demum priuabitur, si fraudulenter, id est, sciens, hoc negauerit.*

Vasallus feudũ abnegãs, mendacij conuictus, eo priuatur, modò sciens, hoc est, fraudulento cõsilio, id abnegarit. Posterior itaq; opinio textui inserta, præcedentẽ declarat & corrigit, secundũ Alua. vide quæ dixi in c. iiij. & in c. si vasallus feudum. sup. si de feu. defun. content. sit inter dom. & agna. vasal.

De Clerico qui inuestituram fecit.

Titulus XIII.

CLERICO *inuestituram faciente de suis bonis, eius successor omnifariam cogitur eam adimplere, cumque de bonis Ecclesiæ eam fecerit, si possessio rei pro beneficio inuestituræ penes eum fuerit, ipse & eius successor ipsam adimpleant, quod etiam in laicis contingit. Vbi verò de alterius feudo fecerit inuestituram: si quidem purè, non valeat: sed si sub tempore vel cõditione quo feudum sibi aperiatur, valebit inuestitura etiam sine voluntate vasalli facta. Si tamẽ antè decesserit inuestitor, quàm feudum ad eum reuertatur: successor non cogitur eam habere ratam: aut cùm se viuente feudum apertum fuerit, possessionẽ tradat, & inuestituram adimpleat: & ideo sciendum est, archiepiscopum Mediolanensem non posse dare in feudum quod tempore introitus sui in dominico inuenerit, sed si ei postea feudum aperiatur, ipsum rectè dabit. Profectò alij Episcopi & Clerici ea quæ in dominico habent, & feuda his aperta olim dederant, & hodie dant.*

Quia textus præsens perspicuus est, eiusq; materia satis à nobis tractata. sup. in titulo, Qui success. tenean. & in titu. Episcopum, vel Ab. & in tit. hic potest esse titulus, qui succes. ten. c. i. à paraphrastica explanatione, simul & superuacua rerum traditione temperamus. Illud tamẽ memineris, quod de Archiepiscopo Mediolanen. in calce hic subiungitur, postea cõtrariis moribus fuisse abrogatũ, vt hic post glos. latius Bal. & Aluar. tradunt. Quare tam

hic,

hic, quàm alij Ecclesiarũ Prælati infeudare soliti, feuda ad dignitatem reuersa, etiamsi à prædecessore in librum censualem (quem dominicũ hic textus appellat) sint relata, cõcedere denuò permittuntur. Quoniam secundũ Bal. hic, ratione breuis possessionis, rei qualitas nõ videtur mutata. hoc intellige secundũ eundem, nisi bona illa in librũ censoalẽ ita sint relata, vt iam mensæ ipsius prælaturæ annexa, feudalem qualitatẽ prorsus exuisse existimetur: quod vel Prælati aut collegij decreto, vel longi tẽporis possessione metiendum fuerit. hac enim specie talia bona successor denuò in feudum cõcedere non posset, nisi licẽtia summi Pontificis accedẽte, quum ea non tam infeudatio quàm vera alienatio censeri debeat, à qua oẽs prælati, qui ordinariorũ eximũtur iurisdictione, se tẽperaturos, iureiurãdo pollicẽtur, nisi Ro. Põtifice prius consulto. c. vt super. de reb. eccle. non alienan. secũdũ eundẽ Bal. qui etiam ait. per hunc text. tametsi apud Ecclesiam inueniatur feudi reuersi possessio, ob id tamẽ non cõtinuò probari, hoc conglutinatũ & velut annexum vsibus esse Ecclesiæ. Quare hoc aliis modis probare oportuerit. Quid enim si Prælatus rationẽ temporis habens, vel alio quopiam intuitu, infeudationẽ differat, idq; constet, profectò bona ea mensæ nemo applicata iudicabit, etiam longi temporis fluxu intercedẽte. secundũ Cardi. & alios, in d. c. vt super. Si verò dubium sit, animũ ne reinfeudandi, an non Prælatus habuerit, iam lapsum triginta annorũ, quidã expectãdum putant. arg. c. si quis per triginta. sup. si de feu. defun. cõten. sit inter do. & agna. vasal. Animus aũt constare poterit, vel ex iis, quæ paulò ante dixi, vel ex probabilibus colligi cõiecturis, veluti si Prælatus ea bona redigat in annuos prouẽtus, si de illis expendat, disponat, statuat, dati acceptiq; rationẽ faciat, vt de bonis peculiariter mensæ suæ mancipatis cõsueuit, iam manifestis concurrentibus argumẽtis, non abs re fuerit, lapsu decennij, aliam bonis illis formam à primæua degenerantẽ natura inditam esse existimare, secundum quosdam, vt hæc fusissime, vel ad nauseam, prosequitur Claudius Seysellus, in fragmento Speculi sui feudalis. Cæterùm hæc ego quoq; viri boni arbitratu, tum ex consuetudine Ecclesiarum, tum ex breuitate & longitudine perlapsi temporis æstimanda dixerim. argum. l. Meuia, in fine. ff. de annuis legat.

An Mutus, vel alias imperfectus, feudum retineat.

Titulus XIIII.

MVTVS & surdus, cæcus, claudus, vel aliter imperfectus, etiamsi sic natus fuerit, totum feudum paternũ retinebit. Ober. & Gerar. & multi alij. Quidam tamen dicunt, eum qui talis natus est, feudum retinere non posse, quia ipsum seruire non valet. Sic dicimus in Clerico, & in fœmina, & in similibus.

Varij hunc textũ variè recipiunt: nec id mirum, quum pugnantes recitet opiniones, nec vtra potior sit, palàm affirmet. Mihi aũt Pet. à Ceruo & Aluar. placet interpretatio: qui hunc textũ de feudi paterni successione statuisse existimãt: Ita videlicet, vt mutus, surdus, cæcus, claudus: aut alioqui morbo, ac perpetuo impedimento detentus, si vitium sit fortuitũ & accidentaneum, nõ priuetur semel acquisita paterni feudi successione: & ita primũ text. dictum obtinere censetur. At verò si id genus vitia, naturalia sint, & ab ipsa mox natiuitate hominẽ comitẽtur, iam tali successio paterni feudi non deferetur, & ita locus erit secũdæ opinioni huius text. qui eius rationẽ cõtinuò subiungit, quia scilicet is feudo absolutè seruire nequit. Et quia secũdo

responso, hæc ratio adiecta fuit, & non primo, haud obscure colligitur, primam opinionē non prorsus per vltimā abrogare, sed declarare, huius tituli autores voluisse, vt scilicet ita demùm mutus, aut alioqui vitio perpetuo morbidus, paterno feudo destitui debeat, si ita sit natus, quum sic naturali vitio, penitus ad feudi munera sit ineptus. Diuersum, si aduētitia calamitate id fiat, quasi tunc de recuperāda valetudine prorsus nō sit cōclamatū, sed spes adhuc quæpiam supersit euētanei nōnunquā profligādi mali, sed hæc prolixius in §. mutus. sup. Episcop. vel Abba. sumus executi. Deniq; huius tex. dispositio etiam in aliis vitiorū morborumq; generibus obtinebit. Quare si vel non gustet, vel nō odorus sit vasallus, feudum paternū, cuius muneri, ea sensus vi, nequit satisfacere, iuxta prædictam distinctionē aut perdet, aut retinebit. Exemplū in eo cōstituere licet, qui hæreditaria feudi successione, dapum principalium in aula prægustatorem agit, secundum Aluaro. hic.

An ille qui interfecit fratrem domini sui, feudum amittat.

Titulus X V.

SI QVIS interfecerit fratrem domini sui, non ideo beneficium amittit: sed si fratrem suum interfecerit ad hoc, vt totam hæreditatē habeat, vel aliam feloniam cōmiserit. Verbi gratia, hominem tradendo, vt in curia amplius stare non possit, priuabitur beneficio, quia tamen erga dominum non fuerit facta, ad agnatum proximiorem feudum pertinebit, si paternum fuerit, eodem prorsus obseruando, quantum ad ordinem gradus, qui continetur in legibus. Cum autem ad dominum respicit felonia, feudum tunc domino aperitur.

Vasallus interficiens fratrem domini sui, ea solùm de causa feudo nō cadit, modò non proditoriè, non perfidè, non dedita opera occidat, nec manifestam alioqui turpitudinis causam præ se ferat. Similiter ex eo solo, quòd germanū proprium quis necarit, feudo non priuabitur, si oborta rixa, non proposito, ad manus ventū sit, ac calore animi inconsulto, cædes subsecuta. Verùm enimuerò, si vel auaritiæ siti, vel alia quapiam stimulāte perditi animi malignitate, in fratris viscera ferrū sceleratus stringat parricida, vt scilicet funestā fratris hæreditatē, ceu cadauer aliquod, rapax vultur inuadat, iam & habito feudo priuari, & sperata eum successione destitui, non ius solum, sed & naturæ instinctus docet. Quoties enim nefario palamq; improbo mentis cōsilio, velut proditoria quadā perfidia, nō dixerim homicidium tantùm, sed etiam aliud quodcūq; facinus vasallus patrat, quo ceu atra ignominiæ labe respersus, sine dedecore in aula domini, & curia ipsa versari non possit, toties feudū delinquenti adimendū esse constat. Id tamen ad agnatos proximiores, secundum legitimum succedendi modum deuoluetur: nisi facinoris perpetrati species in domini iniuriam, ac contumeliam redundarit. Hunc genuinum textus sensum esse, modis omnibus opinor.

Hoc capitulum satis indicat, in vasallis, hominū genere plærūq; militari, & rixis variis obnoxio, nō tam homicidium, quàm turpē homicidij causam, vecordēq; simul & degenerē occidētis animū, feudalia placita cōsiderasse. Quare tametsi homicidium, nō vsquequaq; seruata moderatione inculpatæ tutelæ, perpetretur, si tamē nec proditoriè, nec alioqui palā probrosa occasione, nec in dn̄i iniuriam id fiat, feudi beneficium, secundū vsus feudales, perdi nō videtur. vt hoc tex. clarè colligitur. Quapropter, si hac specie occidēs pœna illā antiquiore l. Corneliæ de sicariis plectatur, de qua in l. iij. §. pen.

ff, ad

ff.ad l.Cor. de ficca. quæ lege municipali, multis in locis, est recepta, tum generali omnium bonorũ ademptioni feudum non includi censebitur, per hunc tex. Si vero recẽtiore pœna legis Corneliæ de ficcariis adficiatur, quæ in humiliorib. est vltimum supplicium, feudum suo tramite, vel ad filios, vel ad proximos deuoluetur agnatos, per ea quæ habet Præpositus, in §.fi. in quarto membro. sup. quæ fuit prima cau. benefi. amit.

2. Fratrem domini, & alium quemuis proditorie occidens, feudũ amittit, vt hic, veluti si in cautum, ac nil mali suspicantẽ aggrediatur: vel à tergo inuadat, seu venenato poculo interimat, aut interimere conetur. l. i. §. præterea, & l. iij. ff. ad l. Cor. de sicca. vel in loca discriminosa latronum ac ficcariorum latibula pelliceat, siue in nauẽ naufragam & fatiscentẽ perducat, sic matri insidias struxit Nero: seu aliis perditæ ac insanæ mentis versutiis, technis, dolis, in perniciem ac interitum trahat, quemadmodum & horũ ferè meminit Bar. in l. respiciendum. §. delinquunt. ff. de pœ. & Iacob. Butri. in l. athletas. §. calumniator. ff. de iis qui notan. infa. Et his casibus feudum proximioribus cedit agnatis, secundum succedendi ordinem legibus proditum, vt hic in tex. qui ad hoc singularis est, videlicet, graduum prærogatiuã in successione feudali, scriptis legibus censeri.

3. Vasallus tametsi non omni ex causa, quæ eius grauat opinionẽ, feudo cadat. §. illud enim, sup. quæ fu. pri. cau. bene. amit. Tamen si ita delinquat, vt absq; ignominiæ & offendiculi nota, eius præsentiam curia domini sustinere nequeat, feudi exors constituetur, ad agnatos reuersuri. vt hic.

4. Quum dominum iniuria per vasallum perpetrata respicit, feudum domino aperitur, vt hic in fi. Proinde si vasallus proditoriè occidat fratrem domini, quia ei grauis per hoc infertur iniuria, vel si odio domini, eum necet, exclusis agnatis ad dominũ feudum relabatur, quod & And. ab Yser. & Alua. hic annotarunt. Si verò seipsum vasallus occidat, feudum ad hæredes suos transmittet. secun. Bal. hic per l. iij. C. qui testa. face. poss. quod intellige, nisi futuræ pœnæ metu voluntaria morte supplicium anteuertisset, vt ibi. & vult Bal. feudum nunquam perdi, nisi priuatio fiat ob culpam lege feudali damnatam, & persona supersit, in quam sententia ferri queat. Deniq; quod hic obiter de clerico in fi. tex. subiicitur, dependet ab illis, quæ diximus, sup. in tit. de mili. vasal. qui arma belli. depo.

§. *Non cogitur vasallus omnino secundum vsum Mediolanensem dominũ adire & seruitium ei offerre, sed cum nunciatũ ei fuerit, tunc domino si potest seruiat.*

De materia huius §. vide quæ dixi in §. ad hæc. sup. hic finitur lex, & in c. licet, supra, si de feu. defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. & in §. sed nec alia, sup. quæ fuit pri. cau. benefi. amit.

De vasallo, qui contra constitutionem Lotharij feudum alienauit,
Titulus XVI.

SI vasallus contra constitutionem Lotharij regis beneficium alienauerit, si totum, perdat totum, si partem, partem perdat, & ad dominum reuertatur, & ideò si contra vnum dominorum, quorum communis vasallus erat, fecerit feloniam, eum fortè cucurbitando, eius solius parte priuabitur, & si voluerit vnius solius partem refutare, aliis sibi reseruatis, hoc facere poterit, quia vasallus etiam sine domini voluntate rectè feudum refutare potest. Post refutationem tamen ad seruiendum non tenetur, sed eum quidem tunc offendere non debet.

Vasallus

Vasallus sine dñi voluntate feudũ alienans,eatenus id amittit,quatenus progreditur alienatio. Proinde si partẽ dumtaxat à se abdicet, partis solæ dispendio afficietur. Similiter,si ratione feudi vnius duos habens dominos, alterum tantum offendat,veluti,vxorem eius impudice tractans,ipsius respectu,sola feudi parte cadet,residuam vero retinebit. Item portionem aliquam feudi si velit,refutare,aliis partibus sibi saluis,poterit. Est enim vasallis integrum,vt non adhibita domini voluntate, feuda per refutationem à se abdicare possint: ob venerandum tamen accepti beneficij recolitionẽ, operam dabunt,ne qua in re pristino domino iniurij videri queant,quamquam seruitiis & obsequiis desierint esse obstricti.

1. Ex hoc tex.primò collige,pro modo feudi alienati,puniendũ esse vasallũ, nõ enim vlterius progredietur pœnæ metus,quàm reperiatur delictũ.l. sancimus.C.de poen. Pari modo pro mensura offendiculi statuetur pœna: Quare si ratione vnius feudi duobus dominis obstrictus alterũ solum offendat,respectu illius dumtaxat luet,partem feudi nõ totum id amissurus, vt hic. Secundo collige,ex tex. in versi.& ad dominum reuertatur, feudum alienatum sine domini voluntate,ad dominum reuerti, de cuius intellectu dixi,in.§. si. sup. quæ fuit pri.cau. benefi. amit. Tertio collige,si duorum vasallus,alterius domini coniugem vitiet(quod barbarica voce, cucurbitare dicitur) non ob id toto feudo priuandum fore,sed parte sola,illũ quem offendit respiciente. Quo tacitè etiam insinuatur, vasallum adulterum, inter illos non haberi,qui sine dedecore,in curia domini versari non possunt: nã si illis annumeratus esset,frustra hic de amissione partis ageretur,quum hac specie,plane toto excludẽdus feudo, & parium curia explodẽdus foret, vt sup.tit.proximo:tametsi Alua.ibi de vasallo adultero contrarium dixerit. sed ei tex.præsens palam refragatur.

2. Vasallus sine domini voluntate,pro suo arbitratu,feudum libere refutare potest: vt hic patet manifeste.hoc And.ab Yser.Bal.Aluaro. & cæteri, vno ore in feudu recto & simplici, non autem in conditionato & ad certa dato seruitia, accipiendum putant: quasi certorum officiorum nexus magis vasallum stringat, quàm incertorum seruitiorum generalis liget promissio in feudo recto & simplici,vt hæc prolixe discutiuntur per glo. vlt. in c. vni. inf.de Capi.qui curi.vendi.& per docto.in c.quæ in ecclesiarum, ext.de consti. Verùm Zasius doctorum fundamenta nihil magis circa certa seruitia,quam incerta stringere pronunciat: quum generis obligatio non nisi in specie solui possit,per ea quæ citat in opusculo feudali parte vlti.Quare quum in hoc c.indistinctè & verbis apertis generaliter refutationis facultas vasallo permittatur,præfatæ doctorum distinctioni,circa certa vel incerta seruitia locum esse non putat, quod iudicium Germaniæ etiam consuetudine robarari dicit: quamquam per hæc nemini meliora docenti præiudicare velit. Ego viri illius præter veterem ac bene fundatam peritiam, etiam anxie diligentis censuram libens amplector,ac regulariter veram esse sententiam non dubito,tametsi quondam aliter senserim: sed pro vulgata opinione,ratio nulla depromitur,quæ vrgeat, ne à Fely.quidẽ omnium,vt apparet,commentariorum excussore,qui in hanc rem,præter frigidã quandam ac deliram ratiunculam,nihil adfert.In d.c. quæ in Ecclesiarum mihi, in vij.pagina. versi. tertio fallit, quando pro feudo præstatur certum seruitium,de consti. Verùm enimverò si ob certum seruitium ita feudum sit datum,vt electa vasalli industria specialiter videatur: iam feudum tale conditionatum,sine domini voluntate ægre dimitti posse,probabiliter dixeris,

argu.

argu.l.vni.§. vbi autem legatarij.versic.sin autem disiunctim.C.de cadu.tollen.& eorũ quæ habentur in c.vlt.ext.de offi.iudi.dele. quasi tali obligationi semel constitutæ,non consentiente domino, minimé renunciari possit. argu. l.sicut. C.de actio. & obliga. hæc etiam probantur per ea quæ dixi in §. vlt.sup.quib.mo.feu.amit. tit.priore.vbi & tex.ipse suffragatur,eo,quem ibi modo declaraui,intellectus. Porrò Felyn.vt sup.post Ioan.And.& alios, generalem huius textus dispositionem sic moderatur,vt scilicet locum non vendicet in refutatione intempestiua,per l.sed & socius §. vlti.ff.pro socio. Veluti si fiat in ipso belli procinctu, quo iam dominus vasalli opera necessariò indigeat.secundum Bal.in d.c.quæ in Ecclesiarum. Quod rationem habet, si dominus præ temporis angustia, rerumq; emergentium difficultate,vasallum alium tam citò,vt res exigit, habere non possit. Et hoc ciuili temperamento,hunc textum,quantumuis generaliter disponentem,accipere non recuso: haud enim intempestiuis repudiis & refutationibus, in perniciem alienam,ius commune fauere conspicitur. l.filiæ meæ.ff.solu. matri.neq; maliciis cuiusquã indulgendum est. l.in fundo alieno. versicu.constituimus verò. ff.de rei vendi. Postremò,vt generali huic refutationis facultati sit locus,necesse est,vt ea in manibus domini fiat,non autem coram extraneis, domino ignorante.secundum Felyn.vt sup.& Bald.inf.in titu.seq. versicu.& nota.In ij.colum.& est tex.in c.vnico. & ibi Præposi. notat. sup. de vasal. decrep. æta. In præiudicium tamen refutantis talis refutatio coram extraneis facta, cedere deberet,secundum Bal. ibidem.

3. Vasallus postquã feudũ refutauit,nequaquã in insolentiam erga dñm, velut excusso iugo,efferri debet, sed intra honestatis & modestiæ fines consistens,ab omni eius iniuria & cõtumelia temperabit: Quod si non fecerit, longè grauius in ipsum,quàm in alium animaduertetur.secundũ glos.& Alua.Idq; propter beneficij pristini recolitionẽ: quam venerandã semper esse oportet. Sed quid memoria anteacti status, ac pristinæ qualitatis reliquiæ operentur, Felyn.in d.c.quæ in Ecclesiarũ,prosequitur. Ex quo,si more aliorum, centones consarcinem, Horatiana mouebit cornicula risum. Hoc vnum proferam,quod ab eo fuit prætermissum,videlicet,in memoriam pristinæ dignitatis eos qui non ignominia missi, sed sua voluntate,aut successoris surrogatione,Consiliarij & Senatores Principis esse desierũt,à publicis pensitationibus,quas collectas vocant,immunes esse,vt in Deci. Delphi. à Guido.Pap. congestis, Deci.cccLxxvij.per l.vni.C.de Comiti.qui prouin.regunt.lib.xij. & per text.apertum in l.eam legem.C.de excusa.mune.lib.x. vbi in fine dicitur,eisdem beneficiis non quamdiu militauerint, sed quamdiu vixerint perfruantur. Denique pro complemento huius textus ambigi non ineptè potest, an feudum paternum in manibus domini refutatum ei accrescat,an verò deuoluatur ad proximiores agnatos? Et quidem crebrior post gloss.in c.i.inf.eo.est opinio,donec refutans eiusq; descendentes supersint,hoc ad agnatos non transire,sed apud dominum interea temporis permanere: quod & Bald.& Aluaro.ibi sequuntur, quum agnatis per hoc non præiudicetur, qui alioqui ius succedendi ante mortem proximiorum agnatorum, nullum prætendere potuissent.

De alienatione paterni feudi. Titulus XVII.

ALIENATIO feudi paterni non valet,etiam domini voluntate, nisi agnatis consentientibus,ad quos beneficium quandoque sit reuersurum: nec in filiam

filiam vasallus feudum poterit confirmare, agnatis non consentientibus, vel postea ratum non habentibus, & licet prohibeatur beneficij alienatio inter agnatos: tamen si paternum fuit, concederetur: & si libellum vnus alteri fecerit de feudo paterno, non est libellus, sed quasi refutatio.

Feudum paternũ etiam accedente domini voluntate, alienari non potest, sine consensu agnatorũ, quibus hoc aliquando est obuenturum: quod adeò perpetuum est, vt ne in filiam quidem id transferri possit, nisi agnatorũ vasalli vel cõsensus, vel ratihabitio intercedat. Cæterùm licet absq; domini autoritate feudum alienari prohibeatur, tamen, si paternũ sit, proximiori agnato, alioqui proximitatis iure successuro, concedi poterit, domino etiam ignorante, siue hoc gratis, siue tali cedatur conuentione, vt annuum quid pendendum, ratione feudi, hoc in agnatum proximiorem cedens accipiat: quod libellum de feudo facere barbarum seculum appellauit.

1. Domini voluntas alienationẽ feudi paterni, in præiudicium agnatorũ non confirmat, nisi eorũ interuenerit cõsensus: hoc intellige, vt scilicet ipsis non præiudicetur in futurũ: nam donec vixerit alienator, eiusq; hæres, alienatio feudi, consensu domini facta, subsistet, secundum Bal. hic. & in c. etsi clientulus. sup. de alie. feu. & glos. iij. hic. quod de consensu agnatorum dicitur, maximè de proximioribus intelligendum est, non enim solus remotiorum sufficeret: quum præcedentibus se in gradu derogare non possint. Arbitratur tamen Aluaro. illis, quibus temporis progressu tamq; proximioribus apertum est feudum, licet cùm alienatio fieret, remotiores essent, ius feudi reuocandi competere. per hunc textum. versic. ad quos beneficium quandoq; sit reuersurum, de quo in §. hoc quoq;. sup. de succes. feu. Consensui autem, in hac specie, comparatur ratihabitio sequens: ea quippe tantum operatur, scilicet in præiudicium agnatorum, quantum consensus eorum præcedens. vt hic in textu, cui consonat l. vlti. C. ad S.C. Macedo. Quibus iam peruium sit, per consensum vel ratihabitionem alienationis feudalis, agnatos à feudi successione excludi, de quo prolixius in §. præterea. sup. quibus mo. feud. amit. Verùm enimuerò si proximiores agnati vasallo alienatori non consenserint, eius tamen facti sint hæredes, iam feudum alienatum suo iure non reuocabunt, idq; per illam iuris regulam, quæ facto defuncti obtemperare hæredem cogit. l. cùm à matre. C. de rei vendi. cum similib. secundum Andream ab Ysern.

2. Vasallus in filiam, etiam domini cõsensu, feudũ paternũ transferẽs, nõ præiudicat agnatis. vt hic. nisi eo solùm tẽpore, quo is filiæ scilicet pater in humanis agat: Secus si feudũ sit nouum, de quo sup. in c. 1. queãd. feu. ad fili. perti. Nam hoc dño autore, etiam in quẽuis extraneum, seclusis filiis, liberẽ alienari posset. secundum And. ab Yser. & Aluar. nisi manifestè clareret, filiorum quoq; respectu & intuitu feudum fuisse concessum, vt per eos hic.

3. In proximiorem agnatum paterni feudi alienatio, etiam libelli contractu, sine domini voluntate fieri poterit. vt hic. Idq; ratione coniunctionis, quæ non tam alienationis speciem, quàm refutationem quandam, id quod in personas tam coniunctas transfunditur, interpretari suadet. Quis autem sit contractus libellarius, vide per Aluaro. in §. aut si libellario. sup. quibus mo. feud. amit. & Zasius in compendio feudali, in princip. nonæ partis, In libellum dare, id est, in emphyteusim, dixit.

§. Si inter dominũ & vasallum de beneficio fuerit controuersia, coram paribus finiatur. Vbi autẽ dicit vasallus, prius de suo recto feudo debere se à domino inuestiri,

stiri, siquidem sine controuersia de alio sit vasallus, indubitanter primò inuestiendus est: & postea cognoscendum est quòd sit suum rectum feudum, aut quòd non. Sed si nihil aliud ab eo tenet pro beneficio, nisi de quo controuersia est, tunc tota causa prius ventilanda est: & sic videndum, vtrùm postea inuestiendus sit.

Aluaro. inquit, hunc text. eandem cōtinere decisionē, quam habet. c. vni. sup. de cōtro. inter Epis. & vasal. sicq; eandem facti speciem, quæ ibi narratur, hic repetendam esse. Verùm text. ille non obscurè cum hoc pugnare videtur. Nam ibi ante omnia, de suo recto feudo inuestiri mandatur vasallus: sed fidelitatis iuramentum differtur, donec de principali causa cognoscatur, nisi constiterit, vasallum aliquod aliud, præter id de quo quæritur, ab eodem domino tenere feudum: tunc enim & de suo recto feudo inuestituram accipiet, & fidelitatē iurabit, & sic ad principalem causam accedet. Sed in præsenti textu tum demùm inuestiri de recto feudo permittitur, si absq; controuersia de alio feudo sit vasallus. hoc planè pugnat cum textu. d. c. vnici. Nam ibi inuestitura indifferenter permittitur: quanquam iuramentū fidelitatis differatur, donec constet de causa, hic autē etiam ipsa differtur inuestitura, nisi aliud feudum ab eo domino cōtra quem agit habere conspiciatur. cuius repugnantiæ scrupulum nullus hic attigit, nisi quòd Aluaro. in hoc textu, de inuestitura vera & reali, in illo, de verbali & abusiua statui putet: quod vt sola capitur coniectura, sic text. in d. c. vnico. non congruere puto. Quare diuersas facti species hæc capitula comprehendere videntur.

1. Ex tex. autem præsenti collige primò, Contentionē inter vasallum & dominū exortā, coram paribus curiæ definiendā esse. Secūdò, Vasallum super inuestitura feudi obtinēda, cum dño controuertentē inuestiri non debere de feudo controuerso, ante causam legitimè cognitam & finitam, nisi alterius feudi ratione eum indubitatum eiusdem domini vasallum esse constiterit, nam hac specie protinus de feudo litigioso inuestiri debet, & ad fidelitatis iuramentum admitti. Porrò cùm alia quæ circa hunc textum tractantur, tenebricosa sint, perplexa, & variis interpretationibus sic iactata, vt lupum auribus tenere videamur, gradum hic sistere consultum puto.

§. Non est consuetudo Mediolani, vt de felonia aut de infidelitate pugna fiat, licet contrarium sit quod præcipit lex Longobardorū, vt de infidelitate pugna fiat.

Si de perfidia aut scelere perpetrato inter dominū & vasallum lis oriatur, nec res probationem habere posſit, mos non est Mediolani, vt ad monomachiam, siue duellum, vt vocant, contendentes prouocare posſint, quanquam Longobardicis legibus id permissum esse constet.

1. Oblata per hunc text. occasione, de monomachia nonnihil in medium adferemus: cuius aliquando in hac vltima iuris parte, mentionem fieri videmus. Monomachiam igitur singulare certamen interpretamur, quod duellum aliꝗ vocant: indè & monomachus dictus, hoc est, qui solus cum solo pugnat. Ea autem fieri consueuit, ad eruendam rei alicuius probationem, aut purgationem inducendam, ita videlicet, vt qui sic se probaturum purgaturúmve aliquid obtulerit, & vicerit, probasse credatur: si non vicerit, in probatione defecisse putetur. Verùm hæc monomachiæ probatio & purgatio omni lege rectè prohibita, vndique gentium eiici, explodi, & profligari debet. Lex quippe diuina homicidium prohibet. Exod. xx. & non tentandum Dominum Deum edicit, Deut. vi. Matth. iiꝗ. Atqui per monomachiæ temeritatem & homines occiduntur, & maximè tentatur Deus, cùm per ancipitem illicitæ rei euentū, occulta & incognita exploret homo,

illi soli relinquēda, qui solus nouit corda filiorū hominū. c. consuluisti. ij. q. v. Nec hic mihi obieceris quod de Dauid & Golia sacra prodit historia. 1. Regum xvij. Nam vt Beatus Antonius inquit, res illa mystica fuit, & sacri spiritus ductu auspiciisq; gesta: quare ad communē legem non trahenda. per textum elegantē. in c. non exemplo. xxvi. q. ij. vbi inquit, nō exemplo Marthiæ, vel quòd Ionas propheta sorte deprehensus sit, indifferēter sortibus est credendum, cùm priuilegia singulorū, vt Hierony. ait, communē legem omnino facere non posśint, hæc multo maximè, de illa Dauid & Goliæ pugna dicenda fuerinr. vt hoc & glos. asserit in c. 1. ext. de purga. vulga. quæ elegans est in hac materia. Lege quoq; Ciuili palàm est eliminata: nam in ocio ciuili, & domestica quiete, cruenta spectacula sibi non placere contestatur optimus Princeps Constantinus, eaq; de causa omnino gladiatores esse prohibet in l. vni. C. de gladia. l. lib. xi. per quam legem & publica illa cruentaq; pugilum in Pancratio certamina prohiberi non ambigitur, quæ Vlpiani tempore Romanorum leges nondum damnauerant. l. qua actione. §. si quis in colluctatione. ff. ad leg. Aquil. per hæc tamen iuuentutis exercitia non prohibemus, modò cruenta non sint, sed ab humani fusione sanguinis aliena, Insuper Canonica sanctione, sanguinolentū hoc monomachiæ genus omnimodò vetari & explodi certum est. Nicolaus enim Papa, monomachiam, inquit, in lége non assumimus, quam præceptam fuisse non reperimus. c. monomachiam. ij. q. iiij. vbi in fine dicitur: quòd hanc sectantes, Deum solummodò tentare videantur. & in c. 1. ext. de purga. vulga. aliquatenus duella tolerari non debere diffinitur. Verùm si iura deessent, ipse tamen instinctus naturæ, & rectæ dictamen rationis, rei veritatem aliis modis probandam esse dictat, quàm singulari hac pugna, in qua non semper iustior, sed sæpe vincit robustior, quique exercitatior, & promptius referire, & ictus aduersarij cautius nouit eludere. Qua de causa & hic locum vendicabit illud quod Imperator, actionibus videlicet agendum esse, & conuincendum legitimis modis aduersarium, non vi armata ad confessionem rerrendum adigendúmve decreuit. l. negantes. C. de actio. & obligat. quòdque impacta crimina non alio modo quàm apertissimis documentis, idoneis testibus, iudiciis denique indubitatis, & luce clarioribus probari voluit, non incerto fallacique monomachiæ experimento. l. vlti. C. de proba. Rectè igitur Stephanus Papa, spontanea confessione, vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, sui regiminis iudicio permissa esse testatur, occulta verò & incognita illi relinquenda, qui solus nouit corda filiorum hominum. c. consuluisti. ij. q. v. Quare lex Friderici. suprà, de pace tenen. in §. qui hominem, aliæque municipiorum, ciuitatum, ac prouinciarum leges & consuetudines, monomachiam & duellum, probationis aut purgationis causa permittentes, tanquam putridæ corruptelæ, ab vniuerso Reipublicæ corpore, summo sunt studio resecandæ. c. mala autem consuetudo. viij. distinct. cùm in contrar. consuetudo à Cano. praua appelletur. c. ij. de cler. pug. in duel. imò diuinæ legi, vt sup. ostensum est, vel ex diametro repugnet. Deo autem magis obedire oportet quàm hominibus. Sicut enim in potestatibus societatis humanæ maior potestas minori ad obediendum præponitur: ita Deus omnibus, teste Augustino in c. quæ contra mores, in fine. viij. distinct. Cessat igitur lex Principis terreni, vbi edictum est Imperatoris Diuini. Et in talibus quæ animæ salutem respiciunt, humanæ leges sacris Canonibus fasces suas submittere non dedignantur: quum & Iustinianus ipse leges suas sacrarum & diuina-

diuinarum regularum sequi ductum non dedignari testetur §. si verò ecclesiasticum, in Authen. vt clerici apud pro. Episco. col. vi. Nulla porrò consuetudo, seu prouocantes, seu prouocatos monomachos tuebitur, quo minus mortiferæ noxæ subdantur, quæ & Principes, iudices, assessores, aliosq; omnes corripit, monomachiam vel edicentes, vel permittentes, vel prouehentes, vel conniuentia tollerantes, quum sua autoritate prohibere possint. secundum crebettimam Theologorum & Canonum professorum sententiam, videlicet Ray. Ala. Goffre. Hostien. Ioannis. Summistæ. & D. Thomæ Aquinatis: qui alibi dixit, eandem vigere rationem in lege duelli, quæ obtinet in iudicio ferri candentis, & quæ aquæ bullientis, quod modis omnibus prohibitum constat. d. c. consuluisti. ij. quæst. v. & c. vlti. extrà de purgat. vulga.

Si à morte vasallus dominum liberare potuerit, & non fecerit, beneficio carebit: sed licet potuerit facere, ne dominus in peccatum præcipitaretur, veluti, periurium, non tamen feudo priuandus erit.

Vasallus dominum, cùm id possit, morte non eximens, feudo cadit: secus, si peccatum, putà fortè periurium, ab eo non auertat.

1. Sola negligentia vasalli dominum à morte non liberantis, feudi priuatione punitur, quod intellige, si liberare potuerit, vt hic. & sup. quæ fuit pri. cau. bene. amit. §. sed nec est alia. & c. ij. in fine. sup. de feu. sine cul. non amit. & est text. Iuris Ciuilis, in l. omne §. fi. ff. de re mili. vbi inquit, Qui Præpositum suum non protexit, cùm posset, in pari causa factori habendus est: si resistere non potuerit, parcendum est ei. Porrò quomodo vasallus non tenearur dominũ à periurij reatu præseruare, vide c. licet vasallus. & quæ ibi dixi. sup. si de feudo defunc. conten. sit inter domi. & agna. vasal.

De capitulis Corradi. Titulus XVIII.

H*AEC sunt capitula quæ Rex Corradus fecit in Romandiola de beneficiis. Constituit enim, vt si post mortem domini vasallus, vel post mortem vasalli hæredes eius per annum & diem steterint, quòd dominum vel hæredem eius non adierint, fidelitatem pollicendo, & inuestituram petendo, si tale sit beneficium, vt fidelitas sit præstanda, ipsum perdat, sicut & antiquitus consuetudo fuit, sed non Mediolani.*

Textus clarus est, de cuius materia latè tractauimus in §. i. sup. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. & in c. fi. per quos fiat inuest. & in c. i. sup. quo tẽp. mil.

1. Collige ex tex. Dominũ eiúsve hæredem à vasallo adeundum esse, ad inuestiturã obtinendam, quod tamen congruo loco & tempore fieri debet, secundum Ptæpo. in d. c. vnico. quo temp. mil. Inuestiturã enim tam petere, quàm concedere loco congruo oportet. Quare si dominus locum incõmodum, hostilem fortè, suspectum, pestilenticũ, nimis dissitũ, aut alioqui inhonestum accipiendæ inuestituræ præstitueret, vasallus se eo loci non sistens, excusabitur. argu. l. de ætate. ff. ad S.C. Trebel. & bonus tex. in c. accedens. ij. ext. vt lit. non contest. & l. si cùm dies §. si arbiter. & §. sed si in aliquem. ff. de arbit. Secundo collige ex versi. Sed non Mediolani, In materia feudali, particularem loci consuetudinem derogare legi imperiali, etiam de feudis disponenti, de quo latius in c. i. sup. de cogn. feudi.

§. *Præterea vt liceat dominis omnes alienationes feudi factas, nulla obstante præscriptione reuocare.*

Nulla obstante præscriptione, feudorum alienationes sine suo consensu factas, domini reuocare permittuntur.

Ingens hic Doctorũ est cõflictus, an absolutè hic text. vt verba præ se ferunt, intelligi, an verò minori quàm triginta, aut quadraginta annorũ spacio debeat circumscribi, quo omnẽ tolli constat actionẽ. l. sicut. C. de præscrip. xxx. anno. Sed in incertis, non in certis locus esse consueuit cõiecturæ. Tex. autẽ præsens, certã apertamq; diffinitionẽ continet. Nam dicẽdo, nulla obstante præscriptione, omnẽ dubitandi ansam planè resecauit. Cui etiam adstipulatur tex. apertissimus. inf. de proh. feu. ali. per Frid. vers. nullius tẽporis præscriptione impediente, quia quod ab initio de iure nõ valuit, tractu temporis cõualescere nõ debet. Quare Py. Iac. Ardi. & And. ab Yser. nullius etiam longissimi tẽporis fluxũ dñо obfuturũ asserũt, quo minus feudũ se inscio aut inuito alienatũ reuocare possit. sed glos. hic vacillat: nam modò de omni præscriptione, textũ, cùm loquatur indistinctè, intelligit, modò præscriptione xxx. vel xl. annorũ hic dñm submouerí, verius putat: hanc opinionẽ certatim reliqui sequuntur. & post alios etiam Alua. dicẽs cum Bal. inf. de natu. succes. feu. in fi. meliorẽ testem haberi nõ posse, q̃ glossam ordinariam, sed ego dico, veriorẽ testem haberi non posse, q̃ ipsum textũ, præsertim cùm claris limpidisq; verbis quid diffinit, vt in casu subiecto, vbi vsus luce verborum, nullam dixit præscriptionẽ dominis obstare. & si oculis paulisper à glossa dimotis, rem exactius perpendes, non temerè, non ociosè, sed summa cum ratione, æquissimaq; causa hoc constitutũ esse deprehendes, vt scilicet necessario consulatur feudorũ dominis, qui cùm vel Principes sint, multarum rerum pondere prægrauati, vel Principum obsequiis ac seruitiis mancipati, sæpe bellis impliciti, sæpe expeditione publica occupati, sæpe comitiis publicisq; conuentibus à lare domestica auocati, sæpe etiam procul à patria, Principum aulas, tota penè vita sectentur, nónne æquum fuit, toties absentibus, toties impeditis, toties rerum domesticarũ ignaris dominis, iura sua contra temporis iniuriam, aduersus improbos vasallos, feudorum alienatores, dominorũ contemptores præseruare & tueri?

§. *Similiter in petendis hostenditiis (hostenditiæ dicuntur adiutorium quod faciunt dominis Romani, cum Rege in hostem pergentibus) vasalli qui cum eis non vadunt, verbi gratia, in Lombardia de modio duodecim denarios: in Teuthonica terra, tertiam partem fructuum, facta computatione fructuum solummodò eius anni quo hostem faciunt.*

Vasalli qui se dominis suis non adiungunt, Regem in expeditionem aduersus hostes pergentem comitantibus, in Italia duodecim denarios, pro singulo quoque fructuum modio: in Germania verò tertiam fructuum partem, eius videlicet anni, quo suscipitur expeditio, pendent ac numerabunt. hæc impendia hostenditias veterum barbaries appellauit, vocabulo ab hoste & datione ineptè confícto.

1. Hic tex. per legem Frid. antiquatus est, vt inf. de proh. feu. alie. per Fri. §. firmiter. vbi Italorũ & Germanorũ (quantũ ad speciem subiectam) conditione prorsus adæquata, quicunq; vasalli, à dominis suis vocati ad expeditionem Cæsaream fuerint. aut ipsi venire, aut alium pro se domino acceptabilem mittere, aut ei dimidiam partem reddituum feudi vnius anni suppeditare coguntur, alioqui feudo cadent, liberè ad dominum reuersuro. hæc etiam obtinebunt, cùm non bellicæ expeditionis gratia, sed ad sacros apices, & Imperiales infulas obtinendas Roman. Rex proficiscitur,

de

de quo in §. vlt. inf. de allodiis. qui tex. per d. §. firmiter suam expositionẽ & declarationem recipit. Porrò an vasallus alios domini conatus, contributa sua pecunia, prouehere teneatur, sicq; ad dotem filiæ nuptui elocandæ, aut ad impensas alias conferre, à speciali locorum consuetudine dependet. secundum Bal. hic. quæ vsibus feudorum non sunt expressa, vasallus minimè teneri impendia, pulchrè defendit Ioan. And. in addi. Specul. tit. de feu. §. quoniam, versus finem. versicu. & nota quòd vasalli Comitum, quicquid ibi dixerit Specul. absque lege aliqua, & ratione locutus.

Item si Clericus, veluti Episcopus, Abbas, beneficium habens à Rege datum, non solummodò personæ, sed Ecclesiæ, ipsum propter suam culpam perdat, eo viuente, & ecclesiasticum beneficium vel honorem habente; ad Regem pertineat: post mortem verò eius, ad successorem eius reuertatur.

Si Episcopus, Abbas, aut alius ecclesiastici ordinis feudo dignitatis suæ, ob patratam culpam, ceciderit, hoc, viuente eo, & in munere suo & honore ecclesiastico permanente, ad dominum deuoluetur, post mortem tamen delinquentis, ad successorem eius reuersurum.

1. Si itaq; Prælatus delinquẽs dignitate moueatur, nõ expectata eius morte, sed mox ad successorẽ, excluso domino, feudũ pertinebit. per argu. à contrario sensu huius tex. quod fortissimũ censetur. l. 1. ff. de offi. eius cui manda. est iurisdict. secundũ And. ab Yser. nam tex. hic copulatiuè, & vitam Prælati, & eius in prælatura administrationẽ respexit. Similiter, si Prælatus ecclesiasticus feudo priuetur, ob non petitam infra legitima tempora inuestiturã. vita eius comite, & administratione durante, feudum domino cedet. secundum Alua. hic. Verùm enimuerò, si quis ante adeptam dignitatẽ, grauiter dominum, à quo dignitas illa suscepta feudum obtinet, offendisset, iam factus Prælatus, ratione eius delicti quondã perpetrati, feudo prælaturæ nequaquam exuetur. secundũ Bal. arg. l. in delictis. §. si damnum extraneus. ff. de noxa. actio. Sed Alua. post Iacob. à Bel. existimat hac specie Prælatum à collegio ad dominũ deduci oportere, vt offensi animum placet, crimenq; emendatione condigna expurget, adinstar filij delinquentis ad dominum à patre deducendi, de quo in §. insuper. inf. de prohi. feudi alie. per Fride.

2. Postremò memineris hic, textum esse expressum, qui probet Ecclesias, & Prælatos ecclesiasticos à Regibus feuda obtinere posse, & eodem iure quo vasallos alios censeri, excepto quòd delictum Prlati in damnũ Ecclesiæ non redundet, secundũ ea quæ superius sunt dicta: q; aũt Clerici feudalium successionũ sint capaces, prosecutus sum in c. vni. sup. de mil. va. q ar. bel. dep.

De controuersia inter masculum & fœminam de beneficio.

Titulus XIX.

ITEM sciendum est, quòd si inter masculum & fœminã controuersia fuerit, masculo dicente, hoc est feudum, fœmina negante: nisi apertis probationibus fœmina ostenderit non esse feudum, creditur masculo cum suo iuramẽto affirmanti, cum duodecim sacramentalibus. Sed si inter dominum & fœminam, domino dicente feudum, fœmina negante: probationibus deficientibus, detur fœminæ sacramentum. Item si sit inter dominũ & emptorem feudi: si emptor dicat non esse feudum, domino in probatione deficiente, sacramento emptoris finiatur. Quidam tamen distinguunt, vt si magna eorum pars quæ vasallus ibi tenebat, feudum sit, detur domino sacramentum, alibi fœminæ.

Textus præſens ſatis eſt perſpicuus, & principium eius declara per facti ſpeciem in c.ij.ſup.ſi de feud.defun.content.ſit inter dom.& agna,vaſal,vbi etiam dicitur,mulierem ante omnia in poſſeſſionem bonorum defuncti eſſe mittendam,& poſtea de meritis cauſæ tractandum, quod & hic ſupponendum eſt. Porrò quòd hic textus dicat fœminam defuncti hæredem apertis probationibus,rem quæ ab ea petitur, non feudalem eſſe docere debere, alioqui aduerſario, cum duodecim ſacramentalibus, iuſiurandum deferendum fore: hoc intelligit Alua.quum aduerſario præſumptio aliqua ſuffragatur.iudicem ad eius delationem flectens: alioqui ſi fœminæ potius aſſiſteret, ei, contra aduerſarium, deferri ſacramentum poſſe, vt in d.c.ij. quod & in ſecundo & tertio caſu, hic in textu expreſſo, accipiendum fuerit, videlicet, cùm vel controuerſia inter dominum & fœminam defuncti hæredem,vel inter dominũ & emptorem,oborta fuerit. Nam hoc perpetuum eſt in materia feudali,vt ſacramento illius,cui præſumptiones adſtiterint probabiliores, deficiente probationum luce, contentio dirimatur.§. ſacramentum.ſup.de conſue.recti feudi,ſecundum gloſ.ij. hic in fine.

2. Præſens quoq; tex.per id quod in fine dicitur,interpretationẽ recipit: proindè ſi maiorẽ partem bonorũ defuncti in aliquo loco feudalem fuiſſe conſtet,iam in re obſcura præſumptio eſt,ſi quid particulare ex his petatur, hoc ad feudum pertinere: ſecus,ſi maiorẽ bonorũ partem,patrimonialem & liberã fuiſſe notũ ſit. Quæ præſumptio,ſecundum Iac.à Bel.operabitur, vt ſacramentũ alterutri parti deferri debeat,ſi pars altera potiore probatione aut præſumptione non iuuetur: ſecus,ſi bona ſint in locis diuerſis cõſtituta: tunc enim ex vnius etiam ampliſſimi prædij qualitate,ad aliud prædium diuerſo loco ſitũ præſumptio nulla porrigi poſſet,ſecũ.Bal.hic in fine.

De controuerſia inter dominum & emptorem feudi.
Titulus XX.

DOMINO *cum emptore feudi agente,ſi vaſallus iurare poterit, quod ignorans eſſe beneficium vendidiſſet,credens proprium: electioni emptoris committitur,vtrùm domino velit ipſum cedere,an vaſallo reſtituere. Ob. dicit,omnia vaſallo reſtituenda. Quo reſtituto,id beneficium vaſallus retinebit, non nocente nec obſtante venditione, eo quòd ignorans alienauit. & quòd dicitur alienatione feudum aperiri domino,intelligendum eſt, cùm à ſcientibus alienatur beneficium. Et quod dicitur de venditione,idem eſt in omnibus alienationibus.*

Si dominus feudum ab eo repetat, cui id diuendit vaſallus, ſéque ignorata feudali qualitate, illud vendidiſſe iurare vaſallus probabiliter potuerit, feudum ei reſtituetur, ſecundum Obertum: Ei quippe ob iuſtam ignorantiam nihil præiudicabitur: quum pœna venditionis feudi aduerſus ſcientes ſtatuta ſit, quod autem de venditione hic dicitur, ad quamlibet alienationis ſpeciem porrigetur.

1. Alienatio feudi,incõſulto domino,ignorãter facta, vaſallo non præiudicat.vt hic.& in §.ſi vaſallus feudum.ſup.ſi de feu. defunct.conten.ſit inter do.& agna.vaſal.quare ei feudum eſt reſtituendum: modò tamen emptori ignoranti id quod eius interſit,perſoluat: ad hoc enim eſt cõdemnandus. vt ibi. Intellige autem hunc textum, in ignorantia probabili, non in ſupina, nec in ea cui ſumma negligentia obiici poteſt. l.nec ſupina. l. regula. §. ſed facti. ff. de iuris & fact. ignoran. Item in ea ignorantia hæc accipe, quæ circa factum alienum verſatur, veluti ſi vaſallus ſucceſſerit in

amplam hæreditatem multis feudis permixtam, secus si circa factum proprium versaretur, puta si ipse de feudo inuestitus hoc postea sine domini consensu diuendito, obliuionem aut ignorantiam prætexeret: nam hanc absonam esse in re propria nullus ignorat. l. plurimum. ff. de iur. & fac. igno. Item accipe hunc tex. in ignorantia facti: iuris enim ignorantia hic non excusaret, ne militiæ quidem, aut sexus muliebris prætextu, secundum Bal. hic. veluti si mulier aut miles, prohibitam esse feudi alienationem, se ignorasse diceret: nam ignorantia iuris, & crassa & adfectata comparantur per glo. super verbo scienter, in c. vlti. de offici. iudi. delega. libro. vi. nec passim læsis mulierib. ignorantia iuris subuenitur, sed in casibus tantum à lege expressis. l. vlti. C. de iur. & fac. igno. Atqui lex nulla feudalis inuenitur, quæ hac specie mulieri iuris ignorantia peccanti succurrat. Porro & militis ignorantiam, quæ circa ius versatur feudale, hic non excusari, indicio est titu. supra, quo tempo. mil. & argumento est l. vlti. in fine. C. de iure delibe. Imò præfatam ignorantiam ne in minore quidem xxv. annis probabilem fore hic Aluarot. dixit, quanquam secundum eum ætatis beneficio in integrum restitui posse videatur, per ea quæ habentur in §. præterea si quis, inf. de prohi. feu. alie. per Fride. sed hoc ibi confutaui. Cæterùm si iusta ignorãtia ductus feudum inscio domino alienarit vasallus, mox simul atque feudalem qualitatẽ resciuerit, illud ab emptore recuperare poterit, quia venditio fuit nulla ipso iure. inf. de pro. feu. alie. per Fride §. 1. vendicabit igitur feudũ ab emptore vtiliter agendo, sicut à quolibet alio possessore vt in ti. sequẽ. & sup. de inuest. de re alie. fac. §. 1. Denique si dominus feudum à vasallo alienatum repetere velit, qua actione id fieri debeat, prolixè hic per glo. & docto. controuertitur. Sanè, non dubium est, quin rei vendicatione id fieri possit, quum directum dominium semper apud dñm permanserit, per nota. in §. fi. sup. de inue. de re alie. fac. Sed quia difficilis est plerumque dominij probatio, audienda est monitio Iurisconsulti, sic inquientis. Is qui destinauit rem aliquã petere, animaduertere debet, an aliquo interdicto. possit nancisci possessionem, quia longe commodius est ipsum possidere & aduersarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente, petere. l. is qui destinauit. ff. de rei vendi. quare in præfata specie, magis conducit domino, condictione aliqua experiri, qua possessio auocetur. Ea sumetur potissime ex l. Imperialem. inf. de prohi. feu. alie. per Fride. quæ perspicuo alienationem feudi sine domini consensu factam annullat: & dominis ius suum illæsum conseruat. Nam quoties lex noua non indicat, qua actione sit agendum in materia subiecta, toties cõdictione ex ea lege, agendum esse constat. l. vnica, ff. de condic. ex lege, per quam quidem condictionem, sola auocabitur possessio, non autem proprietas, nam proditum est, neminem rem suam, nisi à fure, condicere posse, l. vltima in fine. ff. vsufruc. quemadmo. caue. secundum Andream ab Ysernia.

De controuersia inter Vasallum & alium de beneficio.
Titulus XXI.

SI controuersia inter vasallum & alium de beneficio fuerit aduersario proprietatem totius vel partem, vel aliud aliquod ius sibi vendicante: causa per vasallum etiam domino absente quasi propria ad finem perducatur. ipse enim solus vtiliter agendi & excipiendi habet potestatẽ, & si pro eo aut contra eum iudicatũ

fuerit, vel cum aduersario transegerit, dummodo fraudulenter actum non sit, etiamsi post beneficium domino aperiatur, tale erit, ac si eo causam agente iudicatum fuisset: & ideo ab eo ratum haberi oportet.

Pro toto feudo eiusve parte, vtiliter agẽdi & defendendi in iudicio, potestatem vasallus obtinet, ita vt domino etiam absente, causam ad finem perducere possit, vel cum aduersario bona fide transigere, quod totum nõ secus ac si liti ipsi interfuisset, dominus ratum habebit, etiam si feudum ei postea aperiri contingat.

1. Hic tex. secundum And. ab Yser. intelligetur eo modo, vt scilicet dominus iure ex vasalli persona profluente, rem iudicatam vel transactã secundum casum huius tex, impugnare non possit, sed quod actum est modis omnibus ratum habere cogatur, secus aũt si iure suo proprio, nihil habente commune cum titulo quondam vasalli, feudum velut rem iuris sui vendicare pergat: quod declara, vt latius dixi in c. si vasallus de beneficio, supra, si de feudo defunc. conten. sit, inter domi. & agna. vasal.

2. Collige ex tex. vasallum legitimam habere potestatem contendendi in iudicio super vtili dominio sui feudi, siue actoris siue rei partib. fungatur, idq; domino etiam ignorante & absente: proinde quodcunq; ea in causa actum fuerit, ratum erit, non solum in vasalli præiudicium, sed etiam ipsius domini innitentis iuri vasalli. Cæterùm directi dominij respectu nihil domino per vasalli litem decedere poterit, quum res inter alios acta, alij nõ præiudicet. l. sæpe. ff. de re iudi. cum similib. secundum Bal. nisi etiam super iure domini, puta super proprietate rei feudalis, inter partes disceptatum fuisset, hocq; dominus sciuisset, & tacuisset: tum enim in præiudicium quoque eius, quantum ad proprietatem attinet, res omnis semel lite dirempta plane censebitur, secundum And. ab Yser.

3. Si vasallus super feudo contendens, iuri suo diffidat, cum aduersario transigere permittitur, modo id fiat animo syncero, & probabili causa, secus si collusione, fraude, dolove malo: hac enim specie, nulla transactio, sed callida potius censebitur versura, improbaque contra legem inita alienatio, legitimis pœnis obnoxia futura Inf. de prohi. feu. aliena. per Lotha. & per Fride. Certum tamen est, eum qui hanc transactionem doli aut fraudis insimulare velit, probationis onus manere. l. ei qui dicit. & l. quoties. §. qui dolo. ff. de proba. De materia huius. c. vide latius in c. rei autem, sup. de inuest. de re alie. fact. & in d. c. si vasallus de beneficio.

Quid iuris, si vasallus post alienationem feudi, id recuperauerit.
Titulus XXII.

PRAETEREA *si vasallus ante constitutionem Lotharij regis feudum alienauerit, quod in quibusdam curiis pro parte, in quibusdam pro toto olim licebat, & ipsum postea recuperabat, pro feudo sibi retinebat hoc est, in causam feudi recadebat. Hodie aũt si ipsum alienauerit, siquidẽ illicite, licet postea recuperauerit, tamẽ penes eum nõ remanebit, vtpote domino, ad quẽcunq; peruenerit, apertũ.*

Priusquam ædita esset lex Imperatoris Lotharij, alienationẽ feudi prohibens, in quibusdam curiis, feudi partem, in quibusdam verò, totum beneficium, alienare permissum fuit: proinde si id vasallus aliquando recuperasset, protinus in feudi conditionem, & qualitatem recidisse censebatur, sicq; feudi iure rursus obtinebatur. Cæterùm eo iure hodie nõ vtimur. Quare si absque

absque domini consensu feudum sit alienatum, licet id postea vasallus vel emptione, vel alio pacto recuperet, retinere tamen feudi iure non poterit: quandoquidem domino per illicitam alienationem, id fuit apertum, & acquisitum: quod intellige in feudo nouo. Vetus enim ac paternum feudum, ad proximos vasalli agnatos, hac specie, deuolui constat, vt dixi in §. vlti. sup. quæ fuit pri. causa benefi. amit.

1. Quandoquidem nemo potest mutare consilium suum, in alterius iniuriam. Regu. nemo potest mutare. ff. de regu. iur. Regu. mutare. de reg. iu. lib. vi. consequens est, vt vasallus, qui feudum illicitè alienauit, id postea mutato consilio recuperatum retinere non possit, quum per hoc domino iniuria & detrimentũ conciliaretur, cui per illicitam alienationẽ, feudum semel pleno iure fuit quæsitũ. Verùm enimuerò si incontinenti, modicòve prorsus temporis interuallo, possessione feudi illicitè alienati vasallus recuperet, in pristinam causam reuerti videtur. arg. l. qui possessione. ff. de vi & vi arma. & arg. in l. diuortium. ff. de diuor. & repu. vbi si breui reuersa est vxor, nec diuertisse videtur: quum ea quæ fiant incontinenti inesse videantur. l. lecta. ff. de reb. credi. his optimè congruit c. si quis presbyterorũ. ext. de rebus Eccle. non alie. versicu. nisi fortè. & alienator, & qui acceperit, celeri restitutione sibi prospexerint: Quæ probabilius dicentur, si non animo præmeditato, sed impetu quodam, vel calore iracundiæ talis alienatio fiat. d. l. diuortium. & l. quicquid calore. ff. de regul. iur. multo magis si necessaria quapiam vrgente causa. c. quod non est. extra de regul. iur. & ibi per glos. & mox animo tranquillo, feruore, & turbinibus defecato, necessitateve propulsa, pœnitentia ductus, feudum recuperet. Mox autem, siue incontinenti hic intelligo, antequam scilicet dominus iure suo vti incipiat, vel antequam res exemplo perniciosa in publicum diuulgetur. hanc æquam esse opinionem testatur hic Andreas ab Yser. & post eum Aluaro. Si verò ex contemptu, aut dolo malo, ac de industria, talis fieret alienatio, semel commissus dolus postea non expiaretur recuperatione, nec pœnitentia vasallus nocens esse desineret. l. i. §. si rem. ff. depo. l. qui ea mente. ff. de fur. cum simil. hoc autem certum est, per nudam alienationẽ, si non sequatur possessionis traditio, vasallum feudo non priuari. secundum gloss. super verbo, excogitare. in l. i. inf. de prohi. feudi alie. per Lotha. & Aluaro. hic.

§. Profectò si domini voluntate vendiderit, vel per libellum, vel aliter alienauerit: si idem postea recuperauerit feudum, penes eum remanebit, non iure beneficij, sed aut iure proprio, aut iure libelli, aut aliter, secundum quod idem recuperauerit: dummodò scias, quòd si ad libellum domini voluntate id dederit, siquidẽ pro libello ei datur singulis fortè annis, & hoc iure feudi censebitur. Illud verò ius quod per libellum transtulerit, & postea recuperauerit, pro beneficio non tenebit: sed velut alterius rei datæ per libellum. etenim si feudũ domino refutauerit, libellũ retinebit.

Hunc textum difficilem esse præfatur Aluaro. Zasius etiam obscurum testatur in compendio feudali, in t. de feudi alienati. & ideo sufficienti genuinoque intellectu eum non expressit. Ego, vt dilucidior fiat, in quatuor membra diuidendum puto. Primum igitur membrum sic exprimo, Si vasallus feudum, domini voluntate, alienauit, quasi rem suam propriam, siue venditione, siue libellario cõtractu, siue alio modo, & postea feudum illud eodem modo recuperauit, id iure proprio, non iure feudali habebit. Ratio est in promptu, quia dominus feudum, vt rem propriam, semel vasallo concedens, omne ius & dominium illius à se abdicauit, hoc intendit vsque ad versiculum,

culum, dummodò scias: vbi est secundum membrum, hoc volens: Quòd si vasallus, dñi licentia, feudum suum titulo libelli obtinendũ alicui cõcesserit, pensione quapiam annua interueniente, profectò q̃ diu vasallus hoc feudũ non recuperauit, sed apud libellarium possessorẽ esse permittit, tam diu annuam illam pensionẽ, quam ex libellario cõtractu percipit, in feudum à dño, & iure feudi tenere censetur, quia ratione feudi, quod non tanquã rem propriam, sed tanquã rem dominicã, domini licẽtia in libellum concessit, eam pensionẽ obtinere censetur, & hoc vsq; ad versic. Illud verò: vbi tertium membrũ exorditur, sic explanandũ. Si feudũ per libellum sic alicui concessum, vasallus redimat & recuperet, tunc feudũ hoc, veluti rem quamuis aliam libellario titulo, nõ feudi iure tenebit, sed dño annuam illam libelli pensionẽ soluat: licet enim prædium redemptũ à libellario, non censeatur amplius feudale, tamẽ ob primæuã feudi naturã, domini cõsensu, in libelli formam cõmutatã dño manere debet vectigale: hoc accipe, donec res ipsa, quæ origine feudalis, & libellaria postmodum facta est, apud quondã vasallum consistat: nam si illud dño refutarit, sicq; à se abdicarit, iam prædio ad dñm redeunte, pensionis duntaxat libellariæ cõmoditas apud refutantẽ manebit: hoc enim beneficio, qui semel in cõtractum libellarium gratiosè consensit, etiam feudo à se abdicato, in reliquã omnẽ vitam perfruetur. & hęc est mens versic. etenim, vbi quartũ membrũ huius §. incipit. Sed hanc partẽ intellige, nisi vasallus delictum, ob quod feudũ amitti solet, patraret: tunc enim vt aliàs, omni iure feudi, sic etiam hic appẽditia ista libellariæ pensionis cõmoditate ex re quondã feudali promanãte, priuaretur. arg. eorũ. quæ dixi in §. si vasallus. sup. hic si. lex. num. ij. in fi. per hæc præsens textus satis est elucidatus: qui reuera, vt Alua. dixit, est scabrosus, & tractationẽ continet magis argutã quàm vtilem, secundũ Zasium vbi sup. licet eum hoc pacto non enucleauerit. Quare & nos hic vela contrahimus, memores illius Celsi, qui plærunq; sub autoritate Iuris scientiæ, perniciosè errari dixit. l. si seruum Stichum. §. sequitur de eo videre. ff. de verbo. obliga.

An agnatus vel filius defuncti possit retinere feudũ, repudiata hæreditate.

Titulus XXIII.

SI CONTIGERIT vasallum sine omni prole decedere: agnatus ad quem vniuersa hæreditas pertinet, repudiata hæreditate, feudum si paternum fuerit, retinere poterit, nec de debito hæreditario aliquid feudi nomine soluere cogitur, sed in fructibus, si quos reliquit, vt de eis debitũ soluatur, quo tempore decesserit (secũdum quod supra diximus) considerabitur. Vbi verò filium reliquit, ipse non potest hæreditatem sine beneficio repudiare, sed aut vtrunque retineat, aut vtrunque repudiet, quo repudiato, ad agnatos, si paternum sit, pertinebit. & licet alterum sine altero retinere non possit, agnatis tamen consentientibus, poterit dominus eum, si voluerit, quasi de nouo beneficio inuestire, quo facto, licebit ei repudiata hæreditate feudum tenere, nullo onere hæreditario imminente.

Phrasis ipsa textus perspicua est, nos rem omnem paucis non inutiliter absoluemus.

1. Collige igitur primò ex textu, Si vasallus sine legitima sobole decedat, proximior agnatus, qui defuncti vniuersalis est hæres, repudiata hæreditate, feudum eius paternum suscipere & retinere poterit: nec ea de causa ad onera hæreditaria debitáque persoluenda obligabitur, nisi eatenus, quatenus

nus feudi fructus se extendant, si qui defuncto adhuc forte obuenire debeant, iuxta distinctionem tex. in §. his consequēter, sup. hic finitur lex. Placiti huius feudalis, secundum Alua. est ratio, quoniam agnatus feudum hoc, nō mediante persona defuncti, nec eius beneficio recognoscit, sed gratuita beneuolentia primi concedentis: proinde quum feudum ab alia defuncti hæreditate sit disiunctum, merito ea repudiata id solum acceptari poterit. hoc intelligunt quidam, nisi feudum illud primo accipienti pro se, & suis hæredibus fuisset concessum, quasi tunc non aliter successuris, quàm hæredibus prospectum esse videatur; sicque agnatum hæreditatem adire oportere, si feudi successor esse velit. sed hoc non obscure pugnat cum tex. præsenti, qui dicit, ad agnatum vniuersam defuncti hæreditatem pertinuisse: quod fieri non poterat, nisi eo casu, quo vasallo eiusque hæredibus feudum concessum esset: & tamen hac specie, repudiare hæreditatem, & feudum seorsum acceptare hic text. permittit, quod & Zasius latius prosequitur in compendio feudali, capit. de feud. success.

2. Secundo collige, filium, quo ad præmissa, diuerso iure censeri. Regula enim est, vt filius, patris aut ascendentum hæreditatem ac feudum, vel simul agnoscere, vel simul repudiare cogatur, nec alterum per se acceptare possit: proinde quod repudiat agnatis accrescit, modò tamen feudum sit paternū: nam si nouum esset, ad dominum rediret. Ratio huius tex. est, quòd filius velut pars patris, vnaque caro, & vna pene sit persona. c. contradicimus. §. hac autoritate. xxxv. q. iij. & l. vlt. C. de impube. & aliis substi. sicque propriè mediante patris persona; tam in feudo quàm reliquis succedat bonis, quod certe in agnatis nemo dixerit. Verùm & sæpe dixi, in feudalibus rationem anxie semper scrutari non expedit. Regulam autem præfatam quibusdam casibus non obtinere, cognitu non est indignum: Equidem primo non obtinet, si per inuestituram feudum alicui concedatur, pro se & suis liberis obtinendum: hac enim specie filius repudiare hæreditatem, & feudum acceptare posset, etiamsi non sit hæres, secundum Iac. Ardizo. And. ab Yser. & Alua. argu. l. cum patronus. §. cum libertus. & l. si operarum indicio, vbi bonus tex. ff. de ope. liber. & l. quodcunque. §. si quis ita stipulatus sit. ff. de verbo. ob. per quæ hic dixit Bal. quod si concessum alicui sit feudum, pro se & liberis suis aut filiis, tunc filij & quicunque descendentes hæreditatem repudiare, & feudum suscipere libere poterint: secus si pro se, & suis hæredibus sit concessum, vel si simpliciter sit concessum, nulla facta mentione liberorum, vel hæredum: quum in dubio hæredibus prospectum videatur. c. vni. supra de duobus fra. à capit. inuest. nam his casibus locus erit Regulæ huius tex. vt scilicet filius non possit feudum retinere & hæreditatem repudiare, siue nouum siue paternum feudum defunctus reliquerit, secūdum Iac. à Belui. in c. i. sup. de eo qui sibi hæredibusque suis, hæc similitudine porriguntur ad emphyteusim: vt si alicui concessa sit pro se & liberis aut filiis, iam filius possit succedere in emphyteusim, & repudiare hæreditatem, cum sufficiat inesse qualitatem, de qua actum est inter contrahentes. d. l. quodcunque. §. si quis ita stipulatus. Diuersum, si sub nomine hæredum, emphyteusis sit concessa. Ita post multa hic concludit Alua. citans Bal. in l. liberti. versiculo quæro vlterius, quid si filius. C. de ope. liber. Secundò non obtinet regula, si filius in re quapiam certa, vel in sua legitima à patre hæres sit institutus, alio instituto & hæreditatē adeunte vniuersali hærede: nam repudiata certæ illius rei hæreditate, feudum rectè filius petet, quia legatarij loco habetur, nec hæreditariis oneribus obligatur. l. quoties. C. de hære. insti. secundum

Bal. hic

Bal.hic,& Iac.à Belui.in d.c.I. Tertio non obtinet,in filio, qui testamento patris est præteritus, & sua voluntate à bonis paternis abstinet, nec patris testamentum impugnat,iuxta l.filio præterito.ff. de iniusto rup.& irri. testa.nam feudum patris nihilominus absq; hæreditate, petere conceditur secundum Bal. & Alua. Quarto non obtinet in eo filio, qui viuente patre, hæreditati paternæ, interposito iureiurando,renunciauit, iuxta c.quamuis, de pac.lib.vi.quum em̃ generali bonorũ renunciatione feudalia nõ cõprehendantur,c.in generali.sup.si de feu.defun.con.sit inter do.& ag.va.non arcebitur filius à successione feudi, quamuis patris hæreditatem non adeat,quum hoc ei,obstante iuramento, sit impossibile, & ad impossibile nemo debeat obligari.ita Bal.hic, versiculo sed quid si filius viuo patre, dicens hanc bonam esse cautelam ad onera hæreditaria declinanda,quod & Alua.probat & Zasius vt sup.simpliciter sequitur,& condemnat post Lauren.Calca.in cõsiliis.hæc Alua.post Bal.etiam ad filium deriuat,vt in feudo fœmineo possit succedere patri,non obstante renunciatione successionis paternæ,vel lege municipali quæ eam dote contentam esse iubet. Quinto non obtinet in filio adoptiuo seu arrogato: nam quum hi non succedant patri in feudo §. adoptiuus, sup. si de feu.defunc.con.sit inter do.& ag.vasal. eius hæreditatem solam,omisso feudo(cuius non sunt capaces) adibunt. Sexto non obtinet,si agnatis consentientibus quasi de nouo beneficio paterni feudi inuestituram à domino filius accipiat:hac enim concessa, feudum tenere,& hæreditatem repudiare permittetur,nullo sibi onere hæreditario incumbente, vt hic in tex.dicitur. Dixi agnatis consentientibus, nam sine eorum consensu dominus feudi paterni naturam immutare non posset.sup.de aliena. pater.feu.in prin. Denique & illud constat: quod filius beneficio inuentarij paternam adeat hæreditatem,licet sic exhaustam debitis, vt reliqui nihil in ea supersit,feudum tamen liberum ac præcipuum,inuentarij priuilegio retinere poterit.l.vl.C.de iure deli.nam semel adeundo hæreditatem vna cum feudo huic feudali placito satisfecit: nec vltra vires hæreditatis tenetur. secun.And.ab Yser.& Alua. possent & alij quidã casus cumulari, si perinde possent iure probari. Sed hoc opus,hic labor est,quod si perpenderent commentatores,bene tum sibi,tum Reipub.consulerent.

An apud iudicem vel curiam domini quæstio feudi debeat terminari.

Titulus XXIIII.

EX EO quod supra diximus, vt si inter duos de benecfiio fuerit controuersia, coram iudice vel arbitro finiatur: talis hic fit quæstio, quodam sine filio decedente, alius credens beneficium quod ipse tenebat, apertum domino esse. ab eo inuestitus est eius beneficij nomine: econtra apparent agnati qui feudum sibi vendicant quasi paternum. Est igitur quæsitum, an apud curiam domini vel iudicem sit hæc quæstio terminanda? Et responsum scio, quia ad dominum quodammodo causa spectare videtur: ad quem inuestitus habebit regressum de euictione: vt coram paribus finiatur curtis, & licet alter per se non possit alterum trahere ad curiæ iudicium: generaliter tamen etiamsi inter duos causa fuerit de beneficio, eos curia vocante non licebit eorum alicui eius curæ iudicium declinare.

Contentio exorta inter eum,qui tanquam de feudo ad dominum reuerso fuit inuestitus,& proximos defuncti agnatos,id velut paternum vendicantes,non coram feudi domino, cùm propter euictionem, eum quodammodo

modo causa respiciat, sed coram paribus curiæ dirimetur: quamuis enim propria autoritate, paribus re prius non indicata, alter alterum coram illis in ius vocare non posſit, tamen id poterit, eorum consensu, & citationis decreto interueniente, cui vtraque pars obtemperare debet, curiæ iudicium non declinatura.

1. Quòd hac specie non coram domino lis sit agitanda, manifestæ æquitatis est. nam dominus factum suum, nempe inuestiturã tanquã de feudo ad se reuerso, concessam tueri velle præsumitur: idq; ea de causa, vt euictionis impendia vitet, ad quæ teneretur inuestito, re feudali postmodum euicta. vt in c.1.sup.de inuest.de re alie.fa. Quare ad solos Curiæ pares cognitio isthæc pertinebit: adeò, vt ne dominus quidem curiæ parium præsidere debeat, ne eius præsentia seu formidabilis, seu gratiosa, iustitiæ tramitem quouis modo subuertat. secundum Iacob. à Belui. per l. apertissimi. C. de iudi. vbi sine suspitione omnes lites procedere, Imperatori cordi est. & argu. l. vnicæ. C. ne quis in sua causa ius sibi dic. & l. qui iurisdictioni. ff. de iurisdic. omni. iudic. Quum itaq; inter duos exoritur cõtrouersia, quorum alter feudum vt antiquum & paternum vendicat, alter vt nouum domini inuestitura sibi defendit, solius parium curiæ iudicio sopietur. vt hoc textu. secundum Aluaro. qui id latius porrigens, toties dispositioni huius textus locum fore dicit, quoties causa litisq; euentus, domino vel commodare vel incõmodare queat: proindè hoc casu, eum nec solum, nec coniunctim cum paribus ipsis, inter vasallos cognitionẽ vllam habiturum, idq; vt sine omni suspitionis obice libero cursu feratur inoffensa iustitiæ disciplina. Cæterùm tametsi pares, vti iam dictum est, tunc iudices esse cõueniat, tamen sciendum est, eos cogi non posse inuitos, vt de feudali causa cognoscant, secundum Iacob. à Belui. & Aluaro. post glos. hic. qui speciali feudorum vsu, hoc in paribus receptũ esse dicunt, quum in aliis iudicibus nequaquam obtineat. hi enim vnicuiq; interpellanti iustitiam administrare secundum leges coguntur. In Authen. vt diffe. iudi. §. si quis verò exist. col. ix. Paribus igitur nolentibus inter vasallos cognoscere, vel iudex ordinarius loci, vel arbiter cõmuni cõsensu electus causam definiet. c. ij. sup. de leg. Cor. secũ. And. ab Yser.

2. Alter alterum ad curiam parium trahere non poterit per se, hoc est, sua autoritate, sed demum curia parium id consentiente, & citationem decernente, facit ad hæc l. vlti. C. de exhi. & transmit. reis, per quam Cyn. ibi probari dicit, apparitorem siue nuncium publicum, aliquem ad iudicium citare non posse, sine iudicis præcepto, quod fallit in illis casibus, in quibus autoritate propria in iudicium quis trahi & duci potest, de quo ibi per glossam & Doctores.

3. Postremò, dilucida sunt nonnulla quæ huic textui refragari videntur: quare ad §. pen. inf. de prohi. feu. alie. per Frid. vbi exortæ inter vasallos controuersiæ iudex est dominus, sic responde: q; in casu huius c. diuersa fuerit ratio: nam dominũ quodãmodo causa respiciebat, propter periculum euictionis, quare æquum fuit non dominũ, velut in re propria, sed pares neutri parti suspectos cognoscere, vt superius quoq; dictum est. Item nõ refragatur c. i. §. fi. sup. de inuest. in mari. fac. vbi de cõtentione vasallorũ dominus cum parium curia cognoscit, nam ibi vterq; feudũ antiquum esse fatebatur: hic alter id antiquum, alter verò nouum esse cõtrouertebat: in hac specie domini affectio, qui tanquã feudi noui inuestiturã concesserat, suspectior habetur. Item non obstat. c. ij. sup. de lege Corra. Vbi inter vasallos de causa dominum cõcernente, (quia vterq; prætendebat se ab eodem dño inuestitũ) non

pares curiæ, vt hic dicitur, sed iudex ordinarius, vel arbiter cognoscit: nam ibi vterque contendebat feudum nouum deberi, & inuestituram prætendebat vterque: hic verò alter nouum, alter antiquum esse feudum asserebat: Quare singuli isti text. in singulis suis casibus obtinebunt. Nec ad rem attinet inquirere, cur tam diuersè? Nam, vt sæpe dixi, in feudalibus, quid obtineat, non cur obtineat, quærẽdum est. Quòd autem glos. hic præfata placida corrigi putet per d. §. penul. inf. de proh. feu. alie. per Fride. Alua. & cæteris non probatur: quum iuris correctio sit euitanda, nisi in casibus à lege expressis. l. præcipimus, in fine. C. de appella. l. sancimus. C. de testa.

Qualiter dominus proprietate feudi priuetur.

Titulus XXV.

EX FACTO quæsitum scio, & ego à pluribus quæsiui, si dominus contra vasallum apertam feloniam fecerit, an sicut vasallus feudum debet amittere, ita dominus proprietate priuetur? Et quidam dicunt, ex omni felonia qua vasallus feudo priuatur, & dominus proprietate priuetur. Alij, non nisi ex magna felonia: alij, ex nulla. Sed prior sententia mihi placet, non habita distinctione qualis vasallus sit, vtrùm per sacramentum, vel non.

Omnis delicti, siue feloniæ (vt vocant) species, quæ vasallum feudo priuat, eadem & dominum proprietate exuit: siue domino fidelitas à vasallo sit iurata, siue non.

1. Hic textus etiam obtinet, si in alium, quàm in ipsum vasallum, scelus aliquod priuatione dignum à domino perpetretur. c. domino. sup. si de feu. defun. conten. sit inter dom. & agna. vasal. & per glos. hic. Idque tam in feudo nouo locum vendicat, quàm in antiquo, tametsi Alua. aliter senserit. textum in d. c. domino, ad feudum nouum duntaxat restringens, quod ibi non probo. Porrò quòd hic nulla fiat distinctio, iurata ne sit fidelitas, an non, intellige hoc, feudi natura sic permittente: Secus si vasallus contumaciter fortè iurare recusasset: nam cùm hac specie ius feudi ei non competat §. vlti. sup. per quos fiat inuesti. dominus ratione commissi delicti, quantum eius respectu, feudo non priuaretur, secundum Aluaro.

De feudo non habente propriam feudi naturam.

Titulus XXVI.

SI QVIS ea lege alicui feudum dederit, vt ipse, & sui hæredes, & cui ipse dederit habeant. Respond. iste qui sic accepit, poterit id vendere vel donare: vel aliter, si sibi placuerit, etiam sine voluntate domini alienare, & ille etiam cui datum fuerit, non habebit ipsum pro feudo, nisi sicut ei datum est. Sed qualitercunque ei datum fuerit, siue ad proprium, siue ad libellum, licet propriam feudi naturam non habeat, iure tamen feudi censebitur, vt ex his causis ipsum amittat, quibus & verum feudum. Vbi ergo sic datum est feudum, & cui in feudum dederis, aliud est, & propriam feudi naturam habet.

Hic textus perspicuus est, si versicu. sed qualitercunque, &c. ad vasallum alienantẽ retuleris: nam donec feudũ sic, vt in textu legitur, concessum, apud primæuum acceptorẽ eiusque hæredes permanserit, feudi naturã, quoad causas priuationis, retinebit: quare ob culpam priuatione dignam, amittetur, sicut

ſicut feudum quoduis aliud: ſed poſteaquã hoc in alium quocunq; titulo primus acceptor transtulerit, omnem feudi naturam prorſus exuiſſe cenſebitur, de quo in c. feudum ea lege: ſup. ſi de feu. def. cõt. ſit inter dom. & agn. vaſal. Textum igitur præſentẽ ſic exprimo, Feudum ea lege alicui conceſſum, vt ipſe hæredeſq; eius, & omnes, quibus id dederit, habere poſſint, liberè quocunque modo alienari ſine domini voluntate permittitur: proindè hoc ille, in quem alienatio facta eſt, eo iure ac titulo obtinebit, quo inter partes conuentum fuit, vt ſi feudi aut emphyteuſis titulo id acceperit, eodem porrò iure poſsidere cenſeatur. Verùm quàm diu primus accipiens illud ſibi retinuerit, nec in alium transtulerit, & ſi propriam feudi naturam non habeat, iure tamẽ feudi cenſebitur, quare interea temporis omnibus caſibus, quibus alia amitti feuda conſueuerunt, obnoxium manebit. Cæterùm ſi eo pacto, feudum concedatur, vt ſcilicet cui in feudum dederis id habeat, diuerſa erit ratio, nam propriam feudi naturam retinebit: quum his verbis, nihil aliud quàm ſubinfeudandi facultas conceſſa videatur.

De eo qui finem fecit agnato de feudo paterno. Titulus XXVII.

TRES ERANT agnati, vel plures, vnus eorum habebat feudum quod erat paternum, ſed alter eorum finem & refutationem ei ſuiſq; hæredibus, & cui ipſe dederit, fecit. deceſſit iſte ſine filio maſculo. Alter qui non refutauit, vendicat ſibi totum. Alter verò qui refutationem fecit, vult ad ſucceſſionem venire, pacto non obſtante. Sapientes quidam Mediolanen. interrogati reſponderunt, non obſtare illud pactum, niſi feudum omnino refutauerit, vel niſi ad hoc refutauerit, vt dominus eum quaſi de nouo beneficio inueſtiret. tunc enim ſecuta inueſtitura noua, quaſi nouum ſit feudum, non ſuccedit.

Si agnatus paterni feudi refutationem fecerit alteri agnato, ſic vt ipſe eiúſque hæredes, & cui id dederit, habere poſsit, hicq; ſine filio maſculo decedat, refutanti, pactum aut refutatio non obſtabit, quo minus defuncto ſuccedat: quia refutatio ea cenſetur perſonalis, quare eo, cui facta fuit, ſine hærede maſculo decedente, prorſus euanuit: nomine enim hæredum ſoli filij intelliguntur. ſup. de alie. feu. §. & ſi clien. ſecus, ſi vel refutatio fuiſſet generalis, abſoluta, & realis, nulla deſignatione perſonarum expreſſa: vel ſic facta fuiſſet, vt de feudo, tanquam de nouo feudo refutato, inueſtitura per dominum concederetur: nam ea ſubſecuta, prorſus ab eius ſucceſsione, in poſterum refutans arcendus foret.

1. Collige ex hoc textu, pactum ſeu refutationẽ non porrigi niſi ad perſonas in pacto expreſſas. concor. l. idem in duob. ff. de pac. huius text. argu. dicit hic Aluaro. filiam quæ renunciauit hæreditati patris, non videri renunciaſſe feudo, quod poſtea per mortem fratrum ad eam eſt deuolutum.

De natura ſucceſsionis feudi. Titulus XXVIII.

SVCCESSIONIS feudi talis eſt natura, quòd aſcendentes non ſuccedunt: Verbi gratia, pater filio, inferius verò filius patri ſuccedit, & non filia, niſi ex pacto, vel niſi ſit fœmineum. Tunc enim ſuccedit filia matri & patri: ſecundum quoſdam ſuccedit nepos ex filio ſolus, & ſic vſq; in infinitum, ex latere omnes per

masculos descendentes, vsq; in infinitũ, si feudum sit paternum. Paternum autem voco, quicunq; ex superioribus id acquisiuit, dummodò scias, quòd si quis habẽs beneficium, quatuor superstitibus filiis decedat, & feudum ad vnum solum ex diuisione deueniat: & iste superstitibus filiis duobus vel tribus decedat, qui patrueles dicuntur, & ad vnum eorũ beneficium feudi ex diuisione perueniat, & similiter iste superstitibus filiis decedat, qui patrueles dicũtur, ad quorũ vnũ feudum similiter peruenit, sicut etiam ex aliis superioribus vel primis fratribus supersunt masculi, si ille qui feudũ habet, decesserit nullo filio relicto, an ad oẽs, vel ad quos perueniat, quæritur. Respondeo, ad solos, & ad oẽs qui ex illa linea sunt, ex qua iste fuit. Et hoc est quod dicitur ad proximiores pertinere. Isti verò proximiores esse dicũtur, respectu aliarũ linearũ. sed omnib. ex hac linea deficiẽtibus, oẽs aliæ lineæ æqualiter vocãtur.

Ascendentes in feudo non succedunt, sed inferiores ad successionem ascendentium vel in infinitum vocantur, modò sint mares: Fœminarũ quippè in feudis recepta non est successio, nisi vel pactum id conciliet, vel feudi natura permittat, veluti si fœmineum sit. Descendentium defectu vocantur collaterales ad feudum paternum, vsque in infinitum, per masculinum sexum prognati. Paternum autem appellatur feudum, quod ab aliquo ex superioribus est acquisitum. Sed in hac successione collateralium primò vocabuntur proximiores, qui fuerint de linea defuncti, quibus non extantibus, alij ex aliis lineis æqualiter vocabuntur, quod intellige secundum Baldum, modò sint pari gradu: nam alioqui secundum gradus prærogatiuam, successio fiet. secundum Iacobum à Belui.

1. In successione feudali prima causa est descendentium vsq; in infinitũ, donec aliquis eorũ recto stipite supersit. Et in hac si auus decedat relicto filio, & nepotibus, ex alio filio mortuo, nepotes isti in locum patris sui, cũm filio admittẽtur per hunc text. in versic. nepos ex filio solus. secundũ glos. hic. Nullo aũt descendentium superstite, ad collaterales agnatos successio feudalis etiam in infinitũ progredietur, si feudum sit paternũ, vt hic. & in c. 1. sup. de gra. suc. in feu. Verùm si filij eius, qui feudũ primò acquisiuit, diuisione bonorũ inter se facta, vni ex ipsis feudum paternũ consignassent, iam exclusis agnatis, fratribus videlicet, filij & descendẽtes eius, cui feudũ per diuisionẽ obtigit, in infinitũ ad successionẽ admittentur, sed deficiente hærede in linea hac directa, feudum relabetur ad fratres illius, qui ex diuisione id sortitus fuit, si adhuc supersint, vel ad alios agnatos proximiores. per hunc textum, qui hoc modo probat, ad ascendentes transuersales feudum deuolui posse, licet ad ascendentes in stipite non deuoluatur, vt per hunc textũ in princ. his consonãt ea quæ hic notat Alua. videlicet, ex pluribus agnatis illos primo loco admittendos, qui eadem linea mortuum cõtingunt, si nullus ex ea linea supersit, iam transitũ ad alias lineas patere, seruata semper graduum prærogatiua. d. c. 1. sup. de gra. suc. in feu. quæ secundũ succedendi ordinem legibus Rom. proditũ cõstituetur, per tex. memoriæ ad hoc cõmendandum in c. vni. sup. an ille qui interfe. fra. domi. Alia plæraq; ad hunc titulum pertinentia prosecuti sumus in c. 1. suprà, de succes. feudi. & in c. si capitanei. sup. de feudo March. & in d. c. vnico. de gra. suc.

De Capitaneo qui curiam vendidit. Titulus XXIX.

QVIDAM Capitaneus in quadam curte sua beneficium dedit militibus, & postea eandem curiam vendidit, non habita mentione beneficij. Controuersia

trouersia est inter Capitaneum & emptorem, dicente emptore, se curiam cum beneficio emisse, domino verò cōtradicente, ad eum beneficium nō pertinere. Respondetur; illud beneficium in venditione non contineri, nisi expressè de eo actum sit.

Si Capitaneus quispiam, videlicet Dux, Marchio, Comes, Baro, seu alius (vt dixi sup. quis dica. Dux, March. vel Comes.) in quadam curte, siue curia sua, feudum alicui constituat, eandémque curiam postea diuendat, venditioni curiæ non censebitur ius illud feudi inclusum, nisi de eo actum sit inter contrahentes.

1. Hoc textu perspicuum est, generali seu simplici venditione bonorum per dominum facta; non comprehendi dominium feudi directum, sicut nec vtile, quod vasallus habet alienatione eius generali continetur. c. in generali. supra, si de feu. defunct. conten. sit inter domi. & agna. vasal. cuius, quantum ad dominum attinet ea est ratio, quòd cùm sine voluntate vasalli, feudum, hoc est, eius directum dominium alienare non possit. c. ex eadem. suprà, de lege Corra. non præsumatur facere voluisse tacitè, & in genere. quod sibi esse prohibitum nouit expressè & in specie. quo fit, vt vendita curia, nec feuda in eo constituta, nec iura vasallorum vendita intelligantur, vt hic. Nam secundum Bartol. non censentur alienatione aut venditione comprehensa, in quibus venditor specificam alicuius licentiam debet adhibere. Variæ quæstiones à Baldo ac aliis huic textui assuuntur, sed cùm euagentur ab instituto, non est consilium eas prosequi. hoc tamen non prætermittam, quod Aluaro. hic ait, videlicet, arce aut oppido in feudum generaliter à Principe concessa, merum quoque imperium eius loci per Principem translatū & concessum videri: quum beneficium Imperatoris, quàm plenissimè interpretari debeamus. l. fi. ff. de Consti. prin. & arg. l. vlt. C. de præpo. agenti. in reb. lib. xij. ad cuius confirmationem multa hic citantur per Alua. Similiter concessa ciuitate in feudum, cum omnibus iuribus in eam sibi competentibus, etiam ius præsentandi ad beneficia ecclesiastica, videtur concessum. vt per Oldra. consi. cccxij. vbi per hoc infert ad præposituram S. Seruatij Traiecten. superioris, Leodiensis diocesis, Nam vt ibi narrat, ciuitas illa Traiectensis à Philippo secundo Romanorum rege, feudi titulo, Duci Lotharingiæ & Brabantiæ fuit concessa, cum omnibus iuribus intra & extra ciuitatem competentibus, quapropter etiam ius præsentandi ad præfatam præposituram (quod anteà Romanis Imperatoribus competebat) concessum & translatum censeri in Ducem Brabantiæ, ibidem respondit: quum alioqui generali bonorum concessione, ius etiam patronatus (nisi excipiatur) concessum esse iudicetur. c. ex literis. extrà, de iure patronat.

§. *Quæsitum esse apud me scio, Si filius, viuente patre, dominum offenderit, ita quòd feudum amitteret si pater decessisset, vtrùm feudum amittat, vel non? Secundum istos sic, secundum Gerar. non. & Obert. similiter.*

Filius vasalli, viuente patre, in dominum delinquens, patre mortuo, à feudo non arcetur.

Intellige hunc textum, si animum offensi domini placare, & de illata iniuria satisfactionem ei præstare sit paratus, iuxta §. insuper, inf. de prohibi. feudi alienan. per Frideric.

§. *Si voluerit vasallus dominum offendere, sed non laborauerit, feudum non amittit. Gerard. & Obert. similiter etiam si laborauerit, non amittit feudum, nisi insidiatus ei fuerit, & hoc probatum fuerit.*

Voluntas quam de offendendo domino vasallus habuit, feudi amissione non punitur, nisi voluntatē hanc ad effectum perducere laborauerit: Quinimò si ad hoc laborauerit, suapte tamen sponte destiterit, feudo non cadet, veluti si manus, ceu dominum percussurus, leuasset, tamen si repressisset, vel alio modo se ad iniuriam ei inferendam accinxisset, ac mente in melius commutata, abstinuisset: secus, si difficultate, aut impotentia consummandi delicti, supersedere coactus fuisset: hæc vera, nisi per talem conatum insidias vitæ domini posuerit, idq; probatione claruerit, hanc text. præsentis veram esse expositionem, testatur hic And. ab Yser. Aluaro. & alij.

r. Hic textus in versicu. similiter etiam si laborauerit, &c. respexisse videtur, quod alio fine dixit Iureconsf. in l. i. in fine. ff. quod quisq; iuris. videlicet. Quid enim obfuit conatus, cùm iniuria nullum habuerit effectum? Sed hoc generale dictum ita hic accipiendū est, si vasallus sua sponte ab incepto abstineat: alioqui locus erit. l. diuus. ff. ad leg. Corne. de sica. quòd scilicet in maleficiis voluntas spectari solet, non exitus: Quare si percussores domino subornauerit, aut toxicum parauerit, aliisve machinationibus saluti dominicæ insidiatus fuerit, etiam scelere non subsecuto, feudum perdet. c. porrò. & quæ ibi dixi. suprà, quæ fuit prima causa benefi. amit. Nam secundum Baldum, insidiæ domino structæ, habentur pro facinore consummato: hac enim specie, solus affectus ad aliquem actum progressus, horrore criminis, feudi priuatione plectetur. Et ideo Andreas ab Yser. putat vasallum feudo priuari, si aliis dominum occidere machinantibus conspiret, operámque suam addicat, etiamsi ad nullam offensionem res postea processerit, quum ad pœnam sufficere debeat ipse insidiarū tractatus. argu. l. præsenti. in princ. C. de iis qui ad Eccl. confu. Ita iure Ciuili in detestationē quorundam criminum, sola attentatio, interpellatio, & sollicitatio sola punitur. l. si quis non dicam rapere. C. de Episcopis & cle. l. i. C. si quis prædi. potesta. l. i. ff. de extraordi. crimi. l. quisquis. C. ad leg. Iul. maie.

§. Similiter si quis inuestitus fuerit de feudo, ita vt ad fœminas transiret, & duas filias tantùm reliquerit, quarum vna filium habeat, & altera filiam, vtrùm post mortem illarum masculus tantùm feudum habere debeat. Secundum Gerard. masculus tantùm, Ober. contrà, & econtrà si filios ille habuerit.

Aut fateri oportet, opinionē Gerardi hic primò positam esse veram, aut Oberti sententiam, per subauditionē saluare necesse est. Secūdum Gerardū hic est sensus, Si feudum alicui sic cōcessum, vt ad fœminas etiam transmitti possit, donec masculus supersit, filiæ ad successionē locus nō patebit. Verùm secundū Obertū, etiam extāte masculo, filia succedet in feudo, subaudi, cōditionato, & ad certū dato seruitium, quod æquè fœmina ac masculus obire possit: quādo scilicet forma inuestituræ etiam fœminis permittitur feudi successio. secundū Iacob. à Beluí. & Bal. in §. quinetiam. sup. Epis. vel Ab.

§. Filius non potest recusare hæreditatem patris absque feudo, Propinquus autem potest.

Ex hoc textu collige primò, filium non posse repudiare hæreditatem patris, & retinere feudum, quum necessarium sit, vt vel repudiet vtrumq;, vel vtrumq; retineat, idq; siue nouum siue antiquum sit feudum. Secundò collige, Agnatum repudiare posse hæreditatem sui agnati, & feudum eius acceptare, id solùm in feudo paterno locum habet, quum successio feudi noui non spectet ad agnatum, secundum gloss. l. sup. an agna. vel fil. defunct. vbi latius de hac materia.

§. Si

§. Si contentio fuerit inter filiam & propinquum de hæreditate & de feudo, cùm filia feudum habere non poterat: quia dicat ipsa, hoc est de mea hæreditate: & ille dicat, imò de feudo; electio propinqui erit discernere veritatē iureiurando. Gerar. & Ober. Et similiter si contentio fuerit inter aliquem qui emisset à seniore, & vasallum: quia dicat vasallus, hoc est de feudo meo: ille autem neget. electio emptoris est veritatem iureiurando discernere, cùm pares curtis veritatem non testantur. Gerard. & Obert.

Controuersia inter filiam defuncti, asserentem bona patris ad se deuoluta, esse libera, ac patrimonialia, & agnatum ipsius defuncti ea feudalia esse contendentem, exorta, filiáque intentionem suam aliter non probante, electio iurisiurandi tribuetur agnato, vt scilicet vel iuret, vel referat sacramentum, bona ea feudalia esse, vel non esse.

1. Intellige hoc c. modò agnatus aliquid in medium producat, quòd animum iudicis ad talem iurisiurandi electionē ei dandam impellat. secundum Alua. Alioqui si filia præsumptionibus iuuaretur, ei iuramentū simpliciter deferendum esset. c. ij. sup. si de feudo defun. conten. sit inter do. & agna. vasal. Sed hæc omnia dependent à iudicis boni arbitrio §. sacramentū, sup. de contro. recti feu. filia tamen, ante omnia in possessionem bonorum defuncti immittetur, postea causa tractabitur & discutietur agnatorum. Vt in d. c. ij. Porrò tametsi in versiculo; & similiter, & cæt. pari modo dicatur, vasallo vendicante rem ab emptore, tanquam feudalem, & intentionem suam non probante, causam per sacramentum emptoris definiendam esse: tum ratione possessionis, quam habet: tum qualitate præsumptionis, videlicet rem liberam esse, nisi contrarium probetur. l. altius. & ibi glossa. C. de serui. & aqua. Tamen si præsumptio probabilior suffragetur vasallo, iudex ei sacramentum deferre posset. secundum Aluarot. quum hoc perpetuum sit, vt huiusmodi controuersias iureiurando dirimere debeamus, iuxta ea quæ traduntur in d. §. sacramentum: per quæ alia feudorum placita, suam in hac materia declarationē, & moderationem recipiunt. secundum glos. ij. in c. vni. sup. de contro. in mascu. & fœ.

§. Similiter feudum lege commissoria datum non valet, id est, si ad certum tempus pecunia non soluatur creditori, vt habeat in feudum. Gerard. & secundum Obert. valet.

Res aliqua in pignus data, in feudum sub pacto legis commissoriæ conuerti non potest, veluti si mutuans à te pecuniam, fundum meum tibi hypothecem, cum pacto, vt nisi ante Calendas Martias mutuum tibi restituero, fundus sit tibi feudalis. Nam hoc pacto legis cōmissoriæ, feudum constitui non potest, & ita verè obtinet opinio Gerardi. hic primò expressa. Sed si vendam tibi fundum meum iusto emptionis contractu, & paciscar tecum, vt ad diem præfixum, precio non integrè soluto, pars fundi in feudum conuertatur, hoc pactum non censebitur reprobatum. secundum glossam. l. in c. vnico. sup. de feud. da. in vicem legis commis. non ideo, quòd hoc pactum, rei traditione sit adiectum: sed ea ratione, quia ab emptione recessum est, quasiq; nouatio quædam facta: quia veluti breui manu, emptio pura, in feudi emptionem conuersa videtur. de quo latius per Zasium in compendio feudali, in vltima parte. Et hoc modo saluari potest opinio Oberti, vltimo loco hic in textu recitata. Cæterùm tametsi pactum legis commissoriæ feudo constituendo interuenire prohibeatur, alia tamen pacta non reprobantur: Quare feudum tibi rectè vendam hoc pacto, vt

meliore mihi allata conditione ab emptione discedatur, vel eo pacto, vt si venditio mihi displiceat, eam reuocare possim, vel sic, vt tam diu ius feudi in eo habeas fundo, donec illum alienauero: quum enim id genus pactorum iura non respuant. l. i. & ij. ff. de in diem adiec. & in feudis licere non male dixeris. secundum Andream ab Ysern. & Aluaro. in d. c. vnico. sup. de feu. da. in vicem legis commiss. Si verò post talem emptionem, puram quidem, sed quæ sub conditione resoluitur, conditio pactorum euenerit, precium receptum per venditorem restituetur, fructus autem interea percepti emptoris erunt. d. l. ij. ff. de in diem adiectione. & l. pacta. de contrahen. emp. secundum Zasium. vt suprà.

§. *Similiter potest feudum dari ad certum seruitium. Gerard. & Obert.*

Feudum ratione certi & specifici præstandi seruitij rectè concedetur.

De hac materia dixi in §. præterea. sup. quid sit inuesti. & in §. in primis, versicu. septimò dicitur. sup. in quib. caus. feud. amitt.

De prohibita feudi alienatione per Lotharium.

Titulus XXX.

LOTHARIVS Diuina fauente Clementia, III. Imperator Romanorum, pius, fœlix, inclytus, ac triumphator, semper Augustus, vniuerso populo.

LOTHARIVS hic, eius nominis tertius, Romanorũ Imperator, & Dux Saxoniæ. Romæ solenni cærimonia diademate redimitus fuit, ab Innocentio secundo, quem à Petro pseudopontifice in Galliam pulsum iuuerat, & quemadmodũ iureiurando pollicitus fuit, cõparato exercitu, in cathedram Apostolicã reduxerat. Deinde in Germaniam ad res tumultuantis Bohemiæ componendas reuersus, vbi accepit, Pseudopontificem iterum res nouas moliri, Romã ad eum comprimendum repetiit, simulq; Rogerium iniustum Apuliæ possessorem, Italia expulit. Imperauit autem annis XI.

IMPERIALIS beneuolentiæ proprium esse iudicamus, commoda subiectorum inuestigare: & eorum calamitatibus diligenti cura mederi: similiter Reipublicæ bonum statum, ac dignitatem Imperij omnibus priuatis commodis præponere. Quocirca omnium fidelium nostrorum, tam futurorum, quàm præsentium, nouerit vniuersitas, qualiter, dum apud Ronchalias secundùm antiquiorum Imperatorum consuetudinem, pro iustitia ac pace Regni componenda consideremus, omnia quæ ad honorem Imperij Romani spectare videntur, solicitè indagantes, perniciosissimam pestem, & Reipublicæ non mediocre detrimentum inferentem, resecare proposuimus. Per multas enim interpellationes ad nos factas cõperimus milites sua beneficia passim distrahere: ac ita omnibus exhaustis, suorum seniorum seruitia subterfugere: per quod vires Imperij maximè attenuatas cognouimus, dum proceres nostri milites suos omnibus beneficiis suis exutos, ad fœlicissimam nostri numinis expeditionem nullo modo traducere valeant. Hortatu itaq; & consilio Archiepiscoporũ, Episcoporum, Ducum, Comitum, Marchionum, Palatinorũ, cæterorumq; nobilium, similiter etiam iudicum, hac edictali lege in omne æuum, Deo propitio, valitura, decernimus, nemini licere beneficia quæ à suis senioribus habent, sine ipsorum permissione distrahere, vel aliquod commercium aduersus tenorem nostræ cõstitutionis excogitare, per quod Imperij vel dominorũ minuatur vtilitas.

Si quis

Si quis vero contra hæc nostræ legis saluberrimæ præcepta ad huiusmodi illicitũ commercium accesserit, vel aliquid in fraudẽ huius legis machinare tentauerit, pretio ac beneficio se cariturum agnoscat. Notarium vero qui super hoc tali cõtractu libellum vel aliud instrumentũ conscripserit, post amißionẽ officij, ipsum infamiæ periculũ sustinere sancimus. Datum 7. die mensis Nouembris. M.CXXXVI.

Imperator Lotharius, Reipublicæ sospitatem, ac Romini decus imperij, priuatis omnibus cõmodis anteponẽs, posteaquam publico relatu, ipsaq; rei euidentia, consuetudine, portionis feudalis alienationẽ, quibusdã in locis, permittente, vasallos sic abusos esse cognouisset, vt eius prætextu, dolos ac fraudes necterent, feuda tota oppignerarent, vmbra libellarij seu emphyteutici contractus, accepto precio, à se abdicarent, diuenderent, alienarent, itaque exuti feudis, facultatibus exhausti, obsequia, seruitiaq; dominis suis præstare non possent, ac ob id proceres & domini, suorum vasallorum destituti subsidiis, expeditionem Cæsaream, aliasq; functiones necessarias congrue subire nequirent, quod videlicet in magnum Reip. ac Imperij vergebat detrimentum: promulgata generali hac lege, amplissimi ordinis, hoc est, procerum Imperij accedente consilio, decernit & statuit, nemini deinceps licere, vt feudi beneficium sine domini permissione distrahat, vllove commercij genere afficiat, aut obnoxium reddat, quo vel domini, vel Imperij quicquam commodo derogetur. Si quis vero hanc legem vel palàm temerare, vel actu quopiam ac machinatione circumuenire præsumpserit, & feudo priuabitur & precio. Tabellio quoq; damnati contractus scriptor, præter exautorationis pœnam, infamis fiet.

1. Hoc tex. clarissime constat, absq; dominorum consensu, feudum distrahi non posse: sufficere tamen consensum tantum, licet non expressum glo. Alua. & alij putant videlicet, si dominus alienationi intersit, nec dissentiat, per l. quidam ex parte. ff. de euictio. modò dominus quid rerum geratur non ignoret: ignorantis enim errantisve nulla est voluntas, nullusq; cõsensus. l. cum testamentum, cum l. sequen. C. de iuris & facti ignoran. Non his repugnat. l. Caius. ff. de pigno. actio. vbi contractui pignoris non obest, quod debitor testamentum creditoris, in quo se emisse pignus expresserat, signauit: quia hæc signatio ad robur testamenti principaliter fiebat, non ad empti pignoris probationem. Diuersum est in specie subiecta, vbi cum non alio fine, quàm ad feudi alienationem conuenientibus partibus, præsens cõticeat dominus, eum pro consentiente, si nõ dissentiat, haberi, absurdum videri non potest, quod & per ea probationẽ accipit, quæ dixi de præsentia taciturna, in §. præterea. sup. quib. mo. feud. amit.

2. Tum demum locus erit pœnæ huius legis, quum ad feudi alienati traditionẽ iam vasallus processerit. Alienatio quippe diffinitur, vt sit actus per quem dominium transfertur. l. 1. C. de fundo dota. hoc autem non pacto, sed traditione transferri constat. l. traditionibus. C. de pac. Quam diu igitur vtile feudi dominium traditione ipsa vasallus à se non abdicarit, alienationis nomine, pœnam non feret, secundum glo. Bal. Aluaro. & docto. Quare cum tex. in fine dicat, in fraudem huius legis machinari tentauerit: subaudi, & machinando, feudum alienauerit, & tradiderit.

3. Feudum illicite alienans, & feudo priuatur & precio destituitur: idque bonæ fidei cedet emptori, alioqui ad fiscum transferetur, de quo latius, inf. de prohi. feudi aliena. per Frider. De pœna quoque scribæ huius illicitæ alienationis instrumentum conficientis, dicetur latius ibidem.

4. Postre-

4. Postremo obseruandum morale præsentis legis exordium, mutuatū fere à l. Imperialis. C. de nup. vbi admodum pie & sancte præfatus est Iustinianus. Digna etiam recolitione hic Lotharij est præfatio: qui dignitatem Imperij omnibus priuatis commodis præponere, Imperialis beneuolentiæ proprium esse dixit. Sic & peculiare est Iustiniano, vt in constitutionum suarum exordiis, vniuersa se agere ad vtilitatem commissæ Reipub. præfetur: noctesq; insomnes se agere dicat, vt subiectorum commodis & quieti consulatur. in Authentico vt differen. iudi. in prin. col. ix. & in Authentico, vt iudi. sine quo suf. in princ. & aliis variis in locis. Idem l. vni. C. de cadu. tollen. sentētia prælibatis applaudente conclusit, sic inquiens. Quod cōmuniter omnibus prodest, hoc rei priuatæ nostræ vtilitati præferendum esse censemus, nostrum esse proprium, subiectorum commodum imperialiter existimantes. Quas voces vtinam consiliarij tam crebro suggererent principi, quàm motus proprios, & plenitudinem potestatis.

IMPER. LOTHA. AVGV. VNIVERSO POPV.

SATIS bene dispositum ad vtilitatem regni, & ad perniciosam pestem destruendam, in scriptis inserere curauimus. Quidam miles bina beneficia à duobus dominis prout solitum est, acquisiuit: qui decedens, duos reliquit filios: qui paterna beneficia inter se diuidētes, alter eorum suo domino pro beneficio quod ad eum peruenit, fidelitatem nullo anteposito, sicut pater fecerat, fecit. Alter verò frater pro suo beneficio alteri domino suo similiter, quia nullum alium dominum habere videbatur, nullo anteposito fidelitatem fecit. Defuncto posteriore fratre sine filiis, vtique feudum in vnam deuenit personam, & sic dominus posterior talem fidelitatē quærit, qualem eius frater fecerat. Quas amputantes altercationes, sancimus quod frater fecit (scilicet in dando simpliciter) nil superstiti obesse: licet in secundā & tertiam generationem & vsq; in infinitum peruenit, si hoc actum erit.

Vasallus quidam duobus feudis diuerso tempore adeptis, & superstitibus filiis duobus decessit: quorum alter feudum prius à patre acquisitum, alter postremo loco obtentum, diuisione facta assecutus fuit: & suo quisq; domino iuramentum fidelitatis præstitit, contigit postea. vt defuncto fratre, qui feudum posterius a patre acquisitum possederat, eius successio ad superstitem fratrem deuolueretur. Dubitari itaq; cœpit, an huius ratione feudi, domino simpliciter iurare debeat, quemadmodum frater defunctus fecerat: an verò cum exceptione domini sui prioris, à quo feudum quod antea habuit, prius in partem profluxerat: sane diffinitur hac l. priorem dominum, in iuramento, ratione feudi per mortem fratris delati, præstando, excipiendū esse. In omni quippe fidelitatis sacramento semper antiquioris dn̄i excipietur conditio, idq; obtinebit, etiamsi in secundam, tertiam, quartamvè generationem, vel in infinitum feudi beneficium propagatum fuerit.

1. Quod autem in fi. huius tex. in versiculo: si hoc actum erit, indicari videatur, feudum paternum in infinitum non deuolui, nisi hoc actum sit: intelligunt quidam hoc obtinere in successione collateralium, vt scilicet feudum ad collaterales solum ad septimum vsq; gradum progrediatur, nisi aliud sit conuentum: sed hoc non recipitur. Etenim tam recto stipite, quàm inflexo & transuerso, paterni feudi in infinitum deoluitur successio. c. vni. sup. de natu. suc. feu. & per Aluaro. in §. fin. conclu. x. sup. quæ fuit pri. cau.

benefi.

benefi.amit. Quare cum hic dicitur: si hoc actum erit, subaudi, maximè. Nam idem, & si non fuerit actum, secundum Pet. de Cer. & Aluaro.

IMPER. LOTH. AVG. &c. EVGENIO Papæ, & vniuerso populo.

QVONIAM inter dominum & vasallum nulla fraus, nec vllum malum ingenium debet interuenire, idcirco per hanc præsentem legem sancimus, si vasallus non dolosè per annum & diem steterit, quòd à domino sui beneficij inuestituram non petierit: feudum non ob hoc amittat, dolus enim abesse videtur, si iusta causa impediente steterit. Datum VI. Cal. Septembris, anno à natiuitate domini M. C. XXVII. Indictione V.

Quandoquidem ab illo fœdere & coniunctione, quæ inter dominum & vasallum consistit, fraudem, dolum malum, & captionem omnem prorsus abesse decet, æquum est, non simpliciter ob id, vasallum feudo priuari, quòd infra legitima tempora inuestituram non petierit, sed ita demùm, si dolo malo non petierit: Quare si iusta quapiam causa impeditus, hac in re officio suo non satisfecerit, pœnæ non subiacebit, quum legitimum impedimentum doli mali criminationem non admittat.

1. Collige tempora certæ peragendæ rei à iure præfixa non fluere ignoranti, nec (absque culpa sua) impedito. concor. l. cùm à matribus. C. qui petant tuto. l. præses. C. de appel. l. quæsitum. ff. de re iudi. l. genero. ff. de iis qui notan. infa. l. 1. C. de tempo. in integ. resti. & l. iij. in fine. ff. de re mili. vbi etiam dicitur: ignoranti adhuc disciplinam tyroni ignoscitur. Et quemadmodum hic impedito vel ignoranti tempus anni non fluit, ita alio loco nec tempus anni dimidiati. l. cùm sex menses. ff. de ædili. edict. Secundò collige, dolum videri abfuisse, cùm legitimum adfuit impedimentum. Porrò de materia huius c. vide quæ dixi in c. 1. suprà, quo tempo. mil. & sup. quæ fuit pri. cau. benefi. amit. in princip.

DE ALLODIIS.

Hic propriè non est nouus titulus, quum à constitutione Friderici, de pace tenenda inter subditos, dependeat. secundum Aluarotum, eam autem nos intactam relinquimus, veluti à re feudorum exorbitantem: quare materiam subsequentis textus aggredimur, licet principium eius instituto nostro non admodum quadret.

AD HOC qui allodium suum vendiderit, districtum & iurisdictionē Imperatoris vendere non præsumat, & si fiat, non valeat.

Interpretes nostri simpliciter hunc textum & Iudaicè, vt scilicet verba ipsa præ se ferre videntur, accipiunt: & nihil eum prohibere putant, quàm Imperatoris districtum & iurisdictionem vendi à quoquam non posse eo loci constitutam, vbi quis liberum suum vendidit patrimonium, & si contrà fiat, venditio corruat, iurisdictionis scilicet respectu: adeò vt hac specie, ne de euictione quidem venditor emptori teneatur, vtpote contra interdictum legis mercanti, sicque malæ fidei possessori. l. quemadmodum, in fine. C. de Agrico. & censi. lib. xi. Sed ego aliud quiddam hunc textū statuisse existimo, videlicet, nemini licere patrimonium suum diuendenti, iurisdictionis & districtus honorem, quem inibi Imperatoris obtinet concessione, vendere

dere aut alienare. Equidem cùm Rom. Imperatores, noua oborta Reipublicæ & Imperij facie, iurisdictioně, territorium, merum mixtumq; imperium, ac alia Regalium insignia plærisq; iure perpetui magistratus concesserint, haud dubiè fidem eorũ, merita ac virtutes, quibus talia cõcesserunt, spectasse videntur. argu. l. 1. ff. de offi. præfec. vrb. versicu. cùm vrbem nostram fidei tuæ commiserimus: quare talia in alias transferri personas, & ipsa rei indignitas, & præsumpta Principis voluntas pati non videbatur. argu. l. 1. ff. de offi. eius cui manda. est iurisdic. & c. vlti. & ibi glos. super verbo, vt personaliter. ext. de offi. iudi. delega. Verùm vt omnis dubitandi ansa præripiatur, expressa constitutione hic cautum voluit Imperator, ne venditione locorum patrimonij liberi, etiam iurisdictio & districtus, qui munificẽtia Imperatoris ad id spectat, transferatur atque alienetur, absq; manifesto eius maiestatis cõsensu: si actum secus fuerit, venditio ipsa iure non subsistat. Non iam quenquam verba illa textus posita mouere debent, scilicet iurisdictionem Imperatoris, &c. nam licet re vera sit iurisdictio illius cui concessa est, tamen non desinit vocari Imperatoris, postquam ab Imperatore profluxit, mundi domino. l. deprecatio. ff. ad leg. Rho. de iac.

2. Allodium autem, quo vocabulo hic vsus est textus, secundum Baldum id dicitur, quod alicui sic est proprium, vt id à nemine quàm à solo Deo recognoscat. Districtus verò quid sit, vide per Baldum & Aluaro. in c. vlti. sup. quibus mod. feu. amit. Et per Fely. in c. Rodulphus. in versicu. districtio. ext. de rescrip.

Si verò cõtigerit allodium aliquod etiam infeudatum conferri Ecclesiæ, vel pro oblatione fidelium, vel per emptionis & venditionis, alteriúsve huiusmodi contractum infeudatus, nisi per gratiam Ecclesiæ, tanquam de nouo reciperet, feudum quod habebat, retinere non poterit.

Dominus ius suum, ipsamq; feudi proprietatem, in Ecclesiam, ac pios vsus, quouis contractu conferre poterit: Quo facto, vasallus, cui vtile feudi dominium competere solet, eo cadit, nisi velut gratuito beneficio, id rursus ab Ecclesia tanquam nouum obtinere meruerit.

Mira profectò res est, vasallum, sine culpa, feudo suo priuari, posteaquã directum eius dominium Ecclesiæ cessit. Verùm is antiquitus erga cultum diuinũ & Ecclesiam, zelus, is omnium fuit adfectus, vt si quid in pios vsus cõtulissent, id centuplicatũ in perpetuos sibi thesauros reponi existimarẽt: quare huic constitutioni magno pietatis consensu, parui magniq; applauserunt. Quod igitur glos. & DD. hic dicunt, Ecclesiam, quanquã posit, non tamen vasallum hac specie, reiicere debere, sed eum denuò inuestire, idq; dictante norma iustitiæ, cuius cultrix & auctrix Ecclesia dicitur. §. sed diuersum. sup. de aliena. feu. manifestè pugnat cum verbis & intentione præsentis textus, qui apertè dicit, vasallum, hoc casu, feudum retinere non posse, nisi gratia Ecclesiæ, tanquam nouum id recipiat. Si igitur iure suo vtatur Ecclesia, nemini iniuriam facere censetur. Et quod lege fit permittente, nullam meretur reprehensioně. l. Grachus. C. ad le. Iul. de adulte. cum simil. Arbitror tamen, dominũ sic feudum alienantě, vasallo in id quod eius interest, condemnandum, vel certè, vt æquiualens rependat feudum, vel iustum eius precium refundat. argu. eorum quæ hebentur in c. 1. si de feu. vasal. fuer. interpel. & sup. de inuesti. de re alien. fac. in princip. secundum glos. Aluaro. & DD. Verùm enimuerò vasallus vtile dominium feudi sui in Ecclesiam transferre non poterit, vt in §. donare, suprà, quæ fuit pri. cau. benefi. amit.

Nam

Nam fortiori & arctiori obedientiæ nexu, vasallus adstringitur dño, quàm ediuersò. Et apud dominũ ius amplius, dignius, & vberius residere censetur. secundũ Bal. Item vasallus cõceptis verbis iurat, se domino non futurũ damno. sup. de for. fide. c. vnico. itaq; feudi abdicatione ei incommodare non poterit. Ait tamen hic Bald. hunc §. quum ius exorbitans contineat, suo casu circumscribendum esse, nec ad emphyteusim, similitudine porrigendum.

§. Vt autem æquitas, quæ in paribus causis paria iura desiderat, per vniuersitatẽ totius Imperij seruetur: firmiter statuimus, tam in Italia, quàm in Alemania, vt quicunq; in dicta publica expeditione Romam ad suscipiendã Imperij coronam, Regem, aut sub Rege dominum suum non adiuuauerit, aut eundo cum ipso, aut pro quantitate feudi stipendia militiæ persoluendo (si de vocatione legitima à domino suo conuinci per compares suos poterit) feudum perdat, & dominus in suos vsus illud habeat redigendi liberam facultatem.

Vt æquitas seruetur, quæ in paribus causis paria desiderat iura, vasalli pro accepto beneficio, vices dominis rependent, in seruitiis & obsequiis publicæ expeditionis, vt hic textus latius prosequitur: qui tamen immutatur, & declaratur per §. firmiter. infrà, tit. proximo.

1. Collige ex tex. in verbo Romam, Regem Romanorũ Romam accedere debere ad obtinẽdum Imperij diadema: quare alium eius rei gratia illuc mittere non posset, nec Pontifex hoc ei per nuncium destinare. secundum Bald. & Alua. & nota. in Cle. Romani. de iureiu. in Cle. Secundò collige, vasallum non puniri pœna huius tex. nisi probetur per pares curiæ, à domino legitimè fuisse vocatus: hinc Bal. hic, inquit, eum qui dicit aliquem monitum, aut citatũ, id probare oportere: quum nemo præsumatur citatus, nisi probetur, vt hoc tex. quem memoria dignum puta. Vocatio autẽ vasalli in specie subiecta, fiet secũdum obseruatã consuetudinẽ regionis & loci. secundum Iacob. à Belui. argu. l. i. & l. vlti. C. de emancipa. libe. Vasallus tamen iurat, se generaliter seu specialiter requisitũ domino præsto futurũ. c. vnico. sup. de noua for. fideli. Porrò si vasallus legitimè vocatus ad expeditionem publicam, nec venerit, nec miserit, nec contribuerit, iuxta formam in §. firmiter. inf. tit. proxi. feudo priuabitur, domino applicãdo. vt ibi. & hoc textu. Idq; obtinebit, siue nouum, siue antiquum sit feudum, quum hac specie non solùm domino suo sit iniurius, verùm etiam ipsi Imperatori, ac Imperio, cuius gratia expeditionem illam susceptam esse constat.

De prohibita feudi alienatione, per Fridericum.
Titulus XXXI.

Fuit hic Fridericus Romanorũ Imperator, eius nominis primus, cognomento Aenobarbus: excelsi vir animi, genere Sueuus. In Italiam traiiciens, Mediolanũ, Derthonẽ, Cremonam, pluraq; alia loca, quòd ab Imperio desciuissent, diruit. Romam ingressus ab Hadriano quarto, clausis Vaticani portis, diademate insignitur, sed irruentibus eò per vim Romanis, vix tutus euasit: quorũ postea magna pars cæsa, pars capta, in gratiam Pontificis restituta fuit: paulò pòst, instaurante seditionem populo reuertens, omnifariàm afflictione rebelles compressit. Interiectis aliquot annis iterum Romam aduersus Alexandrum tertium contendit, & in pratis Neronianis castra figens. Vaticanum, ac Petri basilicam occupauit. Indè prófugus Alexander, Venetiis aliquandiu in monasterio quodam hortulanum pro-

Z fessus,

fessus, delituit: vbi Venetorum ac Mediolanensium auxilio captus Fridericus, supplex veniam præteritorum obtinuit: temperare tamen sibi non potuit, quin ad Pontificis pedes ex more prouolutus, diceret: Non tibi, sed Petro. Inita pace, ad expeditionem Hierosolymitanam profectus, cùm iam aliquot Armeniæ oppida fœliciter subiugasset, in amne quodam mersus, periit, posteaquam annis xxxvij. sceptra Imperij tenuisset.

FRIDERICVS DEI GRATIA ROMAnorum Imperator, semper Augustus.

IMPERIALEM decet solertiam ita Reipublicæ curam gerere, & subiectorum commoda inuestigare, vt regni vtilitas incorrupta persistat, & singulorum status iugiter seruetur illæsus. Quapropter, dum ex prædecessorum nostrorum more vniuersalis curiæ Ronchaliæ pro tribunali sederemus: Principibus Italicis, tam rectoribus Ecclesiarum, quàm aliis fidelibus Regni, non modicas accepimus querelas, quòd beneficia eorum & feuda quæ vasalli ab eis retinebant, sine dominorum licentia pignori obligauerant, & quadam collusione nomine libelli vendiderant: vndè debita seruitia amittebant, & honor Imperij, & nostræ fœlicis expeditionis complementum minuebatur. Habito ergo consilio Episcoporum, Ducum, Marchionum, & Comitum, simul etiam & Palatinorum, iudicum, & aliorum procerum, hac edictali, Deo propitio, perpetuò valitura lege sancimus, vt nulli liceat feudum totum vel partem aliquam vendere, vel pignorare, vel quocunque modo distrahere, seu alienare, vel pro anima iudicare sine permißione illius domini ad quem feudum spectare dinoscitur. Vndè Imperator Lotharius tantùm in futurum præcauens ne fieret, legem promulgauit. Nos autem ad pleniorem regni vtilitatem prouidentes, non solùm in posterum: sed etiam huiusmodi alienationes illicitas hactenus perpetratas, hac præsenti sanctione cassamus, & in irritum deducimus, nullius temporis præscriptione impediente: quia quod ab initio de iure non valuit, tractu temporis conualescere non debet, emptori bonæ fidei ex empto actione de precio contra venditorem competente.

Fredericus Imperator, eius nominis primus, eodem ferè præfationis genere, quo Lotharius in lege sua, vt superius visum est, vsus, eademque statuendi causa ac ratione impulsus, hac perhenni lege cauet & sancit, nulli prorsus licere, vel totum feudum, vel aliquam partem, sine domini, à quo id obtinet, permissione & consensu, vendere, pignori subiicere, vel quocunque modo distrahere, vel à se abdicare, vel in animæ salutem legare, aut relinquere: si contrà fiat, nō solū futuræ, sed etiam factæ alienationes ante huius prohibitionem reuocantur, & in irritum reducuntur, nulla temporis præscriptione aut lapsu fulciendæ, quum id quod ad initio iure non substitit, tractu temporis conualescere non debeat. Emptor tamen feudi, si bona fide mercatus sit, precium à vasallo venditore recuperabit.

1. Hanc legem, quæstionum velut agmine facto, circumsilit omne genus: qnarum si capita quæras, promptius expediam, quot amarit Hippia mœchos. Cùm enim verbosa prolixaque hic sint & glossemata & commentaria, tum Ioannes Raynal. consarcinatis vndique rebus, legem præsentem sic distendit, vt in volumen penè iustum, repetitio eius, vt vocatur, abierit. Nos more nostro Laconici erimus: quandoquidem multa, quæ huc trahi possent, suis locis congruè à nobis sunt explicata.

Regulam

Regulam igitur colligere breuiloquam libet, videlicet: Absq; specifico domini consensu, feudum quocunq; contractus genere alienari non posse, vt hic. & sup. in lege Lotharij. & in c. i. in princip. sup. quali. olim feu. poter. alie. quare ne permutari quidem, nec in solutum dari posse dixerim: quum permutatio, & in solutũ datio, emptionis vicem obtineant. l. apud Celsum. §. autoris. ff. de doli. ma. & met. excep. & l. vlti. ff. ex quibus causis in poss. eatur. Præfata regula hisce, qui sequuntur casibus, non obtinet. Primò, si consuetudo regionis, & mos curiæ, liberam feudi alienationem, domino non requisito, permittat: Etenim contra constitutiones Imperatorum, in causis feudalibus etiam in specie subiecta, contrariam recipi posse consuetudinem, probat textus in c. ex eodem, versiculo, sed non Mediolani. sup. de Capitu. Corra. Ita nanq; in regno Franciæ, moribus receptum est, vt feuda, sicuti res quæuis patrimoniales, vendi, donari, & transferri, etiam ad filias successione deuolui possint. secundum Ioan. Fabri. in Authentica ingressi. C. de sacros. eccle. versicu. quid si vasallus. Secundò, si eo pacto ab initio sit concessum, vt liberè alienari possit. sup. de feudo non haben. pro. feu. natu. c. vni. Tertiò, Si alienetur in proximũ agnatũ, alioqui in id iure sanguinis successurũ: cùm non tam alienatio, quàm quædam refutatio censeatur. c. i. sup. de aliena. feu. pater. Quartò, Si per subinfeudationẽ in alium transferatur. c. i. sup. quali. olim feu. pote. alie. cum simil. Quintò, Si vasallus tædio feudi captus, illud domino resignet & refutet: id enim potest vel eo inuito. c. i. ad fi. sup. de vasal. qui cõtra const. Lotha. Sextò, Si transactione bona fide inita, hoc in aduersarium traducat. c. vni. cum simil. sup. de cõtro. inter vasal. & alium de bene. An tamen hæc transactio agnatis præiudicet, vide per And. ab Yser. & Alua. in c. si vasallus de beneficio. sup. si de feu. defun. conten. sit inter dom. & agn. vasal. & quæ ibi dixi. Porrò tametsi dominus à principio non consenserit alienationi, poterit tamẽ eam ratificare ex post facto, c. i. & quæ ibi dixi. sup. de alie. feu. pat. Hoc autem cognitu dignũ est, vasallum, qui per subinfeudationẽ feudum adeptus est, nõ consensum domini subinfeudantis, sed primi domini, à quo hoc obtinuit subinfeudans petere debere, si id alienare velit, secundũ glos. Iacob. à Bel. & Alua. hic. Nam vasallus vtile dominium, quod habuit, subinfeudando in alium transtulit, sicq; vmbram solam dominij retinuit: quare cùm à capite edenda sit ratio, & origo quærenda, prior dominus accedetur, nisi is longo terrarum spacio dissitus, commodè adiri non posset, nec breui reuersurus putaretur. argu. opti. in c. vni. in fine. vbi bonus textus, Ne sede vacan. aliquid innoue. lib. vi. Denique tametsi vasallus prohibeatur, vtile feudi dominium pignori subiicere, dominus tamen suam proprietatem ac directum dominium pignorare non prohibetur, secundum glossam, Aluaro. & DD. per l. ij. C. de vsufruc. & habita. quæ dispositio iuris Ciuilis, quantum ad dominum attinet, specialiter non inuenitur feudorum vsibus mutata, igitur suo vigori relinquetur. l. præcipimus, in fine. C. de appell. l. sancimus. C. de testa.

2. Feudo illicitè per vasallum diuendito, hoc est, sine domini permissione, & per agnatos (si antiquum) vel per dominum ipsum (si nouum sit) recuperato, emptor bonæ fidei & feudalis qualitatis ignarus, precium repetet, etiam si actum fuerit inter cõtrahentes, euictioni locum esse non deberet quia non de hoc casu, sed de euictione, alia ex causa proueniente, cogitatum inter partes videtur. l. ex empto. ff. de actio. emp. glos. & Aluaro. hic. Quinimò repetitione precij prætermissa, etiam contra vasallum rectè aget ad interesse. l. empti actio. in fine. C. de euictio. Verùm enimuerò malæ fidei

emptor precio frustrabitur, etiam si de euictione sibi prospexisset. Etenim cùm sciens prudensq; contra legem sit mercatus, astutiam suam impunè ferre non debet: non refragatur huic l. si fundum. C. de euictio. nam ibi duntaxat empta re alie. sibi de euictione sciens emptor consuluit, non autem empta re, prohibita alienari, vt in specie legis præsentis. Precium verò, quod malæ fidei emptor numerauit, in fiscum referetur. argu. l. Lucius, in fine. ff. de iure fisci. vbi dicitur, quæ scelere probabuntur acquisita, fisco competere posse: quod in hoc casu intelligo de fisco domini feudalis, vt à vasallo contemptus, hanc etiam iniuriæ suæ habeat vltionem. argu. c. denique. sup. quæ fuit pri. caus. benefi. amit.

§. Callidis insuper machinationibus quorundam obuiantes, qui precio accepto, quasi sub colore inuestituræ, quam sibi licere dicunt, feudum vendunt, & in alios transferunt: ne tale figmentum, vel aliud vlterius in fraudem huius nostræ constitutionis excogitetur, modis omnibus prohibemus: pœna autoritate nostra imminente, vt venditor & emptor, qui tam illicitas alienationes reperti fuerint contraxisse, feudum amittant, & ad dominum liberè reuertatur. Scriba verò, qui hoc instrumentum sciens conscripserit, post amissionem officij cum infamiæ periculo manum amittat.

Prohibet insuper Fridericus, ne quis veteratoria quadam versutia, præsentem circumueniat legem, ita videlicet, vt iustæ licitæq; subinfeudationis prætextu, feudum, accepto precio, re vera diuendatur: quod si fiat, tam emptor, quàm vēditor, feudo cadet ad dominū liberè deuoluendo. Pœna etiam amputationis manus, notaq; infamiæ, post officij priuationem, ei, qui tam illicitum contractus genus, in instrumentum retulerit, imminente.

1. Feudum, quo in specie huius textus tam emptor quàm venditor, ob illicitum contractum cadit, non mox propria autoritate dominus apprehendet, sed demùm priuationis prolata sententia, secundum glos. Bald. & Alua. Idque obtinet, etiamsi malæ fidei emptorem fuisse appareat. Nam Prætor eum, qui per dolum venit in possessionem, non coget discedere prætoria potestate, vel manu ministrorum, sed ad ius ordinarium remittet, vt sic ius dicentis autoritate submoueatur. l. 1. §. necessariò. ff. si vent. nomi. mulie. in posses. mis. Item cùm vasallus patrati delicti ratione, feudum amittit sine præuia sententia, dominus id recipere ad se non permittetur. Etenim nullus, nisi cognita culpa, & coram paribus conuicta, beneficium suum amittit. c. 1. in princip. sup. de feudo sine cul. non amit.

2. Quod hic dicitur, feudum liberè ad dominū redire, intellige, de feudo nouo. Antiquum enim ad agnatos, si qui superessent, regrederetur. §. hoc quoq;. sup. de succes. feu. vt dixi in §. vlt. sup. quæ fuit pri. cau. benefi. amit.

3. Scriba huius illiciti contractus, ordine mouetur, infamia notatur, & manus amputatione punitur, & quidem dextræ, secundum Andream ab Yser. vt scilicet in eo puniatur, in quo deliquit §. omnes peregrini, in fine. infrà, de statu. & consuetud. contra liber. eccle. edit. & c. vlt. ext. de immu. ecclesi. c. pastoralis, ext. de iure patro. l. si fugitiui, & ibi glos. in verbo amputat. C. de ser. fugi. Ratione verò delicti, cui operam indifferentem vtraque manus præbet, humanitatis intuitu, in sinistram fit animaduersio, secundum notata in Authentica. sed nouo iure. C. eo. tit. & And. ab Ysern. & Aluaro. hic. His iam liquet, tabellionem, contractus vetiti scriptorem, digna pœna afficiendum esse, secundum Bald. & nonnunquam irreuocabilis exilij. l. iubemus. §. tis tabellionibus, C. de sacrosan. eccle.

§. Præterea, si quis infeudatus maior quatuordecim annis, sua incuria vel negligentia per annū & diem steterit, quòd feudi inuestituram à proprio domino non petierit, transacto hoc spacio, feudum amittat, & feudum ad dominum redeat.

Vasallus maior quatuordecim annis, infra annum & diem, ratione feudi sibi competentis renouationē inuestituræ temerè non petens, feudum amittit ad dominum reuersurum: hoc accipe, si nouum sit, nam antiquum, nisi filiis & agnatis deficientibus, ad eum, hoc casu non redit. per ea quæ in §. fi. conclusione xx. tradit Aluaro. suprà, quæ fuit pri.cau.benef.amit. De materia huius textus vide quæ dixi in c.i.sup.quo tempo.mil. & sup. quæ fuit pri.cau.benefi.amit.in princip.

1. An pubes, minor tamen xxv. annis, qui inuestiturā infra tempus hic præfinitū non petiit, restitutionis in integrum auxilium implorare possit, quæri poterit. glos. hic, fortè posse. DD. verò indubiè posse opinantur, per l. ait prætor, cum similib. ff. de mino. xxv. annis. Sed mihi hæc opinio ægrè probatur. Pubes enim hic nullo læditur cōtractu, nec offenditur à quoquā, sed ipsemet legē offendit, & domino est iniurius, quem hoc pacto cōtemnere censetur: quare eum vt ingratū præsens tex. feudo exuit. Et cùm placita feudalia, rationē ætatis in vasallo, vsque ad annum decimumquartū habuerint, vt scilicet interea inuestiturā petere, aut fidelitatē facere, nec per se, nec per alium cogatur. c. si minori. & c. si quis decesserit. sup. si de feu. defunc. conten. sit inter domi. & agna. vasal. videntur omnē in posterum excusationē, ac subterfugium, ratione ætatis, resecare voluisse, maximè, quum hic textus clarè diffiniat, nec vllam diuerticuli ansam admittat. Profectò ratione non destituitur hic tex. quum æquum sit, vt pubes, iam doli capax, feudi dominū agnoscat, eiusque muniis respondere incipiat, quoniam feuda non ocij, non luxus, non voluptatis sunt munera, sed ideo cōcessa, vt domino fideliter seruiatur, siue seruitium nominatim sit expressum, siue indeterminatè sit promissum. §. vlt. in fin. sup. in quib. cau. feud. amit. Nec iura ciuilia huc trahi poterint, quæ de minorū contractibus, aliisve rebus, quibus lædūtur, sua ratione, cōstituunt: quandoquidē hic aliud, feudi ratio & natura exposcit: quare à textu expresso in materia feudali, ob argumēta legalia, nullus probè recesserit.

§. Firmiter etiam statuimus, tam in Italia, quàm in Alemania, vt quicunque indicta publica expeditione vocatus à domino suo, in eadem expeditione spacio competenti temerè venire superſederit, vel alium pro se domino acceptabilem mittere contempserit, vel dimidium redditus feudi vnius anni domino non subministrauerit, feudum quod ab Episcopo vel alio domino habuit, amittat, & dominus feudi in vsus suos illud redigendi modis omnibus habeat facultatem.

Si vocatus ad publicam expeditionem, cuius superius facta est mentio, post congruum temporis spacium, quo commodè venire potuisset, emanserit, nec alium domino gratum suo nomine miserit, nec redditus prouentuum feudalium vnius anni domino suppeditauerit, feudo priuabitur, liberè ad dominum reuersuro.

1. Collige primò, competens temporis spacium indulgēdum esse vasallo ad expeditionē vocato, infra quod se aptare, resque suas componere, & cōmodè ad præfinitum locum & diem adesse possit, quod latius sum prosecutus in §. ad hoc quantocunque, sup. hic finitur lex. Secundò collige, Dominum ad expeditionem publicam vocatum, non cogi, vt veniat personaliter, ac seipsum sistat, sed sufficere, si alium domino acceptabilem pro se mittat.

Quomodo id intelligatur,& quid iuris si alium inuenire non potuerit, dixi in §. sed nec alia.sup. quæ fuit pri.cau.benefi.amit. Dicit insuper hic Alua. post And.ab Yser.si vasallus vir sit eminentis conditionis,qui longum peditum aut equitum ordinē,quocunq; proficiscatur secum ducat, & vocatus ad expeditionē, substitutum mittere vellet,rara comitante caterua,iam dominum, ipsius vasalli aduentum exposcere & exigere posse. Idem dicit, si vir sit rerum bellicarum peritus,stratagematū exactè gnarus, pollens consilio,ingenio,rerum peritia, authoritate,& gratia in exercitu.Nam hac specie,ob publicæ vtilitatis respectum, ipsummet vasallum, reiecto substituto,accire dominus poterit,quoniam talis vir vnus,mille aliis præstat.& plus valet duce leone,ceruorum exercitus: quàm ceruo duce,leonum.

§. Præterea Ducatus,Marchia,Comitatus, de cætero non diuidatur, aliud autem feudum, si consortes voluerint, diuidatur, ita vt omnes qui partem feudi habent iam diuisi, vel diuidendi, fidelitatem faciant, ita tamen, vt vasallus pro vno feudo plures dominos habere non compellatur, nec dominus feudum sine voluntate vasalli ad alium transferat.

Feuda Ducatus, Marchiæ, & Comitatus diuidi non possunt: cætera autem feuda,per consortes,si ita collibeat,diuisionem recipiunt,vnoquoq; ad quem feudi peruenerit portio, iusiurandum fidelitatis subituro: verùm vnius ratione feudi, plures dominos vasallus habere non cogitur. Imò ne inuitus quidem dominum mutat: proindè nec feudum, nec feudi partem, sine eius voluntate, in alium dominus transferre poterit.

1. Quemadmodum Ducatus, Marchia,& Comitatus diuidi non possunt, vt hic,ita multo minus Regnum diuidi permittetur. glos.super verbo, Interdicatur,in c.si hæredes.ext.de testa.& glos.vlt.in c.licet ext.de voto.Quandoquidem sic ferè natura compararū est,vt omne Regnum impatiens sit cōsortis. Id Ezau & Iacob pugna, in Rebeccæ adhuc vtero nobis deliniat. Id Roma,fraterno madens sanguine,testatur,quę cōdita,duos fratres simul Reges habere non potuit,itaq; parricidio dedicata est.Id deniq; & naturæ in animantibus perdocet instinctus, quo in apibus Principē esse vnum videmus, & grues ducem vnum ordine sequi literato.c.in apibus.vij.q.i.hinc fit vt Imperator habeatur vnus,iudex vnus prouinciæ,singuli ecclesiarū Episcopi,singuli Archiepiscopi,singuli Archidiaconi, singulis & ecclesiis & prouinciis sint cōstituti,vt ibidem. Porrò Hostien.in d.c.licet §. mandamus,super verbo,ordine genituræ,citans præsentis §. textum: dicit eum optima ratione esse sancitum, ad dignitatē videlicet,& vtilitatem Imperij conseruandam,vt Principatus ad vnū consistentes,perpetua integritate perseuerēt:quod enim diminuitur,citius destruitur,& perit,glos.vlt.in d.c.licet. Quare & Ro.Pontifex,diuisionē prębendarū fieri prohibet,vt sicut in magnis,ita quoq; in minimis mēbris suis,firmatā ecclesia habet vnitatē.c.maioribus.ext.de præbē. Prælibatæ igitur dignitates,perpetua successionis serie,apud vnum,nempe primogenitū consistent: quum ius primogenituræ,& lege nitatur diuina,& pontificio iure cōfirmetur. Gene.xxxv.d.c.licet,in fi.ext.de voto.vbi Hosti. id elegāter exequitur,inter cætera illud quoq; subdens, aliis videlicet filiis, tantum à primogenito consignandū fore,quantū ad honestam vitæ sustentationē sufficiat,pro generis splendore,& facultatibus principatus: modò tamen primogenito supersit,quo Principis dignitatē cōmodè tueatur,meminerit siquidē Spartam, quam nactus est,sibi ornandā esse. Quæ de prohibita dignitatū feudalium diuisione iam dicta sunt,obtinere censentur, nisi vel

Princi-

Principis cōceſſione, vel cōſuetudine contraria, ſcientibus permittentibusq; Imperatoribus molita, aliud receptum foret, ſecundum And. ab Yſer. Bal. & Alua. & varia conſilia doctorum, leges quippe non ſolo ſuffragio legiſlatoris, ſed etiam tacito conſenſu omnium, per deſuetudinem abrogantur. l. de quibus, in fi. ff. de legibus.

2. Feuda alia, & minora, quàm in tex. ſunt expreſſa, per conſortes, libere diuidi poterint, vt hic: ſimiliter & iuriſdictiones feudorū & curiæ, ad inſtar vſusfructus, rectè inter eos diuidentur, vt ſcilicet certis regionibus quiſque præſit, vel locetur iuriſdictio vni ex ipſis, vel tertiæ perſonæ, vt penſiones æqualiter recipiant, vel vt alterius vicibus, certo tempore, iuriſdictio apud ſingulos conſiſtat. l. cōmuni diuidundo. ff. cōmu. diui. & l. quoties, in princi. ff. de vſufruc. Nam cum iuriſdictiones Ducatus, Marchiæ, & comitatus diuidi vetentur, in aliis non exceptis iuriſdictionis diuiſio videtur permiſſa, l. cum prætor. ff. de iudi. Si itaq; inter vaſallos feuda diuidātur, vno ſine hærede mortuo, pars eius non ad dominū, ſed ad ſuperſtites relabetur, niſi aliud conueniſſet, de quo latius, per Alua. in l. ſi quis miles, verſi. quæro ſubſequenter, ſupra. Impera. Lotha. Eugenio Papæ.

3. Dominus partem proprietatis feudi, in alium transferre non poteſt, cum vaſallus nō cogatur plures habere dominos, vnius feudi intuitu, vt hic Quid autem iuris ſit, quum mortuo domino ad plures eius filios domini ſucceſſio peruenit, vide in c. omnes filij, ſup. ſi de feu. defun. conten. ſit inter domi. & ag. vaſal. Multo minus totum feudum. ſine vaſalli voluntate, in alium transferre poſſet, vt hoc tex. & c. ij. ſup. quo tem. mil. Præſentem tex. citat Hoſti. in c. dilecti filij, in l. colum. ext. de maio. & obedi. in verbo præiudicium, generaliter dicens. Si nobilis quiſpiam, ſuum diſtrictū aut territorium, alieno velit ſubmittere domino, ſubditorum cōtradictionem, ea in re admittendam eſſe, quum ipſorum interſit, non mutari priſtinam domini libertatem, nec in plurium ſubiectiones diffundi. Hoc dictum Hoſtien. citat, Bal. in c. in generali, ſup. ſi de feu. defun. fue. contro. inter domi. & agn. vaſal. vbi per hoc ait: Regem Franciæ non poſſe ciuitatem aliquam regni ſui alienare, ciuibus inuitis, quæ memoriæ ſunt commendanda.

§. *Inſuper ſi filius vaſalli dominum offenderit, pater à domino requiſitus deducat filium ad ſatisfaciendū domino, vel à ſe filium ſeparet, alioquin feudo priuetur. Si autem pater vult eum deducere vt ſatisfaciat, & filius contemnit, patre mortuo in feudum non ſuccedit, niſi prius ſatisfecerit domino, parique modo vaſallus pro omnibus ſuis domeſticis faciat.*

Si dominus à filio vaſalli offendatur, pater filium requiſitus, aut deducet ad ſatisfactionem, vt ſcilicet ratione offenſæ, domino ſatisfaciat, aut à ſuo contubernio ac familia ſeparabit: quorum alterum ſi non fiat, feudo priuabitur. Verùm enimuerò ſi filius ſic deduci à patre non ſuſtineat, nec alioqui animū offenſi domini placet, hoc pœnæ feret, vt mrotuo patre, ab eius feudo, alienus eſſe debeat, quouſq; domino, quem offendit, condigna ſatisfactio repenſa fuerit, quæ dicta ſunt de filio, in omnibus quoq; vaſalli domeſticis obtinere cenſentur. A quibus tamen, ſecundum Bal. excipitur vxor: proinde eam contra dominum delinquentem, à ſe maritus, ſecundum formam huius tex. non ſeparabit, ſed aliis congruis modis ſatisfactio fiet.

1. Quomodo autem filius à patre ad ſatisfactionem ſit deducendus. And. ab Yſer. hic tractat. Mihi ſecunda eius opinio placet, vt ſcilicet obediuiſſe huic textui videatur pater, ſi domino conueniendi filij facultatem præſtet,

eumque iuri sistat, vt authoritate iudiciaria, ad condignam satisfactionem condemnetur, nam sine iudiciali cognitione, simpliciter filium ad nutũ domini puniendum obferre, à parentum in filios pietate videtur alienum, arg. l. milites §. desertorem. ff. de re militar.

§. Illud quoq; præcipimus, vt si vasallus de feudo suo alium vasallum habuerit, & vasallus vasalli, dominum domini sui offenderit, nisi pro seruitio alterius domini sui hoc fecerit, quem sine fraude ante habuerit, feudo suo priuetur, & ad dominũ suum à quo ipse tenebat, reuertatur, nisi requisitus ab eo paratus fuerit satisfacere maiori domino quem offenderit, & nisi vasallus idemque dominus à domino suo requisitus, eum qui maiorem dominum offenderit, requirat vt satisfaciat, suum feudum amittit.

Si vasallus, qui feudum per subinfeudationem assecutus est, dominum sui domini offendat, feudo priuatur, ad dominum tamen subinfeudantem reuersuro: quod fallit duobus casibus, primo nisi seruiendo alteri domino antiquiori, hæc offensio facta sit: Secundo, nisi requisitus à domino suo immediato, satisfacere paratus sit domino quem offendit. Verùm enimuerò si hic dominus subinfeudati, à domino suo requiratur, vt ad satisfactionem inducat subinfeudatum, nec id faciat ius feudi amittit.

1. Cum dominus primus offenditur per ingratitudinem delicti, feudum reuertitur ad ipsum dominum immediatum, scilicet subinfeudãtem, vt hic. Secus si dominus primus offendatur per ingratitudinem contractus, secundum glo. & docto. Proindè si vasallus vasalli feudum illicitè alienet, hoc ad primum dominum regredietur, vtpote directum habentẽ feudi dominium. Collige ex hoc tex. subinfeudandi facultatẽ nouissimo quoq; iure esse concessam. Secundo collige, vasallum plurium dominorum excusari ab offensa quam intulit domino posteriori, iuuando dominũ suum antiquiorem. Tertio collige, vasallum feudo priuari, si requisitus à domino, subuasallum ad satisfactionem iniuriæ primo domino illatæ non inducat.

§. Præterea si inter duos vesallos de feudo sit controuersia, domini sit cognitio & per eum controuersia terminetur: si verò inter dominum & vasallum lis oriatur, per pares curiæ à domino sub fidelitatis debito coniuratos terminetur.

Controuersiæ inter vasallos exortæ, dominus est iudex: sed inter dominum & vasallum motæ cognitionem habebunt curiæ pares, à domino sub fidelitatis debito cõiurati, quomodo id postremum intelligatur, vide in c. i. in fi. & quæ ibi dixi sup. de contro. feu. apud pares terminan.

1. Litis inter vasallos super feudalibus excitatæ controuersiis, cõpetens iudex feudi dominus censetur, vt hic. & in c. ex parte, ext. de foro compet. de quo latius in §. fi. sup. de inuest. in mari. fac. & in c. i. sup. an apud iudi. vel domi. quæstio feudi termi. debe. Quare si causæ feudalis cognitionem recusaret, vasalli aut per dominum superiorem, eum cogi ad ius reddendum legitimè curabunt, aut ordinarium iudicem, eo prætermisso adibunt. Alioqui domino inuito, aut ignorante, alterius iudicis in causa feudali iurisdictionem prærogare non poterint. Quinimo si litem coram alio tribunali temere suscepissent, sub fidelitatis debito, ad eam deserendam, à domino cõpelli possent, secundum glo. & docto. nam lex vbi cœptum. ff. de iudi. in foro dumtaxat competente locum obtinere dinoscitur. Controuersiæ autem inter dominum & vasallũ subortæ iudices erunt curiæ pares, vt hic, & sup. apud quem vel quos conten. feu. c. i. & sup. de contro. feudi apud pa. termi. Pares inquam eius prouinciæ, in qua lis cõtrouersi feudi agitatur. Absurdũ

quippe

quippe esset, eos ex aliena trahi regione iuris dicūdi gratia, nisi alij haberi nō possent, tum enim etiam de vicinis prouinciis assumēdi videtur. arg. l. Diuus Marcellus. ff. de tutori. & curato. dat. ab his. Domino autem curiam nullam parium habenre, iudex ordinarius rei, qui conuenitur, causæ cognitionem habebit, per regulam quæ habet, Actorem forum rei sequi. de quo & aliis huc pertinentibus, vide latius in d. c. 1. sup. de contro. feudi apud pa. termi.

§. *Illud quoque sancimus, vt in omni fidelitatis sacramento Imperator nominatim excipiatur.*

Imperaror in omni fidelitatis sacramento nominatim est excipiendus.
1. Proindè, si quis inuerso iuris ordine, contra Imperatorem fidelitatem iuraret, esset iuramentum planè nullum, secundum Bald. Tum quia palàm improbitatem & dolum id præ se ferret: tum quia à bonis moribus prorsus esset alienum, itaque nullo pacto obligatorium. l. non dubium. C. de legib. Regu. non est obligatorium, de regul. iur. libro. vi. Imò tale iuramentum in perniciem Imperatoris præstans, læsæ maiestatis crimine tenebitur. l. quisquis. C. ad leg. Iul. maiest. Nam Imperator mundi est dominus. l. deprecatio. ff. ad leg. Rho. de iac. & vt ita dixerim, corpóreus mundi deus, vt hic inquit Bald. de quo vide copiosè in c. 1. sup. de feudo March.

Quot sint testes necessarij ad probandam feudi ingratitudinem.

Titulus XXXII.

IMPERATOR HENRICVS AVG.
Vniuerso populo. &c.

SI VASALLVS inhonestis factis atq; indecentibus machinationibus dominum suum offenderit, insidiisque eum clandestinis vel manifestis appetiuerit, vel inimicis eius suas amicitias copulauerit, atque in aliis sic versatus est, vt potius inimicus, quàm fidelis esse credatur, vel si eum cucurbitauerit, seu in campestri bello suum dominum reliquerit, feudo priuabitur: quod non obtinere sancimus, nisi quinque testibus summæ atque integræ opinionis probatum fuerit manifestè. Datum VIII. Idus Augusti fœliciter.

Vasallus actibus probrosis & perfidis dominū offendens, veluti si vitæ eius insidietur, si cum inimicis eius amicitias cōtrahar, si coniugem eius, filiam, aut sororē, quæ in capillo dicitur, stupret (quod cucurbitare, voce barbarica Feudorum vsus vocant) si eum in prælio, & acie ipsa pugnantē, derelinquat, seu alioqui se hostiliter gerat, vt potius inimici speciem, quàm vasalli præ se ferat, feudo priuabitur, modò testimonio quinque testium summæ atq; integræ opinionis, horū alicuius criminis manifestè fuerit cōuictus.
1. Hæc lex ferè sumpta ex l. liberi, in fine. C. de inof. testa. vasallorum innocentiæ & vtilitati dicata est, ne scilicet per paucos, viles, & redempros testes conuicti, feudalibus bonis (quæ plærunq; reliquas superant facultates) innocentes exuantur. Qua de causa, non duorum quorumlibet, sed quinque, summæ atq; integræ opinionis testimonium, ad ingratitudinē vasalli conuincendam, necessarium Imperaror esse voluit, sicuti & aliis quibusdam casibus, res quinque testibus probationem accipere dinoscitur, vt in l. testium. cum Authent. seq. C. de testib. l. fi. C. de dona. caus. mor. l. fi. C. de Codicil. §. oportet verò. de instrumento. caute. & fide. colla. vi. de quo latius in libro nostro posteriore Progymnasmatum fori. titu. de testibus.

1. Quo-

2. Quoniam ingratitudinis causas hoc textu obiter commemoratas, superius, in tit. quibus mod. feud. amit. satis copiosè explicauimus, restat, vt illam duntaxat attingamus, qua amicitias cum domini inimicis vasallus nectit. Primò igitur omnium, Regulare est, vt vasallus amicitias cum domini inimicis copulans, domini inimicus esse factus credatur, sicque feudo priuetur, vt hic, & in d. l. liberi §. fi. C. de inof. test. Quare & Iason ibi post Saly. dixit: Inimici mei cōfœderatos, etiam mihi videri inimicos, concor. l. i. cùm patronus. in fi. & ibi Bal. ff. de offi. præfec. vrb. Quinimò & conuersatio aliquorū cum hostibus meis, mihi quoque hostilis, & suspecta habetur: proindè tales aduersum me non admittētur ad testimonij fidem. c. cùm oporteat. & ibi glos. i. ext. de accusatio. quia infestationes blasphemiæ, affectio solet amicitiæ incitare, c. repellantur. ext. eo. tit. Quæ dicta sunt, etiam in Ecclesia locum vendicāt, secundū Iaso. in d. l. liberi, in fine. Quapropter si Monasterium fundatū ab aliquo Barone, amicitias iungat cum inimicis fundatoris, Abbas & Monachi, ob tantū ingratitudinis vitium, monasterio pelli & eiici poterint, aliis monachis in cultu Dei suffectis, & surrogatis, vt pulchrè per Spec. tit. de donatio. §. 1. versicu. quid si aliquis Baro. Cæterùm Alua. in c. 1. sup. hic potest esse tit. quib. mod. feud. amit. ita demùm amicitiam vasalli cum inimico domini contractam, feudi amissione expiandam tradit, si in perniciem domini sit inita: secus si innocua sit, & Euāgelica, qua cum omnibus pacem habere iubemur. Sed vide, ne quid hic vmbra pietatis peccetur, memineris que, secundū Paulum, non solùm tibi à malo, sed etiam ab omni specie mali temperandum esse. Aliud est more Christiano, aliquē amare, Aliud, cum inimicis domini conspirare. Verùm enimuerò, quæ superius dicta sunt, obtinere non putantur in vasallo, plures feudales prouincias & ditiones, à diuersis dominis recognoscēte, secundum clarissimū quondam iureconsultū D. Nicolaum de Middelburgo, primò, Hollandiæ, deindè, magni cōsilij Mechlinensis Præsidē consularē, in libro de Locis legalibus in loco à Tanquam, vbi in specie dicit: quòd Comes Flandriæ, qui respectu Comitatus Flandriæ & Arthesiæ est vasallus regis Franciæ, & idem intuitu Ducatus Brabantiæ, & Comitatus Hannoniæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Namurci, Limburgi, & Lucenburgi, est vasallus Imperatoris, argui non poterit feloniæ, seu perfidiæ, ad effectum priuationis, si amicitias nectat, aut confœderationē ineat cum Anglis, gente veteri odio Francis inimica: quum id non tanquam Comes Flandriæ, & sic vasallus regis Franciæ: sed vt dux Brabantiæ, & aliarū prouinciarū, facere censeatur. Quoties enim plura iura & qualitates diuersæ in vnius personā confluunt, perindè censeri debent, ac si confluerent in diuersos. Citat l. tutorem. ff. de iis quib. vt indig. & plurima alia in princ. illius loci. Nec his refragatur text. præsentis c. aliaque superius citata, nam obtinēt in vasallo vnius domini, & vnam duntaxat qualitatē repræsentante. In comite autem Flandriæ plurium ditionum qualitates concurrunt. Adeò vt feudum Flandriæ fere inutile ei redderetur, si eius ratione, sic mancipatus & adstrictus esset regi Franciæ, vt pro defensione aliarum ditionum longè maioris & commodi & momenti confœderationes sibi opportunas inire non posset: quod sanè in feudi concessione non videtur cogitatū, itaque non asserendum, argu. c. veniens. & quæ ibi not. ext. de iureiu. & l. si libertus ita iurauerit. ff. de Ope. liberto. Hæc ferè D. Præses præfatus, qui & illud subdit, videlicet confœderationē posteriori tempore initam, semper factam intelligi sine præiudicio illius, cum quo cōtracta fuit tempore priori, iuxta nota. per Hostien. & Ioan. And. in c. recolentes, ext. de statu Monachorum.

NOTANDVM est in feudo, quod de cauena seu camera dicitur, non debere dari, nisi cùm sit in camera vel cauena, vndè solui possit: vel si ita euacuata sit cauena sine culpa promissoris, expectandum est donec interim de cauena vel de camera dari possit. Dominum autem feudi dare posse intelligitur, omni ære alieno deducto. Non enim æquum est, quem videre egentem, quam prius habuit in coniugem vel amicum.

Feudum quod vel ex horreo, vel ærario domini annua præstatione datur, ita demùm debetur, si præstari possit, id est, deducto omni ære alieno: proindè si horreum siue ærarium, absq; domini culpa, sit exhaustum, tempus fœlicioris prouentus expectare vasallus cogitur. Aequum enim est, vt ad egestatem non redigat eum, à quo beneficio se nouit esse affectum.

1. Cui feudum de camera vel cauena obtigit, prouētus suos, nisi ære prius alieno persoluto, non recipiet, vt hic. Itaq; creditores domini, vasallo tali præferentur, secundum Bal. Hoc intellige, si absq; culpa domini horreum siue ærarium sit exhaustum. Alioqui si proposito, fructus & redditus vel alienasset, vel impignorasset, aliundè vasallo satisfacere cogeretur, modò facultas adesset, secundum Aluaro. Camera verò aut cauena rursus abundante, non solùm futuræ, sed & cessæ pensiones, ac prouentus præteritorum annorum præstabuntur. l. ex eo. ff. de vino, trit. & oleo lega. l. legatum. §. vini falerni. ff. de annu. lega. Est autem sciendum, hoc feudi genus, quod Cameræ, vel cauenæ dicitur, esse degenerans: quia ad accipientis hæredes non deuoluitur, in aliis tamen recti feudi naturam seruat, scilicet, in seruitiorū præstatione, in petitione innestituræ, in iuramēto fidelitatis, in prohibitione alienationis, in cōmodo possessionis, secundū hoc intelligitur. c. 1. §. si vero. sup. quid sit inuesti. vbi feudum cameræ appellatur feudum rectum, nam id intelligi debet, præterquā in natura degenerāte, quo ad succesionē, secundum DD. in c. 1. in fi. sup. de feu. cogn. vbi de his feudis copiosius tractatur.

§. Quòd autem pares tantùm debeant interesse inuestituræ feudi, & non alij: hoc tunc verum est, cùm dominus vasallos alios habuerit. Alioquin adhibeat dominus quos meliores poterit, liberos tamen, argumentatione legis de vltimis voluntatibus in Lombarda, scilicet illa quæ dicit: Si quis donationem facere voluerit de suis rebus alicui, vel inuestituram, adhibeat sibi de parentibus suis (& per eandem legem iurant) duos testes idoneos, vel tres, vel plures, pluralis enim locutio duorum numero contenta est.

Dominus inuestituræ nouæ, pares curiæ, si illos habeat, alioqui, quos potuerit meliores, liberos tamen, ac duos ad minus testes adhibebit.

1. Regulariter parium præsentiam noua exposcit inuestitura, quod fallit, si domino nulli sint pares: hoc enim casu, aliorum fide dignorum (modò tamen sint liberi) præsentia suffecerit, vt hic. & in §. 1. sup. de consuetu. recti feudi. Idq; ne probationum angustetur facultas, argu. l. quoniam, in fine. C. de hæreti. Et quoniam pluralis locutio duorum numero contenta est, satis fuerit adesse duos, nam vbi numerus testium non adiicitur, etiam duo sufficiunt. l. vbi numerus. ff. de testib.

§. Item sciendum est, non esse impedimentum inuestituræ, & si inuestituram faciat, de re quam communem dominus habeat cum aliquo, quia si spontè diuidere noluerit ille, cum quo habet rem communem qui inuestiuit, potest cogere per iudicem

dicem ille qui inuestitus est, vt diuidat. Item hæredes eius necesse habent tenere firmam inuestituram quam pater fecit. Item eadem lege & eodem iure debet habere rem iste qui inuestitus est, quam haberet qui eum inuestiuit, cùm cohærede suo, scilicet vt adæquatio percurrat vsque ad quadraginta annos. Item inuestitura per se & per suum nuncium dari & accipi potest, quæ omnia supradicta colligi possunt per supradictas leges Longobard. titu. de vltimis voluntatibus, l. si quis. & C. cont. diui. l. i. & ij.

Rem mihi cum alio communem tibi rectè in feudum concedo, quare si diuisionẽ velis, ad iudicem prouocare poteris, vt inter te & consortẽ ea fiat. Infeudationẽ hanc meam hæredes mei ratam habere coguntur. Et tu, eodem iure potieris rei inuestitæ, quo ego inuestiens, si feudum retinuissem, potiri debebam, quare sicuti ego cum meo cohærede agere potuissem, vsq; ad spatium quadraginta annorũ, vt diuisio inæqualiter facta, ad æqualitatẽ officio iudicis reduceretur, ita & tu inuestitus, cum tuo consorte, agere permitteris. Item inuestitura dari & accipi per procuratorem potest.

1. Non solùm res propriæ, sed & communes, nondum diuisione facta, in feudum extraneo dari possunt, vt hic: portionem quippe propriam, rebus nondum diuisis, nemo prohibetur titulo donationis in alium transferre. l. portionem. C. de donat. concor. l. falso. C. de commu. re. alien. quod intellige, nisi iam lis & iudicium super re communi cœptum foret. l. alienationes. ff. fami. herciscun.

2. Hæredes non possunt infringere inuestituram factam à defuncto, vt hic. Idq; obtinet, etiam si ius aliquod habuissent in re infeudata. Nam ex qua persona quis lucrum capit, eius factum præstare debet. ff. de regul. iu. l. ex qua persona, & per l. cùm à matre. C. de rei vendica. & in Authentica hoc amplius. C. de fideicom. de quo per DD. in l. ea quæ à patre. vbi bonus tex. C. de resti. mili. & in l. si ego. §. 1. ff. de iure dot. & dixi sup. qui succes. tene. c. i.

3. Inuestitus de re communi, eodem iure potitur, quo inuestiens anteà potiri solebat, quare pari modo ad diuisionis prouocationẽ admittetur, vt hic. Etenim in communione, vel societate, nemo detinetur inuitus, quare aditus iudex, quæ communia sunt, diuidi prouidebit. l. vlti. C. commun. diui. In communi diuidundo iudicio, hoc præcipuum est, vt obseruetur æqualitas. l. penulti. C. commun. diuidun. Quapropter etiam vsque ad quadraginta annos, post factam diuisionem, vt res ad æqualitatem redigatur, petere inuestitus poterit, secundum hunc textum, quod Pet. de Ceruo. & Baldus in feudis speciale esse dicunt, vt scilicet vsque ad quadraginta annos talis diuisionis factæ reductio fieri posit, quum in aliis, spatio triginta annorum præscriptio compleatur, quod & sequitur Aluaro. Denique inuestituram per procuratorem & dari & accipi posse, hic textus planè asserit, de quo in §. sed vtrùm. sup. per quos fiat inuesti.

§. *Idcirco pares necessarij sunt in instrumẽto inuestituræ, & non alij, ne quid excogitetur falsitatis in perniciem domini aliis testibus inductis, corruptis fortè pecunia, vel odio, vel gratia, quæ non sunt suspicanda in paribus.*

Ea de causa parium, & non aliorum, præsentiam inuestituræ nouæ interuenire conuenit, ne scilicet per extraneos vel sordibus, vel odio, vel gratia deprauatos, domino quicquam præiudicetur, quum in pares, vtpote iurisiurandi religione semel deuinctos, nulla falsitatis cadat suspitio. Attamen si domino nulla sit parium curia, etiam coram extraneis inuestitura fieri permittetur. vt sup. eo. §. quòd autem pares.

§. Si

§. Si instrumentum diceretur falsum à domino, daretur defensio vasallo, qui instrumentum adfert, vt in Lombar. qual. quis se defend. deb. & auferetur domino, licet veritatem nouerit. Et iniquum erit, si aliquis ex dono suo conueniatur, cùm domini sit defensio ex ordine, cùm scilicet vasallus non possideat.

Hic textus subobscurus est, quare suppletione congrua adiuuandus est, ita videlicet: si inter dominum & vasallum super feudo oriatur controuersia, eo quòd instrumentum inuestituræ, à domino falsitatis insimuletur, nec tamen id plenè probetur, sed coniecturæ & præsumptiones quædam in medium adferantur, vasallo, qui instrumentum hoc profert, iusiurandum dabitur, vt innocentiam suam tueatur, & obortas contra se præsumptiones purget, & excuset, sicque feudum sibi iureiurando confirmet, modò tamẽ annalis fuerit possessor, hac enim specie, domino, licet rei veritatem scire possit, defensio auferetur, quia non ipsi, sed vasallo propter commodum possessionis, quam habet, iuramentum, vt dictum est, deferetur. Quapropter si non vasallus, sed dominus in feudi possessione foret, iam iniquum esset, præfato modo, dominum ex donó suo conueniri, vt scilicet vasallus iureiurando suam intentionem probare posset, quum domini, hoc casu, sit defensio, ex ordine. & traditione feudalium placitorum: ei quippe cùm vasallus non possidet, iusiurandum deferetur, quo scilicet iuret, nullam se inuestituram vasallo concessisse.

Hoc pacto supplendum & intelligendum esse hunc textum Pet. de Ceruo. And. ab Yser. & Auaro. hic tradunt. Dicit tamen idem Petrus: Domino instrumentum inuestituræ falsum arguente, testes instrumenti, si viuant, ante omnia examinandos esse. per §. notandum, inf. eo. tit. si verò decessetinr, nec dominus intẽtionem suam aliter probare potuerit, tum locum fore huic textui in princip. vt scilicet vasallo, cum legitimis sacramentalibus, purgationis sacramentum (quod defensio hic vocatur) propter domini accusantis autoritatem, deferatur. Sed quòd de iuramenti delatione hic dicitur, totum à iudicis pendet arbitrio, nam ordinem & regulam omnẽ eius rei, pro sua moderatione, prudentia, & circumspectione, inuertere poterit, nunc rei, nunc actoris (prout expedire viderit) rationem habiturus. §. sacramentum. sup. de controuersia recti feudi. secundum Aluaro. hic. Præterea licet præsens textus in principio satis frigidè dispónat, circa falsæ inuestituræ quæstionem, tamen per eum non abrogati iuris Ciuilis traditionem, certum est: proindè à iudice sui officij memore, acerrima fiat indago, vbi falsi inciderit crimen, idque l. eleganter docente, exæquatur. l. vbi falsi. C. ad leg. Corne. de fal. quicquid hic dixerit Aluaro.

§. Notandum est, quòd de omni controuersia quæ inter dominum & vasallum oritur, si pares veritatem nouerint, omnino cogi debere à domino, & paribus dicere vetriatem, qui si dicant se nescire, cùm sciant, & vasallus postulet, dominus eos coget iurare, & veritatem dicere, vt C. de test. l. si quando, & in Lombar. vt index vnus, & cæt. in tit. qualiter quis se defen. de. l. si qualiscunque causa, & tit. de test. vt quicunque. & l. vi.

De omni controuersiarum genere, quod inter dominum & vasallum exoritur, interrogabuntur pares, & veritatem, quam norunt, dicere à domino ac curia parium compellentur. Et si rei notitiam dissimulauerint, petente vasallo, etiam iuramento sunt adigendi.

Collige ex hoc textu, curiæ parium iurisdictionem competere in pares, cùm vnà cum domino, eos compellere posit ad perhibendum testimonium

veritati. Secundò collige, testem, qui extra iudicium se quid nescire dixit, postea in iudicio examinari, delato iuramento, posse: eiúsque dictum, ob id, non minus fidei habiturum. Vide circa hæc, quæ dixi in §. 1. suprà, quid sit inuesti.

§. Cùm datur domino defensio de inuestitura quæ dicitur esse facta, iurare debet, se inuestituram non fecisse. Cùm verò datur successori eius, iurare debet, se non credere inuestituram factam esse ab antecessore suo. Si qua inuestitura facta esse dicetur, semper debet nominare dominum, à quo inuestitura facta dicitur, cùm multum discrepet sacramentum hæreditarium à principali sacramento. C. de re.cre. & iureiu.l.ij. & l.generaliter. & vt habes de tutore, qui iurat quod credit & existimat, vt C.de iura.ca.l.ij.de conscientia enim sua iurare debet, & non de alieno facto: cùm iniquum sit, aliquẽm iurare de alieno facto, hæres vel successor, nec etiam filius, vt .ff. rerum amo. l. Marcellus, sed contrarium reperitur in Lom.quia licet filius minorẽ virtutẽ habeat quàm pater, tamẽ debet præcise iurare patrẽ suum nõ fuisse debitorẽ, vt in Lom.qualiter quis se defen.debet.l.si cõtigerit.

Si ad dirimendam controuersiam super inuestitura feudi exortam, sacramentum deferatur inuestitori asserto, iurare is debet de veritate, scilicet se inuestituram non fecisse: si verò sacramentum deferatur successori eius, iurare eum conueniet de credulitate, videlicet se non credere inuestituram eam à prædecessore factam esse: eam quoque ob causam, vasallus dominum declarare & nominare debet, à quo inuestitura sit concessa, vt scilicet constare possit, quale iuramentum deferri debeat, cùm hæredis sacramentum plurimum discrepet à sacramento autoris eius. Nam hic, vt dictum est, de veritate iurat, quum facti sui non possit ignorantiam prætendere. l. quanquam. ff. ad S.C. Velleia. Ille verò, de credulitate iurat, qui enim in ius alterius succedit, iustam habet ignorantiæ causam, secundum regulam iuris. Quo fit, vt iniquum sit, præcisè de alieno facto, alium iurare. l. Marcellus. §. qui rerũ amotarũ. ff. de actio. re. amot. Quocirca id quod in fine huius textus subiicitur ex lege Longobardorum, ab omni ratione prorsus exorbitat, itaque aboleri & explodi ab omnibus debet, secundum Andream ab Ysernia, & Aluarotum.

LAVS DEO.

FINIS INTERPRETATIONIS IN Librum Tertium consuetudinum Feudorum.

INDEX INTERPRETATIONIS LIBRI TERTII CONSVETVDINVM FEVDORVM.

A.

ACTORE nihil probante, an absoluatur reus, tit.11. §. sacramentū. num.1.
ADuocatorum Ecclesiarum materia hic discutitur, tit.5. §. quicunque, num.1.
adulter vasallus, an feudo cadat, tit.16. §. Si vasallus, in principio.
Ædificata aliaque rei feudalis cui cedant, feudo ad dominū reuerso, tit.6. §. si vasallus, in princ.
ædificata in feudo alieno imprudenter empto, ædificij æstimatio, ibid. (ibid. num.1.
æqualitas seruāda in iudiciis, tit.11. §. in quibus, nu.1. & tit.33. §. item sciendum, num 3.
æstimatio probitatis ex natione fieri solet, tit. 5. §. vasalli, num.2.
AGnati in possessionem mittendi controuersi feudi, tit.4. §. si de feudo, nume.1.
agnatus proximior reuocat alienationem feudi in alium & remotiorem factam, tit.4. §. Titius filios, num.1.
agnatum à reuocatione excludit consensus tacitus, de quo latius infra, num.2. ibidem.
agnatus infra quod tempus feudi alienationem reuocet, ibidem, num.2. in fine.
agnati quomodo succedant in feudū delinquentis, tit.4. §. si vasallus, in princ.
agnati qui succedant in feudo delinquentis, tit. 5. §. vasalli, num.2.
agnatorum qualium adhibendus consensus alienationi feudali, tit.17. §. alienatio, num.1.
agnatus repudiata defuncti hæreditate, feudum eius retinere potest, oneribus hæreditariis non adstrictus, tit.23. in princ.
agi potest ad quadraginta annos, vt feudi diuisio ad æqualitatem reducatur, tit.33. §. item sciendum, num. 3.
ALienatio partis feudi, totius feudi perditione non punitur, tit.2. §. illud, num.2.
alienatione generali non comprehenditur feudum, tit.4. §. in generali.
alienare feudum sua autoritate non potest vasallus, domino existente excommunicato vel bannito, tit.6. §. domino guerram, num.3.
alienans feudi partem, in parte solum punitur, tit.6. §. si vasallus, in princip.
alienari non potest feudum paternum sine consensu agnatorum, tit.17. §. alienatio, in princ.
alienari feudū pōt in proximū agnatū, ib. nu.3.
alienans curiam non videtur feudum in ea constitutum alienasse, tit.29. §. quidam Capitaneus, num. 1.
alienatio quid? tit.30. §. imperialis, num. 2.
allodium quid? §. ad hoc. de allodiis.
ANnalis possessio in feudis quid operetur, tit.11 §. item si inter, num.2.
ARbiter super feudo assumi potest, tit.12. §. si autem. num. 1.
arbitrator super feudo non assumitur, ibidem.

B.

BElli duplex genus, tit.6. §. dño guerrā, nu.1.
Bella iusta quæ dicantur, ibidem.
Bellum an possit indici incōsulto Principe, ibid.
bellum in barbaras nationes, ibidem.
belli indictio, ibidem.
Bellum iustum gerenti, an liceat inuocare auxilium Turcæ, ibidem.
bello iniusto quō vasallus dñm iuuet, ibidem.
bellum iniustum ducens, tenetur de omni damno dato, & expensis, ibid. num.4.

C.

CAptiuum ducēs fratrē, tit.2. §. denique, nu.3.
CElans rem domini, tit.4. §. vasallus, nu.3.
CItari ad iudicium quis non potest sine iudicis præcepto. tit.24. §. ex eo. num.2.
CLericus & Monachus, an succedant in feudo, tit. 8. §. si fœmina, num.2.
COnsideratio posterior intelligitur facta sine pīudicio prioris, tit.31. §. si vasallus, nu.2. in fi.
Conradus primus, tit.12. in princ.
consuetudo loci excusat, tit.2. §. prima, num.2.
consensus tacitus præsentis, tit.39. §. imperialis, num. 1.
consuetudo inueterata non reuellenda, tit.4 §. mulier. num. 1.
consuetudo præiudicat legi imperiali, etiam de feudalibus disponenti. tit. 18. num.1.
cōsensui æquiparatur ratihabitio, tit.17. §. alienatio, num. 1.
consilio adhibendi senes & prudentes, tit.6. §. domino guerram, num. 1.
consilium procerum Imperator in publicis negotiis adhibebit, ibidem.
consiliarij quondam Principis immunes à collectis, tit.16. §. si vasallus, num. 3.
controuersia inter dominum & vasallum de feudo, altero possidente, quomodo dirimatur, tit. 11. §. item si inter.
controuertens vasallus super feudi inuestitura cum domino an realiter inuestiri debeat, tit. 17. §. si inter dominum. num.1.
controuersia feudi inter inuestitum & proximū defuncti agnatum exorta coram quibus sit tractanda, tit.24. §. ex eo, in princ.
controuersiæ feudales qui sint iudices, ib. nu. 3.
controuersia inter filiam defuncti & agnatum de feudo, tit.29. §. si contentio, in princip.
controuersiæ inter vasallos exortæ dñs feudi est iudex, tit.31. §. præterea si inter, in princ.
controuersiæ inter dominum & vasallum iudices erunt pares, ibidem.
controuersia si inter dominum & vasallum oriatur, eo quod falsa inuestitura dicatur, tit. 33. §. si instrumentum.

D.

DElatio criminis, titu. 2. §. item si delator, nume. 1.
Denunciandum est domino vt teneatur de euictione, tit. 3. §. negotium, num. 1.
denunciari quousque possit, ibidem.
denunciandum etiam scienti. ibidem.
DIffinitio in iure difficilis, tit.1. §. in primis.
diffinitio feudi, ibidem.
diuisio bonorum cōmunium peti potest, tit.33. §. item sciendum. num. 1.
DOlus nō præsumitur, tit.4. §. si vasallus, nu.2.
dolus quando videatur absuisse, titu. 30. §. lex quoniam, num.1.

Dominus ſpacio triginta annorũ præſcribit vtile domi.feudi, tit. 4.§.ſi quis.num.2.in fine.
dominus delinquens quãdo priuetur ſeudo,hoc eſt,proprietate eius,vaſallo applicanda, tit.4 §.dominus,in princip.
dominus feudi eccleſiaſticus, an ob delictum cadat proprietate feudi, ibid.in fine.
dominus feudi proprietatem alienare non poteſt,inuito vaſallo, tit.12.§.ex eadem.
dominus an cadat proprietate feudi,eam ſine vaſalli voluntate alienans, ibid.
dominico feudalia bona ſi ſint illata,an reinfeudari poſsint, tit. 13. in princ.
dominus qua actione feudum illicitè venditum ab emptore reuocet, tit.20. num.1.
domino an præiudicet lis per vaſallum ſuper feudo agitata, tit.21.num.2.
dominus quando præſidere non debeat curiæ parium, tit.24.§.ex eo.num.1.
dominus quando feudi proprietate priuetur, tit. 25. in princip.
dominus prior in iuramento fidelitatis excipiendus, tit.30. §.1.ſatis benè.
dominus ſi iudex eſſe inter vaſallos recuſet, tit. 31.§.præterea ſi.num.1.
dominus directum feudi dominium in pios vſus trãsferre poterit,etiam in præiudicium vaſalli. §. ſi verò contigerit, de allodiis.
dominus feudi proprietatem pignorare poteſt, tit. 31.§.imperialem. num.1. in fine.
dominus propria autoritate non apprehendet feudum illicitè alienatum,aut delicto perditum, tit.31.§.callidis. num.1.
dominus quando perſonaliter ad expeditionem ſuſcipiendã cogi poſsit, tit.eo.§.firmiter.nu.1
dominus feudi partem alienare non poteſt, ſicut nec feudum totum, eod. tit. §.præterea Ducatus.num.3.
dominus terram ſuam non poteſt alij ſubiicere abſq; voluntate ſubditorum, ibidem.
dominus in cõtrouerſia feudali quomodo iuret, tit.33.§.cùm datur,in fine.
DVbitanter an reſponderi poſsit, tit.4. §. vaſallus. nume.1.
dux Brabantiæ vaſallus Imperatoris, titu. 32. §.ſi vaſallus. num. 1.

E.

EVicto feudo ad quid dominus teneatur vaſallo, tit. 3. in princip.
Euicti feudi quæ debeatur æſtimatio, ibid.nu.3.
EXcuſat officij neceſsitas, titu. 2. §. item ſi delator. num.1.
ex continenti, tit.6. §.domino guerram.nu.1.
excommunicatum aut bannitum dominum vaſallus ſuis obſequiis non proſequitur, de quo num. ſeq. ibid.num.2.

F.

FAlſi crimen ſi coram iudice incidat, titu.33. §.ſi inſtrumentum,in fine.
FEudum cuius ratione annuum quid præſtatur, tit.1. §.in primis.
feudum ſimplex ſiue rectum, ibidem.
feudum Franchum, ibidem.
feudum conditionatum, ibidem.
feudum contractus nominatus, ibidem.
feudum cuius ratione non præſtatur iuramentum, tit. 2. §. eſt & alia.num.3.
feudum à non præſtante ſeruitia quomodo reuocetur, ibidem. num.2.
feudum quo priuatur vaſallus ad quem redeat, tit. 2. §. denique, in princip.
Feudum nouum illicitè alienatum redit ad dominum, ibid.num.4.
feudi degenerantis filij pro rata ferent onera, tit.4. §.omnes.
feudum non cedit fiſco, tit.4. §.dominus, in fi.
feudum degenerans ob eaſdem culpas amittitur,ob quas & feudum rectum, tit. 4. §. feudum, in princip.
feudum fœmineum an ad filios deuoluatur ſimpliciter conceſſum, tit.8.ſi fœmina. num.1.
feudum antiquum quod ſit, tit.10. §. ſiue clericus. num. 2.
feudum in infinitum ſubinfeudari poteſt, tit. 12. §.ſimiliter. num.2.
feudum quãdo cenſeatur annexum menſæ prælaturæ, tit. 13. in princ.
feudum quando aperitur domino, titu. 15. §. ſi quis. nume. 4.
feudum nouum domini cõſenſu in quemuis alienari poteſt, tit.17.§.alienatio.num.2.
feudum quando ſine domini cõſenſu liberè poſſit alienari, tit.26.
feudali conceſsioni etiam in patronatus includitur, tit. 29. §. quidam capitaneus.num.1.
feudum abſq; dominorum cõſenſu diſtrahi non poteſt, tit.30.§.imperialis. num.1.
feudi alienatio ſine domini conſenſu facta, prorſus non ſubſiſtet,quod fallit in caſibus notatis inf.num.1.tit.31. §.imperialem.
feuda dignitatum diuidi non poſſunt, tit.31. §. præterea Ducatus in princip.
feuda minora diuidi poſſunt, ibidem. num. 2.
feudum cameræ vel cauenæ quatenus debeatur, tit.31. §.notandum, in princ.
feudum cameræ vel cauenæ eſt degenerans,ibid.
feudum in rebus communibus, cum alio nondum diuiſione facta,conſtitui poteſt, tit.eod. §. nam ſciendum. num.1.
Filia vnica mittenda in poſſeſsionem bonorum defuncti, etiam ſi eis permixta ſint feuda, tit. 4. §. inter filiam.
filia defuncti vaſalli tuenda in poſſeſsione feudi, patet in tit.4. §.defuncto.
filij quando priuato patre ſuccedunt in feudo, tit.4. §.vaſallus. nume.1.
filij defuncti vaſalli an omnes iuramentum fidelitatis domino præſtent, tit.4. §.omnes.
filij defuncti vaſalli vnum aliquem ex ſe feudi muniis perficient, ibid. num. 1.
filius adoptiuus non ſuccedit in feudo patris adoptantis, tit.4. §.adopti. num.1.
filius arrogatus in feudo non ſuccedit, ibid.
filij naturales non ſuccedunt in feudo, tit.4. §. naturales, in princ.
filij legitimati per cõſequens matrimonium ſuccedunt in feudo, ibidem, in fine.
filij in feudum patris non legitimè alienatum non ſuccedunt,ſed agnati, titu.4.§.Titius filios. num .1.
filij quando patri nec in feudo nec in aliis ſuccedant, tit.4.§.filij.
filij ex matrimonio ad Morganaticã contracto, non ſuccedunt in feudo, tit.7. §.quidã. nu.2.
filij non ſuccedunt in feudo delinquenti patri, tit. 9. §.vaſalli. nume.3.
filius an ob crimẽ paternum puniri debeat, ibid.
filij ſacerdotum ſerui Eccleſiæ, ibidem.
filius feudum patris an abſq; hæreditate eius retineat, tit.23. §.ſi contigerit. num.2.
filius vaſalli ſi dominum offendat viuo patre, tit.29. §.quidam capitaneus. num. 1.

Fiſco

fisco competuut scelere acquisita, tit.31.§.imperialem nume.2.
FOEminarum testimonium in feudis nō admittitur, tit.10.§. siue clericus,nume.3.
fœmina an testis esse possit de iure cōmuni, ibi.
fœmina si super feudo contendat, quomodo dirimatur, tit.19.in princi.
fœminæ ad feudum,donec superfit masculus,nō patet accessus, tit.29.§.similiter.
FRuctus feudales vasallo sine feudi successore mortuo cui cedant, tit.16.§.his consequenter in principio.
fructus pendentes cui iure communi debeantur, ibidem nume.1.
fructus qui fine facto vasalli nascuntur, ibi.
fructus feudi cameræ & cauenç,vasallo mortuo, cui debeantur, ibidem nume.2.
fugam prior in acie faciens capite punitur, tit. 2.§.item quod dominum.

G.

GVarentare, tit.12.§.si autem nume. 3.

H.

HÆredis appellatione quis contineatur, tit. 1.§. in princi.
Hæredis nomine quis cōtineatur,in feudali materia, tit.4.§.Titius nume.1.
Hæres agnatus alienationem defuncti ratā habere cogitur, tit.17.§. alienatio,nume.1.
Hæres non potest infringere inuestituram factā à defuncto, tit.33.§.item sciendum.

I.

IGnorantia iusta excusatur, tit.2.§.1. nume.2.
Ignorantia, tit.4.§.vasallus,nume.3.
ignorantia feudi vendentem excusat, tit. 4.§.si vasallus,in principio.
ignorantiæ iustæ species, ibidem nume.1.
ignoranter feudum vendens tenetur emptori ad interesse, ibidem nume. 2.
ignorantia iuris non excusat feudū sine domini consensu vendentem, tit.20. numero 1.
IMpubes feudum nouum consecutus, tit.4.§.si minori in princip.
impubes non iurat fidelitatem, ibid.nume.1.
impubes nec iurare fidelitatē,nec seruitia personalia præstare cogitur, tit.4.si quis decesserit in principio.
impubes consuetudine locorum onera feudi per alium feret, ibidem nume.7.
impendiorum quorum habenda sit ratio, tit.6. §.si vasallus nume.2.
impensa modica refectionis, ibibem.
impendia feudi ob delictum vasalli ablati cedūt domino, ibidem.
impensæ in agriculturam factæ, tit. 6. §.his consequenter.
impensæ semper deducendæ, ibibem.
Imperator in omni fidelitatis iuramento excipiendus. tit.31.§.illud quoque.
Imperator mundi dominus, ibidem.
INgratitudinis causæ certa regula circumscribi non possunt, tit.1.in princip.
ingratitudo vasalli qualis spectanda, ibidem.
inuestitura infra quod tempus petenda, tit. 2. §. prima,nume.1.
inuestitura concedi potest de feudo viuentis, ti. 4.§.moribus.
inuestitis duob9 successione de feudo si posteriori tradatur possessio,is præualebit,ti.4.§.si facta nume.1.
inuestituræ diuersæ si producantur,à litigantib. quid iuris, tit.5.§.si tres vel plu.in princip.
inuestitura noua quomodo probanda, tit.10.§. siue clericus,nume.1.
inuestituræ nouæ quando adhiberi possint testes extranei, ibidem.
inuestitura noua quæ dicatur, ibid.nume.2.
incontinenti, tit.22.§.prætcrea nume.1.
inuentarij confectio feudum liberum filio conseruat, tit.23.§.si contigerit, nume.2.
insidiatus saluti domini feudum perdit tit. 29. §.si voluerit,num.1.
inuestitura noua coram quibus concedi debeat testibus, tit.33.§.quid autem.
IVramenrum fidelitatis præstandum successori, tit.2.§.prima.
iuramentum fidelitatis & petitio inuestituræ quibusdam casibus non fit infra annum & diem, ibidem num.2.
iuramentum fidelitatis recusanti, feudum non debetur, tit.2.§.est & alia nume.1.
iustitia si domino à vasallo denegetur in quacūque causa, tit.2.§.illud tamen.
iustitiæ non exhibitæ mora, ibidem.
iudicis trutina in perpendēdis ingratitudinum causis, tit.2.§.prædictis in princip.
iurari an debeat omnibus domini hæredibus & seruitium præstari, tit.4.§.si omnes nu.1.
iuramentum in causa feudali quando & cui sit deferendum, tit.11.§. sacramentum.
iurari in causa feudali quando & quomodo debeat, tit.11.§.& cum datur in princi.
iuramentum calumniæ quando non exigatur à domino nec à vasallo, tit.11.§.in quibus,nu.1.
iudicis iussus, tit.11.§.similiter,nume.1.
iudici quando possit quis resistere, ibidem.
iudices causarum feudalium qui sint, tit.12. §. lex Corradi.
iudex capitaneorum est Imperator. ibidem numero 2.
iudex ordinarius quando cognoscat de feudo, tit.12.§. si autem.
iure non diffinitum non est temere asserendum, tit.12.§.ex eodem,nume.1.
iurisdictionis & districtus honor an vendi possit,attendat hic Campidonensis Abbas.§. ad hunc de allodiis.
iuramentum contra Imperatorem, tit. 31.§.illud quoque.

M.

MAnum iniiciens in dominum feudo priuatur, tit.2.§.porro.
manum eleuans, ibidem.
MEtus stupri, ibidem.
MInor vasallus deminum deferēs an feudo priuetur, tit.2.§.item si delaror,nume.1.
minor 25. annis si inuestiturā nō petat an restitui in integrū posfit? rit.31.§.pterea si qs,nu.1.
MOnomachia siue duellum non vsurpabitur, tit.17.§.non est con.
monomachia quid sit, ibidem nume.1.
monomachia omni lege prohibita, ibidem.
MVtus,surdus, cæcus, claudus, aliięq; morbidæ personæ an succedant in feudo illudq; retineant, tit.14. in princip.

N.

NEgans feudum eiusve qualitatem eo priuatur, tit.4.§.vasallus in princip.
negans feudum scienter, ibidem nume. 1.
negans feudum scienter quousque pœnitere possit, ibidem.
negans feudi qualitatem totum perdit, ibidem.
negans quomodo conuincatur mendacij, ibid.

Negare aliud quàm nõ reuelare, ibid. nume.3.
negans feudum fraudulenter, tit.12.§.si fuerit.

O.

OCcidendi conatus etiam homicidio nõ secuuto punitur. tit.2.§. porro.
Occidi aliquem mandans, ibidem.
Occidens vel domini fratrem vel germanũ proprium an à feudo cadat, tit.15.in princip.
Occidens quem proditorie feudum priuatur, ibidem nume. 2.

P.

PActa seruanda, tit.2.§. sed nec alia nume.1.
Pactum de non succedendo, tit. 4. §. filij numero 1.
pactum de non petendo feudo ab hæredib.alicuius, tit.4.§.Titius,in princi.
pactum solum extenditur ad personas expressas, tit.27.nume 1.
pacto legis commissoriæ feudum constitui non potest, tit.25.§.similiter,in princip.
pactis quibus feudi constitui possint, ibidem.
parentibus parendum & honor impendendus, tit.6.§.contra omnes,nume.1.
pares curiæ iudices esse non coguntur inuiti, tit,24.§.ex eo, nume.1.
pares quare inuestituræ interesse debeant, titu. 33.§.idcirco.
pares in feudali controuersia interrogandi, tit. eodem.§. interrogandum.
parricidium in quos committatur, titu.2.§.deniq;,nume.3.
paternæ sortis exempla in filiis præsumuntur, tit.4.§.adoptiuus,nume.1.
pater vasallus quomodo agere debeat cum filio suo qui feudi dominum offendit, tit.21.§.insuper,in princip.
PEtitorij & possessorij materia, tit.5.§.si mei, in principio.
pensio fructuum locatorum, tit. 6.§.his consequenter,nume.1.
pœnæ nonnunquam exacerbandę,tit.2.§.porro.
pœna vsq; ad quartam generationem, tit.4.§.si vasallus, nume.1.
pœnæ aduersus scientes paratę, tit.4.§.vasallus, numero 1.
pœnæ nõ imponendę nisi in casibus iure expressis, tit.12.§. ex eadem,nume.1.
pœna amputationis manus, titu. 31.§. callidis, numero 3.
POssessio defuncti, tit.4.§. si de feudo,nume.1.
possessio probatur per duos, tit.5.§.si tres, nu.1.
possessoris potior conditio, ibidem nume.2.
possessorio succumbẽs postmodum agere potest petitorio, ibidem nume.3.
possessio longa & annalis in materia feudali, titu.11.§.item si inter,nume 2.
PRæscriptione triginta annorum quomodo acquiratur feudum, tit.4.§.si quis per triginta, in principio.
præscriptio absq; bona fide non procedit, ibid. numero 1.
precium succedit loco rei, tit. 4. §.si vasallus numero 3.
præscriptione nulla obstante, dominus feudum illicitè alienatum reuocare potest, titulus 18. §. præterea.
prælatus ecclesiæ si ob culpam,feudo suæ dignitatis cadat,cui id cedat, titulus 18.§. item si clericus,in principio.
prælatus ecclesiæ feudum obtinens, eodem iure quo vasalli alij censeri debet, ibid. nume.2.
Precium feudi illicite alienati, tit.30.§.imperialis,nume.3.
precium repetit emptor bonæ fidei, tit. 31. §. imperialem,nume.2.
principis rescriptum, tit.4.§.adoptiuus, num.1.
principis rescriptum seu legitimatio quomodo accipienda, ibidem.
princeps absoluta potestate cum incõmodo alieno quid concedit, tit.4.§.naturales.
princeps quatenus plenitudine potestatis vtatur, ibidem.
princeps si feudum alicui concesserit, an merũ imperium feudali loco constitutum concessisse videatur, tit.29.§. quidam capitaneus,numero 1.
princeps imperij dignitatẽ omnibus priuatis cõmodis anteponet, tit.30.§. imperialis.
primogenitus succedet in principatum, tit. 31. §.præterea ducatus,nume.1.
PVnitur notarius vetiti scriptor contractus, tit. 31.§.callidis,nume.3.

R.

RAtificare feudi alienationem dominus potest. tit. 31.§. imperialem,nume.1.
REpræsaliæ quando concedãtur, tit.2.§. illud tamen.
refutare feudũ domino inuito vasallus an possit, tit.16.§.si vasallus,nume. 2.
refutatio feudi, electa vasalli industria concessi, ibidem.
refutandum feudum in manibus domini, ibid.
refutatione feudi facta, vasallus pristinum dominum reuerenter adhuc obseruabit, ibid.
refutatum feudum paternum cui cedat, ibid.
refutatio quam agnatus facit suo agnato eiusq; hæredibus de feudo, tit.27. in principio.
regnum diuidi non debet, titu. 31. §. præterea ducatus,nume.1.
regnum omne impatiens consortis erit, ibid.
reo probationis onus in se assumenti mos gerẽdus, tit.5.§.si duo homines, num.1.
rex accedet Romam ad obtinendum imperij diadema.§.vt autem æquitas,de allodiis.

S.

SCientia, tit.4.§.vasallus,nume.1.
Similium idem est iudicium, titu.2. §.prædictis, numero 1.
SEruitus si feudo sit coempta, tit.6. §. si vasallus,numero 2.
SVbinfeudatio qualis & quomodo permittatur, tit.4.§.si vasallus, numero 2.
Successio filiorum matrimonij ad morganaticũ contracti. tit.7.§.quidam.
Successionis ordo in feudis, tit.28.in principio.
Subinfeudatione factus vasallus, vtrius domini consensum alienationi adhibeat, tit.31.§.imperialem,nume.1.

T.

TEmporis iustum interuallum conceditur vocato, tit.6.§.ad hoc, numero 1.
Tempus legis nec ignoranti fluit,nec impedito, tit.30.§.I.quoniam,nume.1.
Testes ex regione litigatorũ, tit.5.§.si tres,nu.1.
Testis an contra dominum vasallus esse possit, tit.11.§.similiter,numero 1.
Testimonium inuestitoris, titu. 12.§.si autem, numero 3.
Testis qui extra iudicium se nescire quid dixit, in iudicio valide deponit, tit.31.§.notan.
TRaiectensis ciuitas ad Mosam feudum imperij, tit.29.§.quidam capitaneus,nume.1.

Trans-

Transfigere sup feudo vasallus potest domino inscio, tit.4.§.si vasallus,nume.2.

V.

VAsallus dominum in acie deserẽs feudo priuatur, tit.2.§.item qui dominum,nu.1.
vasallus de imminente periculo dñm non certiorans,feudo priuatur, titu.2. §. præterea.
vasallus quando ob stuprum feudo priuetur, titu.2.§.rursus.
vasallus quomodo in dominum impius feudo priuetur. tit.2.§. porro.
vasallus toxico aut gladio insidias struens domino, ibidem.
vasallus iustitiam denegans domino, feudo priuatur, tit.2.§.illud tamen.
vasallus non præstans seruitia, tit.2. §. sed nec alia,in tex.
vasallus à domino ad seruitia requirendus, ibidem,numero 1.
vasallus seruit per substitutum, ibidem.
vasallus domini delator feudo cadit, tit.2.§.itẽ si delator, in tex.
vasallus domini accusator, tit.2.ibidem,num.1.
vasallus testis aut aduocatus contra dominum aut fideiussor, ibidem.
vasallus iudex contra dñm pronuncians, ibid.
vasallus dominum captum & inclusum non liberans feudum amittit. ibidem.nume.1.
vasallus quando pro domino fideiubeat, ibid.
vasallus non quaìibet ex causa feudum amittit, tit.2.§.illud,in princi.
vasallus non tenetur quotannis accedere dominum, tit.4.§.& si vasallus.
vasallus an demum interpellatus,operam suam domino impendat, tit.4.§.licet vasallus.
vasallus an præscribat cõtra obsequia feudi.ibi.
vasallus quando vltro succurrere debeat domino, ibidem, numero 2.
vasallus domino suis pecuniis succurrere non tenetur, ibidem,nume.3.
vasallus an inopem dominũ alere teneatur, ibi.
vasallus sine domini voluntate iudicio super feudo interesse potest, & quod cum eo agitur etiam in præiudicium domini ratum erit. tit. 4.§.si vasallus, nume. 1.
vasallus ob malam administrationem aduocatia ac feudo remouetur, tit.5.§.quicunq;.
vasallus male tractans suos subditos, ibid. nu.2.
vasalli quatenus dominum belligerantem iuuare debeant, tit.6. §. domino guerram.
vasalli cuius impensis domino in bellis seruire debeant, ibidem.
vasallus quantocunq; tempore nõ seruierit dño feudum non perdit, tit 6.§.ad hoc,in prin.
vasallus recusans obsequium feudo priuatur, ibidem nume.1.
vasallus si à domino ad seruitia vocatus emanserit, ibidem.
vasallus quando vltro succurrat domino, ibidem,numero.2.
vasallus quando contra patrem iuuare dominũ suum debeat. tit.6.§.contra omnes,num.1.
vasallus an dominũ iuuare debeat contra patrẽ patriæ proditorem aut oppugnatorem.
Item,an contra patrem fidei & religionis oppugnatorem, ibidem.
vasallus quando contra patrem aut filium domino adesse non debeat, ibidem.
vasallus dominum contra fratrem iuuare debet, ibidem in fine.
vasallus priorem dominum aduersus posteriorẽ iuuat, ibidem,numero 2.
vasallus si dubitet vter prior sit dominus, quid facere debeat, ibidem.
vasallus sine domini voluntate feudum non alienat, tit.12.§.similiter,nume.1.
vasallus priuatur feudo, quum honestè versari non potest in curia domini, tit.15.§.si qs,nu 3.
vasallus dominum à morte non liberans, feudo cadit, tit.17.§.si à morte.
vasallus dominum adibit inuestituræ obtinendæ gratia, tit.18.in principio.
vasallus ad expeditionem publicam vocatus ad quid teneatur. tit.18.§.similiter,numero 1.
vasallus an ad dotem filiæ sui domini, aliasque necessitates contribuat, ibidem.
vasallus si feudum ignoranter vendiderit, quid iuris, tit.20.in principio.
vasallus super feudo agere in iudicio & transigere potest absq; dñi scientia, tit.21.in princi.
vasallus si feudum illicitè alienatum recuperet an id retinere poterit, ti.22.§.pterea,num.1.
vasallus si feudum domini consensu alienatum recuperet. quo iure id habere censeri debeat, tit. 22. §.profecto.
vasallus excusatur. si impeditus legitimè, inuestituram non petierit, tit.30.§.lex quoniam, in principio.
vasallus vtile feudi dominium in ecclesiam trãsferre non poterit, §. si verò contigerit, de allodiis.
vasallus vocari debet ad expeditionem, nec præsumitur vocatus nisi probetur, §. vt autem æquitas, de allodiis. num.1.
vasallus si ad expeditionem vocatus non venerit,&c. ibidem.
vasallus ad publicam vocatus expeditionẽ, quid facere debeat ne feudo priuetur, tit.3. §. firmiter,in principio.
vasallus per subinfeudationem,si dominum sui domini offendat, tit.31.§.illud quoq;.
vasallus vt ob delictum feudo priuetur, quinque testibus est cõuincendus, tit.33. §.si vasallus.
vasallus cum inimicis domini amicitiam & fœdus nectens.an priuetur feudo, ibid.num.2.
VEnenũ malũ publice ne vendatur, ti.1.§.porro.
VIolentus inuasor rei inuestitæ qudomodo puniatur, tit.5.§.si duo homines,nume. 2.
violentus retentor, ibidem.
violenta feudi inuasio quomodo fiat, ibidem.
vim & iniuriam propulsare licet, tit.2.§.porro.
vim propulsare licet, tit. 6. §. domino guerrã.
vis quæ sit, ibidem,nume.1.
VOluntas in maleficiis, tit.2.§.porro.
voluntas in offendendo an puniatur, ti.25.§. si voluerit.

INDICIS LIBRI TERTII ET VLTIMI,

FINIS.